This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600084452T

M. TULLII CICERONIS

COMMENTARII

RERUM SUARUM

SIVE

DE VITA SUA.

ACCESSERUNT

ANNALES CICERONIANI

IN QUIBUS AD SUUM QUAEQUE ANNUM REFERUNTUR QUAE IN HIS COMMENTARIIS MEMORANTUR.

UTRUMQUE LIBRUM SCRIPSIT

W. H. D. SURINGAR,

LITT. HUM. GYMNASII LUGD. BAT. RECTOR.

PARS PRIMA

QUA CONTINENTUR

Commentarii.

LEIDAE,

E. J. BRILL.

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

1854.

294.e.39.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

VIRO CLARISSIMO

GER. CONR. BERNARDO SURINGAR,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCTORI,

MEDICINAE PRACTICAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA,

FRATRI NATU MAXIMO

SUAVISSIMO.

Est mihi sane quod gaudeam vehementerque laeter, Suavissime Frater, eo nunc tandem huncce pervenisse laborem, ut in lucem prodire possit qualiscunque: quem tribus fere abhinc annis excudi coeptum, ut nosti, modo domesticarum rerum cura saepius me iussit intermittere, modo publicarum occupationum multitudo. Huius autem gaudii, confitebor enim quod sentio, caussa potissimum duplex est.

Altera est, eaque primaria, quod nunc mihi in prooemio libri, quem ad Te mittere iam ab initio constitueram, opportune natus sit, quem dudum mihi obvenire speravi locum, quo publice profiteri possim, quanti ego Te faciam; non modo ut Tu sentias, sed ut omnes qui nunc sunt, etiam ut posteritas ipsa intelligat. Te enim quidni ego amem, quidni toto pectore diligam? Quid enim aut laetum mihi accidit, quod tua iucundissima gratulatio non auxerit; aut quid triste mihi evenit, quod tua gratissima consolatione non sit mitigatum? In omnibus autem temporibus tam incredibili Tu semper ac plus quam fraterna caritate et me et meos complexus es, sive facto opus esset sive consilio, ut equidem Tibi debeam, quan-

tum ab homine deberi homini plurimum possit. Etiamsi enim nullis aliis a Te affectus essem beneficiis, quae tot ac tanta in me contulisti ut facile quidem initium, numquam autem exitum eorum laudandorum inveniam; vel hoc mihi satis esset quare Te in oculis ferrem, Bernarde, quod ex intima tua et familiari consuetudine per omnem meam aetatem talis exemplum vitae petere mihi licuit, non modo in luce atque in oculis civium prudenter actae sed intus etiam domique praestantioris, qualem si plures vivere vellent, melius omnino viveretur et felicius. Quapropter si quid in me est aut virtutis aut doctrinae, id omne Tibi acceptum refero, tuo exemplo excitatus, tua auctoritate permotus. Ad quae innumerabilia tua in me merita si hoc quoque addideris ut hanc προσφώνησιν explicata fronte accipias et tamquam grati mei erga Te animi indicium habere velis, equidem putabo, quod fieri iam non posse arbitrabar, tuum amorem magno cumulo esse auctum.

Altera gaudii, quod dico, caussa est cogitatio fore ut ea, quae scripsi, aliis nonnihil possint prodesse, qui, ut Tu laudabiliter facis, etiamnunc qua aetate sordent fere Latine scripta et vix quidquam placet nisi quod novitatis notam prae sè ferat, antiquarum tamen litterarum studio honorem suum habendum esse existimant. Quod tamen ita a me dictum accipi velim, ut a Te quidem omnis invidia absit, in me autem recidat nulla gloriationis suspicio. Nec enim Tu is es, qui nova spernere soleas, quod dicantur esse nova: cui scio quaevis contra probari, quae bona sint, sive antiqua sive nova, sint haec modo meliora antiquis; nec ego is sum, qui magnum aliquid elaborasse mihi videar. Immo vero, dicam enim quod sentio, mihi quidem satis erit et vel uberrimum operae navatae fructum mihi cepisse videbor, si quoticuiusque studium excitavero ad legendum et meditandum ea praeclarissima antiquitatis monumenta, quae non tantum linguae latinae et eloquentiae, verum etiam rerum innumerabilium thesauri habentur copiosissimi, et quorum studium Quintilianus, iudex sa-

nequam peritissimus, tantum valere censet ut eum multum profecisse contendat cui Cicero valde placuerit, *dono quodam providentiae genitus*, ut ait, *in quo totas vires suas Eloquentia experiretur*. Quam laudem, qua vix quidquam maius esse potest, nemo umquam doctus iure negavit Ciceroni. In quo laudando quod mirus est omnium eruditorum consensus, mea quidem sententia non fit immerito; tantum enim hic in omni genere doctrinae praestat, ut nec ante eum, apud Latinos quidem certe, quisquam eiusmodi fuerit, nec post eum quisquam talis vixerit, nec in posterum tanta excellentia in quoquam sperari posse videatur.

Haec autem si pluribus explicare coner, frustra suscipiam earum rerum laborem, inprimis apud Te, qui ipse olim scripta Ciceronis digna censueris, quae in succum, ut dicitur, et sanguinem converteres; quod nisi Te saepius audivissem dicentem, testimonio mihi essent et Orationes a Te habitae plures et vero duae illae Memoriae, in quibus dubito utrum magis admirer amorem tuum ac pietatem erga defunctos collegas, an genus dicendi elegans et plane Latinum. Quodsi igitur facto concedas, non aliunde melius quaeri adiumentum eloquentiae quam ex lectione Ciceronis; nec Tu quidem negabis hanc lectionem difficillimam esse nisi quis vitam Ciceronis, quae et qualis fuerit, habeat satis cognitam, quum singula huius viri scripta, si accurate perpendantur, singula eius vitae testimonia putanda sint et vivam quasi suorum quaeque referant temporum imaginem, quibus confecta sunt. Quam ob rem si quis ignorat, quarum rerum studio hic optimus auctor ac magister eloquentiae id apud posteros consecutus sit, ut, quod idem ille iudex ait, *Cicero iam non hominis nomen sed eloquentiae habeatur;* qui nescit, qualem hic civem se civibus, qualem reis patronum se praestiterit; qui nescit, qua virtute hic, homo novus quum esset, ad tantum pervenerit fastigium honoris et gloriae, cuius semper fuit cupidissimus; qui nescit, qua vigilantia consul egregius rempublicam Romanam a

Catilinae coniuratione servaverit; cui inaudita est ignominia, quam idem deinde ab ingrata civitate per Clodium passus sit et quae res ipsi cum Antonio fuerit in extremo tamquam vitae actu; qui non didicit ad temporum rationem attendere, quibus aut Pompeii rebus studere maluerit aut Caesarem sequi coactus sit; qui ignorat, quomodo cum Attico vixerit et cum Quinto fratre et cum reliquis aequalibus; qui nescit, qua parte vitae se dederit aut caussis dicendis aut libris scribendis; cui denique res nihili videtur cognoscere ad quemnam annum confectio cuiusque scripti referenda sit; is mihi profecto, non dicam, ne unum quidem penitus intelligere poterit e summi viri scriptis, in quibus omnibus quippe hospes futurus sit atque peregrinus, sed vel in locis non admodum obscuris tamquam in crassissimis tenebris foedissime labetur. Haec autem, quae dixi, omnia et quae sunt huius generis plura, quum in hoc libro enarrata legas teste adhibito gravissimo ac locupletissimo, quo nemo maiorem habere potest auctoritatem, facile Tu quidem, ni fallor, concedes operam me meam ita posuisse ut spes quaedam ostendatur posse me aliquantum prodesse antiquarum litterarum amantibus.

Et tamen non dubito quin hic noster labor in varias incurrat reprehensiones. De quibus, si modo non admodum magno incommodo tuo faciam, paucis hoc loco dicere lubet. Nec enim videri velim ignorasse quid sit illud quod susceperim, et vero perquam duco necesse explicare quae mihi in scribendo hoc libro servata sit ratio.

Suspicor igitur, vel potius intelligo, fore nonnullos qui me arrogantiae accusent aut levitatis, quod argumentum scriptionis sumpserim toties iam tractatum vel adeo exhaustum tot virorum doctissimorum laboribus, ut aut haec pars antiquitatis dicenda sit satis ad liquidum perducta esse, aut, quae eo umquam sit perventura, vix intelligatur. Contra quos duae res sunt, me quidem iudice, quibus haec instauratio videatur pos-

se defendi. Primum enim, etsi concedo, non facile in omni nostra antiquitate inveniri argumentum, quod vel ipsorum Veterum aevo sed praesertim a renatis in Italia litteris ad hanc usque aetatem tam crebris lucubrationibus expositum sit et celebratum, quam quae ad vitam spectant Ciceronis, hoc tamen non dubito contendere, etiamnunc in tanta mole librorum multas superesse huius argumenti partes vel admodum obscuras vel plane neglectas: quae, si accuratius expositae essent, multum afferre possent ut melius intelligerentur monumenta, quae tot seculorum ingenia exercuerunt. Quod si verum est, quis neget magno opere laudandum esse, qui in antiquitatis studio quae obscura sunt, nova luce collustrare conetur? quamquam quid meus hic praestiterit conatus, et aliorum iudicio relinquere malo et longum est hoc loco dicere. Alterum est, quod me fortasse etiam magis defendere valeat: eo saltem nomine ut, etiamsi res notas enarrasse dici possim, rem tamen actam egisse dici non possim. Ecquis enim est, qui hos Commentarios vel leviter inspexerit, quin confestim videat novum esse scripturae genus et quo nemo, quod sciam, in hoc argumento unquam usus sit? Qui enim adhuc de vita Ciceronis scripserunt, ad unum omnes ita res exposuerunt, ut historici solent, suo ipsi sermone utentes, suo arbitratu iudicantes: ego contra, relicta vulgari via, omnem sermonem tribui ipsi Ciceroni, id est, verbis utens non meis sed Ciceronis, Ciceronem finxi de sua ipsum vita scribentem, ita ut, qui legit, non alium sed Ciceronem legere videatur. Quod genus scribendi quantae operae labor sit quantique temporis, vix necesse erit multis explicare, quum etiam me tacente intelligatur. Nolo commemorare quid sit omnia Ciceronis scripta ita legere ut omnes omnino locos, in quibus hic rerum suarum facit mentionem, describas singulos; sed omnem hanc innumerabilium locorum, quos hinc illinc collegeris, veluti farraginem digerere et in ordinem collocare quantum fieri posset aptissimum: tum ita inter se omnia connectere ac conglutinare, ut ex variis quasi membris unum corpus fieret, et omnes partes

operis musivi ita disponere ut plana exiret rerum enarratio, quae et facile legi posset et delectatione aliqua alliceret lectorem et fidelissimam Ciceronis referret imaginem: *hic labor ille* fuit, hic aliquando etiam parum abfuit quin fieret mihi fere *inextricabilis error.*

Nec deerunt porro, si quid video, qui contendant rem potuisse multo facilius a me tractari, multoque utilius, si locos tantummodo longiores dedissem, mea qualicunque oratione connexos, in qua simul, quo melius omnia intelligerentur, et multa aliorum Veterum testimonia potuissent interseri, et adscriptis ubique consulum Romanorum nominibus, ad suum quaeque annum referri, quin etiam res ita ad finem perduci ut vel ipsa mors Ciceronis potuisset enarrari. Scio quid isti velint, qui ita loquantur; et, quamquam non intelligo quare quis alienae modum statuat industriae, de facilitate possum concedere, de utilitate non possum. Quodsi enim horum obsequi voluissem voluntati, in multis fortasse necesse fuisset alios, qui hoc argumentum ante me tractaverunt, persequi ipsorum vestigiis, sed certe desistendum fuisset ab eo, quod mihi proposueram et quod ante omnia me maluisse prae me fero, ut nihil in his Commentariis legeretur nisi quod ab ipso Cicerone esset scriptum. Quam laudem, quantacunque sit iudicent alii, sed assecutum me esse profiteor. In omnibus enim, quae hic legenda dedi, hanc mihi semper servavi legem ut omnino abstinerem quidquam de me addere; et hoc tantum non nefas esse duxi, si permitterem mihi licentiam vel verbi alicuius formam nominisve casum mutandi vel copulam interponendi. Moriar autem, si vel unam trium verborum sententiam de me addidisse convincar. Tanti scilicet mihi fuit integram servasse ipsam Ciceronianae orationis sanctitatem. Qua de re si cui placeat me risum iocumque facere, ridcat per me quantum libuerit, nec enim metuam sibilum, quo accuser religioni potius servire quam vim inferre maluisse. Sed quod isti requirunt temporis indicationem et

quidquid ab aliis Veteribus de Cicerone scriptum sit, et vitam ad finem usque perductam, ea omnia conieci in alteram operis mei partem; cuius eam videbis esse rationem, ut non magis haberi possit liber peculiaris quam supplementum horum Commentariorum. In quos quum sit tamquam Annotatio Chronologica, non immerito mihi visa est posse inscribi Annales Ciceroniani, *in quibus ad suum quaeque annum referuntur, quae in his Commentariis memorantur.* Hunc autem librum, qui brevissimo quoque tempore in lucem prodibit, mittam ad Oosterdykium meum, quocum mihi et vetus et magna amicitia est. Quod quin pace tua facturus sim, non dubito, si dixero Oosterdykium et opera et consilio mihi in conquirenda et disponenda materia ita praesto fuisse ut iure quasi suo alteram istam partem videatur posse sibi vindicare.

Sed iam ad id, unde digressi sumus, revertamur. Suspicor igitur mihi quoque occursum iri, et quidem a doctis et eruditis quaerentibus, satisne recte facere videar, qui varios inter se connectere ausus sim locos ex variis et omnino diversis scriptis excerptos: neque enim non ignorari, Ciceronem non semper eodem modo scripsisse, alio quippe usum dicendi genere in Epistolis, quas quotidianis verbis texere soleret; alio in Orationibus, in quibus aut subtilius locutus sit, si caussae privatae essent et tenues, aut ornatius, si de capite vel fama ageretur; alio denique in Disputationibus, quae alium quemdam verborum sonum requirerent. Fateor equidem, atque etiam profiteor tantam esse diversitatem orationis in diversis scriptis Ciceronis ut vix quisquam litterarum peritior nescire possit, quam nihil simile habeat epistola aut iudicio aut concioni, et quanto aliud dicendi genus desideret disputatio, aliud deliberatio, aliud poscat gravitas senatoria, aliud aura popularis: at vel sic tamen dubito an diversitas ista, quae omnino de totis operibus valet, cuiquam videatur tam late patere ut ad singulas sententias possit referri. Quin etiam, nisi sensus me meus omnis fallit, tanto minus laborabitur eo incommodo,

quanto magis apparebit Ciceronem in iis, quae de se ipse narrat, eo plerumque usum esse sermone, quem historia desideret. Quidquid sit, res suo cuiusque iudicio relinquenda est. Quodsi tamen sint tam lyncei, quibus nihilominus animus offendatur, quibusque videar non multum distare a rustico illo, qui hordeum, triticum, viciam, legumina in unum acervum conferat; verbo, qui hos Commentarios et formae et orationis elegantia clament tantum cedere ipsorum Veterum scriptis, quantum aera distent lupinis; eos, utpote qui postulent quod huius aevi homines iam non praestare possint, rogatos esse velim ut primo quoque tempore librum de manibus deponant: malo enim hunc non legi omnino, quam cuiquam a me nauseae molestiam creari, dicamque quod C. ille Lucilius, homo doctus et perurbanus, qui dicere solebat ea, quae scriberet, neque ab indoctissimis se neque a doctissimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse.

Nec mirum accidet mihi si qui sint, quibus non adeo similis videar rustico illi Xenophonteo, quem dixi, sed qui abstinendum tamen fuisse arbitrentur a scriptis, quae falso Ciceronis nomine ferri dicuntur. Quibus tamen si respondere vellem, prout gravitas argumenti postulat, disputatione opus esset et longiore et subtiliore quam quae huius loci esse videtur. Tantus enim adest Virorum Doctorum dissensus in re maxime dubia, ut ne hoc quidem constet, quam late istud crimen νοθείας pateat. Aliis quippe satis est, si auctore Wolfio quatuor illae notissimae Orationes excludantur; alii autem, de aliarum quoque Orationum γνησιότητι dubitantes, aut Archianam, aut Ligarianam, aut Marcellianam, aut unam alteramve vel tres adeo ex Catilinariis Ciceroni abiudicant. Contra quos alii rursus contendunt omnia ea scripta recte Ciceroni esse adiudicanda; ut fere nulla res est quae patronos non inveniat, si semel adversarios nacta sit. Mihi quidem, ut et his satisfacerem et illis, optimum visum est si ex omnibus istis scriptis, quae, qualiacunque tandem habeantur, non facile tamen cui-

quam dicentur omni fide historica carere: si, inquam, audacter et cum fiducia inde excerperem, quae usu venire viderentur; sed adscriptis locis ad finem paginae curavi ut facile appareret unde singula essent excerpta. Quo facto quum sententiam meam non pronuntiaverim, malim censeri suum cuique iudicium relinquere liberum.

Restat ut iis respondeam, qui dubitent an satis dignum sit summi viri persona, si fingatur ita de suis ipse rebus scribens ut suam ipse celebret virtutem. Contra quos breviter dicendum existimo, quod septem abhinc annis dedita opera exposui scripto Programmate Scholastico *de Romanis Autobiographis*, complures fuisse in republica Romana viros egregios, qui non dubitaverint de rebus a se praeclare gestis, de consiliis suis, deque tota vita sua Commentarios scribere; neque id ulli eorum citra fidem fuisse aut obtrectationi. Quorum in numero fuit M. Aemilius Scaurus, is qui princeps senatus dictus est; et P. Rutilius Rufus, exemplum innocentiae, quo nemo neque integrior erat in civitate neque sanctior; et Q. Lutatius Catulus, qui humanitate, sapientia, integritate antecelluisse dicitur. Sed quid ego alios? Ille quoque ipse, de quo quaerimus, Cicero plures composuit libros, tam Graece quam Latine, tam ligata quam soluta oratione, *ne quod genus laudis suae*, ut ait, *a se ipso praetermitteretur*. Quae tamen omnia scripta, ut Ciceronis, ita reliquorum, quos dixi, temporis iniuria perierunt; quod profecto litterarum caussa tam valde mecum dolebis, quam quod est maxime dolendum.

Desinant igitur accusare, et, si quae his meliora noverint, corrigant potius quam reprehendant nostra: tantum enim abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. Faciant modo liberaliter et cogitent, quaeso, nihil esse rerum humanarum, quod ab omni parte perfectum sit, et tanto plus veniae dari posse operi imperfecto, quanto plus in eo difficultatis et laboris inesse appareat. Hoc autem, quod

nos perficere studuimus, revera fuit opus difficillimum factu, ut modo diximus; quamquam multis fortasse primo adspectu longe aliter videbitur et potius eiusmodi *ut sibi quisis Speret idem:* sed vix dubito quin, qui periculum facere velit, *sudet multum*, ut poeta addit, *frustraque laboret Ausus idem.*

Sed diutius iam, quam par est, quum videar Te moratus esse, Carissime Frater, hic desinam scribere. Ergo in fine epistolae, quam verbosiorem fortasse scripsi quam Tu quidem velles, qui vitam agas occupatissimam, accipe quod animus me meus iubet Tibi apprecari. Servet Te ita Deus O. M. in longam annorum seriem, ut et ipse felix vivas cum iis qui Tibi et mihi sunt carissimi, et pergas plurimum prodesse omnibus, qui Te aut egregium habent studiorum suorum ducem aut medicum fidelem et amantem!

Quodsi tamen per graviora negotia liceat Tibi hos Commentarios legere, Tu velim animum a me parumper avertas, Ciceronem loqui ipsum putes.

Dat. Kalendis Februariis
CIↃIↃCCCLIV.

M. TULLII CICERONIS

COMMENTARII

RERUM SUARUM

SIVE

DE VITA SUA.

LIBER PRIMUS.

I. 1. Ardeo[1] cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur ubique. Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quamdam immortalitatis rapit, sed etiam illa[2] nos capiditas incendit, ut et ceteri, viventibus nobis, nos cognoscant, et nosmetipsi vivi gloriola nostra perfruamur. Nam[3] ut levitatis est, inanem aucupari rumorem et omnes umbras etiam falsae gloriae consectari: sic levis est animi, lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare. 2. Nullam[4] enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae; qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Addo[5] haec, quae certe vera sunt, fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta; me nihil in vita, nisi praeclarissime fecisse, siquidem nihil sit praestabilius viro, quam periculis

[1]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 12. § 1.) — [2]) Ibid. § 2. — [3]) in Pison. c. 24. § 57. — [4]) pro Archia c. 11. § 28. — [5]) pro Milone c. 35. § 96.

patriam liberare; beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus, nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint: sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si sit habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium gloriam; esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consoletur, quae efficiat, ut absentes adsimus, mortui vivamus; hanc denique esse, cuius gradibus etiam homines in caelum videantur ascendere.

II. 3. Atque[1] de meo quidem amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, confitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro pro salute huius urbis atque imperii et pro vita civium proque universa republica gessimus, Archias attigit versibus atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Neque[2] enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. 4. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, quum ex eo quaereretur, quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret: *Eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Quid?[3] noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit? et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt? Quid[4] Q. Metellus

---

[1]) pro Archia c. 11. § 28. — [2]) Ibid. c. 9. § 20. — [3]) Ibid. c. 10. § 24. [4]) Ibid. § 26.

Pius? nonne usque eo de suis rebus scribi cupiebat, ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet? 5. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur; insidet [1] quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam. Ego [2] vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem abfutura est, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector.

III. 6. Quae [3] quum ita sint, epistolam [4] Lucceio misi, qua, meas res ut scriberet, rogavi. Ac [5] non verebar, ne assentatiuncula quadam aucupari ipsius gratiam viderer, quum hoc demonstrarem, me ab ipso potissimum ornari celebrarique velle. Neque enim is erat Lucceius, qui, qui esset, nesciret, et qui non eos magis, qui ipsum non admirarentur, invidos, quam eos, qui laudarent, assentatores arbitraretur: neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur. 7. Neque enim Alexander ille gratiae caussa ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat; sed

---

[1]) Ibid. c. 11. § 29. — [2]) Ibid. c. 12. § 30. — [3]) Ibid. § 31. [4]) ad Att. IV. 6. § 4. — [5]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 12. § 6.)

quod illorum artem quum ipsis, tum etiam mihi gloriae fore putabat. Atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant: quae vel si nulla sint, nihilo sint tamen obscuriores clari viri. Nec minus est Spartiatae Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere elaborarunt. Unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium statuasque superavit. 8. Atque hoc praestantius mihi fuisset et ad laetitiam animi, et ad memoriae dignitatem, si in Luccei scripta pervenissem, quam si in ceterorum, quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuisset, sicut Timoleonti a Timaeo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auctoritas clarissimi et spectatissimi viri, et in republica maximis gravissimisque caussis cogniti atque in primis probati: ut mihi non solum praeconium, quod, quum in Sigeum venisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videretur. Placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum *laudari* se laetatur, sed addit etiam, *a laudato viro*.

IV. 9. Genus[1] tautem scriptorum Luccei, etsi erat semper a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam, neque ita vel cepit vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras ipsius monumentis commendari. Et[2] quia videbam, *Italici belli et civilis historiam* iam ab ipso paene esse perfectam: dixerat autem mihi, se reliquas res ordiri: deesse mihi nolui, quin ipsum admonerem, ut cogitaret, coniunctene mallet cum reliquis rebus nostra contexere, an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes Troicum

[1]) Ibid. § 1. — [2]) Ibid. § 2.

bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, (qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi, bella separaverunt,) ipse quoque item civilem coniurationem ab hostilibus externisque bellis seiungeret. Equidem ad nostram laudem non multum videbam interesse; sed ad properationem meam quiddam intererat, ipsum non exspectare, dum ad locum veniret, ac statim causam illam totam et tempus arripere. Et simul, si uno in argumento unaque in persona mens eius tota versaretur, cernebam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura essent. 10. Quod[1] si ipsum adduxissem, ut hoc susciperet, fuisset, ut mihi persuadeo, materies digna huius facultate et copia. A principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum videbatur mihi modicum quoddam corpus confici posse: in quo et illa poset uti civilium commutationum scientia vel in explicandis causis rerum novarum vel in remediis incommodorum, et reprehendere ea, quae vituperanda ducebat, et, quae placebant, exponendis rationibus comprobare, et, si liberius, ut consuevit, agendum putabat, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notare. Habet[2] enim varios actus multasque actiones et consiliorum et temporum, haec quasi fabula rerum eventorumque nostrorum.

V. 11. Sed,[3] quum et Lucceius — etsi hic mihi saepe ostendit se accuratissime nostrorum temporum consilia atque eventus litteris mandaturum — et Archias[4] nihil de me scripserit, cogor[5] facere, quod nonnulli saepe reprehenderunt. Scribam ipse de me: multorum tamen exemplo et clarorum virorum. 12. De[6] Scauro et Catulo breviter licet dicere.

---

[1]) Ibid. § 3. — [2]) Ibid. § 6. — [3]) Ibid. § 9. — [4]) ad Att. I. 16. § 15. — [5]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 12. § 8.) — [6]) Brut. c. 29. § 110.

In [1] Scauri oratione, sapientis hominis et recti, gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut caussam, sed ut testimonium dicere putares, quum pro reo diceret. Quod dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur; ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime; significabat enim non prudentiam solum, sed, quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. Huius et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri, scripti de vita ipsius, lectu sane utiles; quos nemo legit: at Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam. 13. Iam [2] Q. Catulus, non antiquo illo more, sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus. Multae litterae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas; quae perspici quum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam, familiarem suum: qui liber nihilo notior est, quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri. 14. Atque [3] etiam Caesar commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem probandos; nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil enim est in historia pura et illustri brevitate dulcius.

---

[1]) Ibid. § 111. — [2]) Ibid. c. 35. § 132. — [3]) Ibid. c. 75. § 262.

VI. 15. Sed [1] quid ego alios? ad me ipsum iam revertar. Conficiam [2] igitur commentarios rerum mearum omnium. Multam [3] certe omnes casus nostri varietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo tenere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae. Habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem. 16. Ceteris vero, nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli iubet spiculum, postcaquam ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum: ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistocli fuga redituque tenetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At viri saepe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissima lectionis voluptate. 17. Et [4] vero, (nec enim externa libentius in tali re, quam domestica, recordor) ut [5] annales populi Romani et monumenta vetustatis loquuntur, Caeso ille Quintius, et M. Furius Camillus, et M. Servilius Ahala, quum essent optime de republica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt: damnatique comitiis centuriatis quum in exsilium profugissent, rursus ab eodem

[1]) de Senect. c. 13. § 45. — [2]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 12. § 10.) [3]) Ibid. § 4. — [4]) de Off. II. c. 8. § 26. — [5]) pro Domo sua c. 32. § 86.

populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti. Fortis[1] et constans in optima ratione civis P. Popillius semper fuit: tamen eius in omni vita nihil est iam ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. Quis enim iam meminisset, eum bene de republica meritum, nisi et ab improbis expulsus esset et per bonos restitutus? Q. Metelli praeclarum imperium in re militari fuit, egregia censura, omnis vita plena gravitatis: tamen huius viri laudem ad sempiternam memoriam temporis calamitas propagavit.

VII. 18. Quod[2] si his damnatis non modo non imminuit calamitas clarissimi nominis gloriam, sed etiam honestavit: (nam, etsi optabilius est, cursum vitae conficere sine dolore et sine iniuria; tamen ad immortalitatem gloriae plus affert, desideratum esse a suis civibus, quam omnino numquam esse violatum:) mihi, sine ullo iudicio populi profecto, tum amplissimis omnium iudiciis restituto, maledicti locum aut criminis obtinebit? Pro[3] me non, ut pro P. Popillio, nobilissimo homine, adolescentes filii, non propinquorum multitudo populum Romanum est deprecata: non, ut pro Q. Metello, summo et clarissimo viro, spectata iam adolescentia filius: non L. et C. Metelli, consulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat, non Luculli, Servilii, Scipiones, Metellarum filii, flentes ac sordidati populo Romano supplicaverunt. 19. Nihil[4] umquam senatus de P. Popillio decrevit, numquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta est. Tribuniciis sunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate senatus restituti; quum alter eorum senatui paruisset, alter vim caedemque fugisset. Nam C. quidem Marius, qui hac homi-

[1]) Ibid. § 87. — [2]) Ibid. § 86. — [3]) post redit. in Sen. c. 15. § 37. — [4]) Ibid. § 38.

num memoria tertius ante me consularis tempestate civili expulsus est, non modo a senatu non est restitutus, sed reditu suo senatum cunctum paene delevit. Nulla de illis magistratuum consensio, nulla ad rempublicam defendendam populi Romani convocatio, nullus Italiae motus, nulla decreta municipiorum et coloniarum exstiterunt. Me autem senatus auctoritas arcessivit, populus Romanus revocavit, respublica imploravit, Italia cuncta paene suis humeris reportavit.

VIII. 20. Neque[1] tamen, haec quum scribebam, eram nescius, quae[2] sint in hoc genere vitia. Et verecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum, et praetereant, si quid reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant et dicant, verecundiores esse praecones: ludorum gymnicorum, qui, quum ceteris coronas imposuerint victoribus eorumque nomina magna voce pronuntiarint, quum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, aliium praeconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores esse praedicent. 21. Haec nos vitare cupimus. Nihil[3] enim umquam de me dixi sublatius, asciscendae laudis caussa potius, quam criminis depellendi. Quis[4] umquam audivit, quum ego de me, nisi coactus ac necessario, dicerem? Nam si, quum mihi furta, largitiones, libidines obiiciuntur, ego respondere soleo, meis consiliis, periculis, laboribus patriam esse conservatam, non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quam de obiectis non confiteri. Praestitimus[5] enim patriae non minus certe, quam debuimus: plus profecto,

[1]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 12. § 2.) — [2]) Ibid. § 8. — [3]) pro Domo sua c. 36. § 95. — [4]) Ibid. c. 35. § 93. — [5]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 13. § 4.)

quam est ab animo cuiusquam aut consilio hominis postulatum. Quare [1] non modo iam nemo est tam imperitus, qui ea, quae gessi in consulatu, peccata esse dicat: sed nemo est tam inimicus patriae, qui non meis consiliis patriam conservatam esse fateatur. 22. Ego [2] autem, — qui, sicut omnes sciunt, in foro iudiciisque ita versatus sum, ut eiusdem aetatis aut nemo aut pauci plures causas defenderint; et qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis dabatur, in his studiis laboribusque consumpsi, quo paratior ad usum forensem promptiorque esse possem: — intelligo [3], quam scopuloso difficilique in loco verser. Nam quum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. Quamobrem nihil dicam de meo ingenio: neque est, quod possim dicere: neque, si esset, dicerem. Aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est: aut, si id parum est, ego maius id commemorando facere non possum.

Sed [4] quid opus est plura? Iam enim — ut [5] totum me non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni possitis cognoscere — de [6] me sic habetote.

IX. 23. Natus [7] sum III. Nonas Ianuarias, coss. [8] C. Atilio Serrano, Q. Servilio Caepione; quum, Scaevola in rostris sedente tribuno, suasit Serviliam legem Crassus, qui [9], versatus in omni fere genere caussarum, mature in locum principum oratorum venit. Mihi [10] quidem a pueritia quasi magistra fuit illa in legem Caepionis oratio: in qua et

---

[1]) pro Domo sua c. 27. § 72. — [2]) Divinat. in Caecil. c. 13. § 41. [3]) Ibid. c. 12. § 36. — [4]) de Senect. c. 1. § 3. — [5]) Brut. c. 91. § 313. [6]) de Amic. c. 2. § 10. — [7]) ad Att. XIII. 42. § 2. — [8]) Brut. c. 43. § 161. [9]) Ibid. § 159. — [10]) Ibid. c. 44. § 164.

auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et invidia concitatur in iudicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt; plura etiam dicta, quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis intelligi potest. 24. Sed [1] haec Crassi quum edita oratio est, quattuor et triginta tum habebat annos totidemque annis mihi aetate praestabat. His enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, quum ipse esset Q. Caepione consule natus et C. Laelio, triennio ipso minor, quam Antonius. Quod idcirco posui, ut, dicendi Latine prima maturitas in qua aetate exstitisset, posset notari et intelligeretur, iam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior.

X. 25. Arpinum [2] est mea et fratris mei germana patria: hinc enim orti stirpe antiquissima sumus: hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia. Quid plura? hic vides villam, ut nunc quidem est, latius aedificatam patris nostri studio: qui quum esset infirma valetudine, hic fere aetatem egit in litteris. Sed hoc ipso in loco, quum avus viveret, et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Quare inest nescio quid, et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet. 26. Maxima [3] est enim vis vetustatis et consuetudinis, quum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus; siquidem [4] etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut

[1]) Ibid. c. 43. § 161. — [2]) de Legib. II. c. 1. § 3. — [3]) de Amic. c. 19. § 68. — [4]) de Legib. II. c. 1. § 3.

videret, immortalitatem scribitur repudiasse. Nam[1] et Arpinum

τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ τοιοτρόφος. οὔτι ἔγωγε
ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Equidem[2] huc quoties veniam, satiari non queo: magnificasque villas et pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno. Ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, quis non, quum haec videat, irriserit? 27. Illa[3] autem insula, quae est in Fibreno, nihil[4] est amoenius. Ubi enim hic quasi rostro findítur Fibrenus, et divisus aequaliter in duas partes latera insulae alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, tantum complectitur, quod satis sit modicae palaestrae, loci: quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem, statim praecipitat in Lirem et, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorem facit. Quare[5] illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito, sive quid aut scribo aut lego; saepiusque[6] recordari mihi placet, aestuantem me, quum vim caloris non facile paterer, in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse.

XI. 28. Mitto[7] iam quaerere de amoenitate[8] huius loci et salubritate: illud[9] quaero, peregrinum cur me esse dixerint. Hoc[10] enim dicebant, me esse ex municipio. Fateor, et addo etiam, ex eo municipio, unde iterum iam salus huic urbi imperioque missa est: in quemcumque[11] enim Arpinatem incideris, etiamsi nolis, erit tamen tibi,

---

[1]) ad Att. II. 11. § 2. — [2]) de Legib. II. c. 1. § 2. — [3]) Ibid. § 1. — [4]) Ibid. c. 3. § 6. — [5]) Ibid. c. 1. § 1. — [6]) Tusc. V. c. 26. § 74. — [7]) pro Sulla c. 7. § 22. — [8]) de Legib. II. c. 1. § 3. — [9]) pro Sulla c. 7. § 22. [10]) Ibid. § 23. — [11]) pro Plancio c. 8. § 20.

fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid certe de C. Mario audiendum. Recte[1] igitur Magnus ille noster, pluribus audientibus, posuit in iudicio, quum pro Balbo mecum simul diceret, *rempublicam nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conservatores exstitissent.* 29. Sed[2] scire pervelim, quamobrem, qui ex municipiis veniant, peregrini esse videantur? Nemo enim istuc M. illi Catoni seni, quum plurimos haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo M'. Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, quum ei multi inviderent, obiecit unquam. Ego[3] mehercule et illis et omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam naturae, alteram civitatis. Ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita, quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris; et ut Attici, priusquam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, et sui erant iidem et Attici: sic nos et eam patriam dicimus, ubi nati, et illam, a qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam praestare, in qua reipublicae nomine iuris communitas est; pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus: dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo.

XII. 30. Et[4] avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam: excitabat enim fluctus in simpulo, ut di-

[1]) de Legib. II. c. 3. § 6. — [2]) pro Sulla c. 7. § 23. — [3]) de Legib. II. c. 2. § 5. — [4]) de Legib. III. c. 16. § 36.

citur, Gratidius, quos post filius eius Marius in Aegaeo excitavit mari. Ac nostro quidem, quum res esset ad tempus sedata, Scaurus consul, *Utinam*, inquit, *M. Cicero, isto animo atque virtute in summa republica nobiscum versari, quam in municipali maluisses!* 31. Patris[1] nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium in nobis erudiendis egregium. Et[2] matrem nostram sic olim facere memini; quae lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae. 32. L. Cicero[3], patruus: qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decessit. Ex[4] quo, humanissimo homine, quamquam de Antonio saepe acceperam, quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset; tamen ipse adolescentulus, quantum illius incuntis aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo saepe quaesivi. 33. L. Cicero L. F.[5], frater noster, cognatione patruelis, amore germanus: qui una nobiscum et cum Q. fratre et T. Pomponio et M. Pisone Athenis Antiochum audivit in eo gymnasio, quod Ptolemaeium vocatur. Cuius[6] morte magnum dolorem accepi, et magno fructu sum privatus et forensi et domestico. Nam mihi omnia, quae iucunda ex humanitate alterius et moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. 34. C. Aculeo[7], propinquus noster: quocum erat nostra matertera: eques[8] Romanus, homo acutissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus eruditus, qui ita tenuit ius civile, ut ei nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur. 35. Huius[9] filius C. Visellius Varro, vir doctus in primis, consobrinus meus. Is quum post curulem

---

[1]) de Orat. II. c. 1. § 1. — [2]) Q. Cic. Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 26. § 2.) — [3]) de Orat. II. c. 1. § 2. — [4]) Ibid. § 3. — [5]) de Fin. Bon. et Mal. V. c. 1. § 1. — [6]) ad Att. I. 5. § 1. — [7]) de Orat. II. c. 1. § 2. [8]) de Orat. I. c. 43. § 191. — [9]) Brut. c. 76. § 264.

aedilitatem iudex quaestionis esset, est mortuus: in quo fateor vulgi iudicium a iudicio meo dissensisse. Nam populo non erat satis vendibilis: praeceps quaedam et quum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida et celeritate caecata oratio; sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem. Praeterea perfectus in litteris iurisque civilis iam a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam.

XIII. 36. Equidem [1], ut ad me revertar, ab his fontibus profluxi ad hominum famam, et meus forensis labor vitaeque ratio dimanavit ad existimationem hominum paullo latius commendatione ac iudicio meorum. Nam [2] mihi quidem de meis maioribus dicendi facultas non datur: non, quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine oriundos disciplinisque institutos videtis; sed quod laude popularí atque honoris publici luce caruerunt. Sed [3] tamen monendum esse etiam atque etiam puto: Non possunt omnes esse patricii. Si verum quaeris, ne curunt quidem: nec [4] ego me a M'. Tullio esse dicam, qui patricius cum Servio Sulpicio consul anno x. post exactos reges fuit. 37. Sed [5] equitis Romani filio, non idem [6] mihi licebat, quod iis, qui nobili genere nati sunt; quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur: longe alia mihi lege in hac civitate et conditione vivendum fuit. Venit enim mihi in mentem M. Catonis, hominis sapientissimi et vigilantissimi: qui quum se virtute, non genere, populo Romano commendari putaret, quum ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari vellet, hominum potentissi-

[1]) pro Caelio c. 3. § 6. — [2]) de l. Agraria II. c. 1. §. 1. — [3]) pro Sulla c. 8. § 23. — [4]) Brut. c. 16. § 62. — [5]) pro Murena c. 8. § 17. — [6]) in Verrem Act. II. L. V. c. 70. § 180.

maorum susceptit inimicitias et maximis in laboribus usque ad summum senectutem summa cum gloria vixit. Postea Q. Pompeius, humili atque obscuro loco natus, nonne plurimis inimicitiis maximisque suis periculis ac laboribus amplissimos honores est adeptus? Modo C. Fimbriam, C. Marium, C. Cinnam videmus non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendere, ut ad istos honores pervenirent, ad quos patricii per ludum et per negligentiam perveniunt. Haec eadem fuit nostrae rationis regio et via: horum nos hominum sectam atque instituta persecuti sumus. 38. Videbamus, quanta caeci in invidia, quantoque in odio apud quosdam homines nobiles noverum hominum virtus et industria: si tantulum oculos deiiceremus, praesto esse insidias: si ullum locum aperiremus suspicioni aut crimini, accipiendum esse statim vultus; esse nobis semper vigilandum, semper laborandum videbamus. Etenim tacitae magis et occultae inimicitiae timendae sunt, quam indictae atque apertae. Hominum nobilium nam fere quisquam nostrae industriae favebat: nullis nostris officiis benevolentiam illorum allicere poteramus: quasi natura et genere disiuncti essent, ita dissidebant a nobis animo et voluntate. 39. Ego[1] vero tanto intervallo claustra ista nobilitatis refregi, ut aditus ad consulatum posthac, sicut apud maiores nostros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti pateret. Quamobrem[2] quivis habeat me ipsum sibi documento, quem equestri ortum loco consulem vidit, quae vitae via facillime viros bonos ad honorem dignitatemque perducat. Ego[3] enim huc, a me ortus et per me nixus, ascendi.

XIV. 40. Ante[4] nostram memoriam et mos ipse patrius

[1]) pro Murena c. 8. § 17. — [2]) pro l. Agraria 1. c. 8. § 27. — [3]) pro Plancio c. 27. § 67. — [4]) de Republ. V. c. 1. § 1.

praestantes viros adhibebat, et veterem morem ac maiorum instituta retinebant excellentes viri; unde Ennius

Moribus antiquis res stat Romana virisque:

quem quidem ille versum vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri praefuissent, aut fundare aut tamdiu tenere potuissent tantam et tam iuste lateque imperantem rempublicam. 41. Nostra vero aetas, quum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed iam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem eius et extrema tamquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuria, cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodammodo docenda caussa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rempublicam verbo retinemus, re ipsa vero iam pridem amisimus. 42. Saepe[1] audivi a maioribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant, nostros[2] olim homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant illi Sex. Aelium, meminerant M'. Manilium transvero ambulantem foro; quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam; ad quos olim et ita ambulantes et in solio sedentes domi sic adiibatur, non solum ut de iure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de

[1]) de Senect. c. 13. § 43. — [2]) de Orat. III. c. 33. § 133.

[illegible] denique aut officio aut negotio referretur. 43. Haec [illegible] P. Crassi illius veteris, haec Ti. Coruncanii, haec Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur; iidemque et in senatu et apud populum et in caussis amicorum et domi et militiae consilium suum fidemque praestabant. Quid enim M. Catoni praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque subtilitatem defuit? num, quia ius civile didicerat, caussas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? Utroque in genere et elaboravit et praestitit. Num propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam tardior in republica capessenda fuit? Nemo ad populum fortior, nemo melior senator; idem facile optimus imperator; denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non quum investigarit et scierit tum etiam conscripserit.

XV. 44. Nunc contra plerique ad honores adipiscendos et ad rempublicam gerendam nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit unus e multis, effert se, si unum aliquid affert, aut bellicam virtutem aut usum aliquem militarem (quae sane nunc quidem obsoleverunt), aut iuris scientiam, (ne eius quidem universi; nam pontificium, quod est coniunctum, nemo discit) aut eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant; omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt. 45. Nec [1] vero tantum mali est peccare principes (quamquam est magnum hoc per se ipsum malum) quantum illud, quod

[1]) de Legib. III. c. 14. § 31.

permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse: quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eamdem in populo secutam. Idque haud paullo est verius, quam quod Platoni nostro placet, qui, musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari civitatum status. Ego autem, nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum puto. 46. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt, ipsi quod corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. Atque haec lex, dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. Pauci enim, atque admodum pauci, honore et gloria amplificati, vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt.

Sed haec et nunc satis, et in aliis libris tractata sunt diligentius. Quare ad reliqua veniamus.

XVI. 47. Quum[1] nos et Quintus frater cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quae Crasso placerent, et ab his doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur: magna[2] nobis pueris opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset; M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse; erantque multi, qui, quamquam non ita sese rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio dicendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent, ut, si homines non eruditi summam essent

[1]) de Orat. II. c. 1. § 2. — [2]) Ibid. § 1.

prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor et stultum in nobis erudiendis patris nostri studium videretur. Quos tum, ut pueri, refutare domesticis testibus, patre, et C. Aculeone, et L. Ciceronе, patruo, solebamus; quod de Crasso pater, et Aculeo, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinaque saepe narravit. 48. Nunc [1] ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. Nihil [2] enim mihi quidem videtur in Crassi et Antonii sermone esse praeteritum, quod quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur. Ac [3] mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio; quae, nisi subest res ab oratore percepta et cognita, inanem quamdam habet elocutionem et paene puerilem. 49. Est igitur [4] et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est; et ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum; et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus perspiciendi; quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis expromenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio libero digna, celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate coniuncta. Tenenda praeterea

[1]) Brut. c. 36. § 138. — [2]) de Orat. II. c. 3. § 11. — [3]) Ibid. I. c. 6. § 20. — [4]) Ibid. I. c. 5. § 17.

est omnis antiquitas exemplorumque vis; neque legum ac iuris civilis scientia negligenda est. 50. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est; quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat; in qua quum omnes in oris et vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria? Quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi praeclarissima fuerint in oratore, peritura. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est.

XVII. 51. Sed [1], si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si huiusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis A. Licinius Archias, qui [2] a L. Crasso colebatur, fructum [3] a me repetere prope suo iure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. 52. Qui [4] ut primum ex pueris excessit, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit: primum Antiochiae (nam ibi natus est, loco nobili,

[1]) pro Archia c. 1. § 1. — [2]) Ibid. c. 3. § 6. — [3]) Ibid. c. 1. § 1. — [4]) Ibid. c. 3. § 4.

celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti,) celeriter ei antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia sic eius adventus celebrabantur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena Graecarum artium ac disciplinarum, studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis, et hic Romae, propter tranquillitatem reipublicae, non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt: et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. 53. Hac tanta celebritate famae quum esset iam absentibus notus, Romam venit, Mario consule et Catulo. Nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter quum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli, quum praetextatus etiam tum Marcus esset, eum domum suam receperunt. Erat[1] temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico et eius pio filio; audiebatur a M. Aemilio; vivebat cum Q. Catulo, et patre et filio: Lucullos vero et Drusum et Octavios et Catonem et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine quum teneret, afficiebatur summo honore, quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant. 54. Quoties[2] ego hunc Archiam vidi, quum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore! quoties revocatum eamdem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis!

---

[1]) Ibid. § 6. — [2]) Ibid. c. 8. § 18.

Quae vero accurate cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? praesertim [1] quum omne olim studium atque omne ingenium contulerit ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam?. Nam et Cimbricas res adolescens attigit, et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit. Mithridaticum [2] vero bellum, magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant.

XVIII. 55. Sed [3], ut ad propositum redeat oratio; equidem [4] memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse L. Plotium quemdam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. Nec [5] etiam me hoc iam dicere pudebit, nos ea, quae consecuti sumus, his studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque traditae. Quare [6] etiam meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto, id est, ad Graecos ire iubeo, ut ea a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur. 56. Verumtamen [7] hoc dico de toto genere Graecorum: tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam, si qua sibi alia

---

[1]) Ibid. c. 9. § 19. — [2]) Ibid. c. 9. § 21. — [3]) Tusc. IV. c. 2. § 5. — [4]) Fragm. Epist. ad M. Titinium, apud Sueton. de Clar. Rhetor. c. 2. (in edit. Nobbii p. 1809, n. 222.) — [5]) ad Quintum Fr. I. 1. c. 9. § 23. — [6]) Academ. Poster. I. c. 2. § 8. — [7]) pro Flacco c. 4. § 9.

sumunt, non repugno. Sint[1] ista Graecorum: quoniam ab his philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus: sed[2] tamen tota natio minime me delectat: pertaesum est levitatis, assentationis, animorum non officiis, sed temporibus servientium. Eorum[3] autem totae respublicae sedentis concionis temeritate administrantur. Itaque, ut hanc Graeciam, quae iamdiu suis consiliis perculsa et afflicta est, omittam: illa vetus, quae quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum. Quum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique, consederant; tum bella inutilia suscipiebant, tum seditiosos homines reipublicae praeficiebant, tum optime meritos cives e civitate eiiciebant. 57. Quid[4] iam calamitates clarissimorum virorum iniuriasque iis ab ingratis impositas civibus colligam? Notissima sunt exempla, Miltiadem victorem domitoremque Persarum, nondum sanatis vulneribus iis, quae corpore adverso in clarissima victoria accepisset, vitam ex hostium telis servatam in civium vinculis profudisse, et Themistoclem patria, quam liberavisset, pulsum atque proterritum non in Graeciae portus per se servatos, sed in barbariae sinus confugisse, quam afflixerat.

XIX. 58. Neque[5] tamen ego, quum de vitiis gentis loquor, neminem excipio. Et[6], si quis unquam de nostris hominibus a gente ista studio ac voluntate non abhorrens fuit, me et esse arbitror, et magis etiam tum, quum plus erat otii, fuisse: quorum[7] libros quum studiosius legerem, sentiebam orationem meam illorum tactu quasi colorari.

---

[1]) de Finib. Bon. et Mal. II. c. 21. § 68. — [2]) ad Quintum Fr. I. 2. c. 2. § 4. — [3]) pro Flacco c. 7. § 16. — [4]) de Republ. I. c. 3. § 5. — [5]) pro Scauro c. 2. § 44. — [6]) pro Flacco c. 4. § 9. — [7]) de Orat. II. c. 14. § 60.

Sunt [1] autem in illo numero multi boni, docti, prudentes. 59. Nam [2] in poetis non Homero soli locus est aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos: quibus [3] carere in hoc quidem studiorum genere non possumus; nam, ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla repetenda. Septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur et vocarentur. Hi omnes, praeter Milesium Thalen, civitatibus suis praefuerunt. Quis doctior iisdem illis temporibus aut cuius eloquentia litteris instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut litteris doctrinaque praestaret. 60. Nostrorum [4] hominum nemo studet eloquentiae, nisi ut in caussis atque in foro elucear: apud Graecos autem eloquentissimi homines, remoti a caussis forensibus, quum ad ceteras artes illustres, tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt. Namque et Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in caussis nihil omnino versatum esse accepimus: atqui tanta est eloquentia, ut me quidem magno opere delectet; et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in republica versatus, ex numero accepimus eorum, qui caussas dictitarunt; et hos libros tum scripsisse dicitur, quum a republica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in ex-

[1]) pro Flacco c. 4. § 9. — [2]) Orator c. 1. § 4. — [3]) de Orat. III. c. 34. § 137. — [4]) de Orat. II. c. 13. § 55.

silium pulsus esset. 61. Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui, quum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea vero, quasi ex clarissima rhetoris officina, duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt; caussas omnino numquam attigerunt. 62. Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam, et hic quidem rhetorico paene more; ille autem superior leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat, vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timaeus, quantum autem iudicare possum, longe eruditissimus, et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.

XX. 63. Sed [1] in Graeciam quum intueor, maxime mihi occurrunt et quasi lucent illae [2] omnium doctrinarum inventrices Athenae, in quibus summa dicendi vis et inventa est et perfecta, primumque [3] etiam monumentis et litteris oratio est coepta mandari. Qua in urbe Themistocles [4] fuit; quem constat quum prudentia tum etiam eloquentia praestitisse; post Pericles, qui quum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. De [5] cuius dicendi vi sic accepimus, ut, quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae, severius tamen id ipsum, quod ille contra

[1]) Brut. c. 7. § 26. — [2]) de Orat. I. c. 4. § 13. — [3]) Brut. c. 7. § 26. [4]) Ibid. § 28. — [5]) de Orat. III. c. 34. § 138.

populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur: cuius in labris veteres comici, etiam quum illi male dicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. Itaque hic, doctrina, consilio, eloquentia excellens, quadraginta annos praefuit Athenis et urbanis eodem tempore et bellicis rebus. 64. Huic[1] aetati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes: qui[2] civitatibus suis quidem non boni, sed certe docti atque eloquentes, et Socraticis erant disputationibus eruditi. Quibus[3] temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidi scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves et ob eam ipsam caussam interdum subobscuri. 65. Exstitit[4] iam senibus illis, quos diximus, Isocrates; cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi; magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo quidem iudicio postea est consecutus. Is et ipse scripsit multa praeclare et docuit alios; et quum cetera melius, quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quemdam oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat, eam dedita opera esse quaesitam. 66. Tum[5] fuit Lysias, ipse quidem in caussis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor atque elegans, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. Nam plane quidem perfectum et cui nihil admodum desit, De-

[1]) Brut. c. 7. § 29. — [2]) de Orat. III. c. 34. § 139. — [3]) Brut. c. 7. § 29. — [4]) Ibid. c. 8. § 32. — [5]) Ibid. c. 9. § 35.

mosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil (ut ita dicam) subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil prosse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius. Huic Hyperides proximus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus et is, cuius nulla exstant scripta, Demades aliique plures. Haec enim aetas effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor.

XXI. 67. Sed[1] ut intellectum est, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. Tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus in honore magno fuit; aliique multi temporibus eisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. Quos[2] veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semperque esse in omni orationis ratione versatos. 68. Ex quibus Eleus Hippias, quum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem et poetarum, atque illa, quae de naturis

[1]) Brut. c. 8. § 30. — [2]) de Orat. III. c. 32. § 127.

rerum, quae de hominum moribus, quae de rebuspublicis dicerentur; sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus, sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de praeclarissimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint. 69. Quid de Prodico Ceo? quid de Thrasymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unus quisque plurimum temporibus illis etiam de natura rerum et disseruit et scripsit. Ipse ille Leontinus Gorgias, ut est in illo ipso Platonis libro, de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur; isque princeps ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire; cui tantus honos habitus est a Graecia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Atque ii, quos nominavi, multique praeterea summi dicendi auctores uno tempore fuerunt.

XXII. 70. His[1] opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat; primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur, inventa esse dicitur. Huius ex uberrimis sermonibus exstiterant doctissimi viri. Longe[2] vero omnium, quicumque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate princeps Plato. Quis[3] enim uberior in dicendo Platone? levem aiunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui: ut[4] Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt. 71. Quis[5] Aristotele nervosior, Theo-

[1]) Brut. c. 8. § 31. — [2]) Orator c. 19. § 62. — [3]) Brut. c. 31. § 121. — [4]) Orator c. 19. § 62. — [5]) Brut. c. 31. § 121.

phrasto dulcior? Quorum[1] hic, elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus, divinitate[2] loquendi nomen invenit. Ille[3], quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ipse suas disputationes a caussis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suae versumque quemdam Philoctetae paullo secus dixit. Ille enim *turpe* sibi ait *esse tacere*, *quum barbaros*, hic autem, *quum Isocratem paterotur dicere*. Itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille et agendi acciperet praecepta et eloquendi. 72. Quamquam[4] igitur et philosophi quidam ornate locuti sunt, tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet. Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quam incitare: sic de rebus placatis ac minime turbulentis docendi caussa, non capiendi loquuntur, ut in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, quam forensem dicimus, secernere. Mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris, sed soluta liberius; nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil miserabile, nihil astutum; casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Itaque sermo potius, quam oratio, dicitur. Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. 73. Sophistarum, de quibus

[1]) Tusc. V. c. 9. § 24. — [2]) Orator c. 19. § 62. — [3]) de Orat. III. c. 35. § 141. — [4]) Orator c. 19. § 62.

supra dixi, magis distinguenda similitudo videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi. Sed hoc differunt, quod, quum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere, quam delectare; ei apertius id faciunt, quam nos, et crebrius, concinnas magis sententias exquirunt, quam probabiles, a re saepe discedunt, intexunt fabulas, verba altius transferunt eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum, paria paribus referunt, adversa contrariis, saepissimeque similiter extrema definiunt.

Sed [1] de Graecis hactenus; etenim haec ipsa forsitan fuerint non necessaria.

XXIII. 74. Postea [2] tamen, redeundum est enim ad propositum, ad [3] meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci. Nam [4] ipsum Latine loqui est illud quidem in magna laude ponendum, sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum. Non enim tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire; neque tam id mihi oratoris boni, quam civis Romani proprium videtur. 75. Ego [5] autem satis mirari non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium. Non est omnino hic docendi locus: sed ita sentio et saepe disserui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putant, sed locupletiorem etiam esse, quam Graecam. Quando enim nobis, vel dicam, aut oratoribus bonis aut poetis, postea quidem quam fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copiosae vel elegantis ornatus defuit? 76. Vestigia [6] autem huius

[1]) Brut. c. 13. § 52. — [2]) de Off. II. c. 8. § 29. — [3]) Ibid. I. c. 1. § 1. [4]) Brut. c. 37. § 140. — [5]) de Finib. Bon. et Mal. I. c. 3. § 10. — [6]) Tusc. IV. c. 2. § 3.

rei, quamquam multa colligi possunt, paucis tamen utemur, quoniam non id agitur hoc tempore. Quem[1] enim nos *ineptum* vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod *non* sit *aptus*, idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio. Itaque quod vim huius mali Graeci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quaeras omnia, quomodo Graeci ineptum appellent, non reperies. 77. Interest[2] aliquid inter *laborem* et *dolorem*. Sunt finitima omnino, sed tamen differunt aliquid. Labor est functio quaedam vel animi vel corporis gravioris operis et muneris: dolor autem motus asper in corpore, alienus a sensibus. Haec duo Graeci illi, quorum copiosior est lingua, quam nostra, uno nomine appellant. Itaque industrios homines illi *studiosos* vel potius *amantes doloris* appellant: nos commodius *laboriosos*. Aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia! Aliud, inquam, est dolere, aliud laborare. Quum varices secabantur C. Mario, dolebat: quum aesta magno ducebat agmen, laborabat.

Sed iam[3] sentio, me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet. Pergamus[4] ergo ad reliqua et institutum ordinem persequamur.

XXIV. 78. In[5] quotidianis commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem

---

[1]) de Orat. II. c. 4. § 17. — [2]) Tusc. II. c. 15. § 35. — [3]) de Finib. Bon. et Mal. III. c. 22. § 74. — [4]) Brut. c. 43. § 158. — [5]) de Orat. I. c. 34. § 154.

maxime, qua C. Carbonem solitum esse uti sciebam, ut, aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis, pronuntiarem. Sed post animadverti hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. 79. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea. Tum [1] quoque carmina Arati a me admodum adolescentulo sunt conversa: deinde [2] verti, ut quaedam Homeri, sic [3] multa de Graecis. Et [4] Xenophontis Socratici librum, qui *Oeconomicus* inscribitur, e Graeco in Latinum convertimus. 80. Ex [5] Atticis autem oratoribus converti duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias, Aeschini Demosthenique; nec converti ut interpres, sed ut orator sententiis iisdem et earum formis tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi. Non enim ea me adnumerare lectori putavi oportere, sed tamquam appendere.

---

[1]) De Nat. Deor. II. c. 41. § 104. — [2]) de Finib. Bon. et Mal. V. c. 18. § 49. — [3]) Tusc. II. c. 11. § 26. — [4]) de Off. II. c. 24. § 87. — [5]) de Optimo gen. Orat. c. 5. § 14.

XXV. 81. Et [1] a primo tempore aetatis Iuri studere me memini, quum Atticus etiam ad Scaevolam ventitaret. Sed [2] tantum iuris civilis scire volui, quantum satis esset oratori: nam [3], quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, in eo studio aetatem consumpsi. Neque [4] tamen umquam ita me ad dicendum dedi, ut ius civile contemnerem. Quid [5] enim est tantum, quantum ius civitatis? quod [6] ignorari ab iis, qui in republica versantur, turpissimum puto. 82. Nam [7] qui ius civile contemnendum putat, is vincula revellit non modo iudiciorum, sed etiam utilitatis vitaeque communis; et profecto nihil est in civitate tam diligenter, quam ius civile, retinendum. Etenim, hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum aut quid alienum sit; nihil est, quod aequabile inter omnes atque unum omnibus esse possit. Sed [8] in iure cavere, consilio iuvare, atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet et ad gratiam. Itaque quum multa praeclara maiorum, tum quod optime constituti iuris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio. Et [9] profecto magna laus est et grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quae sit multis profutura. 83. Atque [10] huic arti finitima est dicendi gravior facultas et gratior et ornatior. Iam [11] vero, domina rerum, ut solet dici, eloquendi vis, quam est praeclara, quamque divina! quae primum efficit, ut et ea, quae ignoramus, discere, et ea, quae sci-

---

[1]) de Legib. I. c. 4. § 13. — [2]) Brut. c. 40. § 150. — [3]) de Off. I. c. 1. § 2. — [4]) de Legib. I. c. 4. § 13. — [5]) Ibid. § 14. — [6]) Ibid. III. c. 20. § 48. — [7]) pro Caecina c. 25. § 70. — [8]) de Off. II. c. 19. § 65. — [9]) pro Murena c. 9. § 19. — [10]) de Off. II. c. 19. § 66. — [11]) de Nat. Deor. II. c. 59. § 148.

mus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasque restinguimus; haec nos iuris, legum, urbium societate devinxit, haec a vita immani et fera segregavit. 84. Et [1] quis umquam dubitavit, quin in republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis pacatisque rebus, secundas iuris scientia? quum in altera gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset; in altera praescriptionum cautionumque praeceptio, quae quidem ipsa auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones finesque defenderet. Praeclarae [2] igitur duae artes sunt atque inter se pares et eiusdem sociae dignitatis.

XXVI. 85. Sed [3], ut ius civile docere semper pulchrum fuit, ita hominum quoque clarissimorum discipulis floruerunt domus. Nam [4] facillime et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros, bene consulentes reipublicae, contulerunt: quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. Quare [5] ego etiam a patre ita sum deductus ad Scaevolam, sumpta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabam fierique studebam eius prudentia doctior. 86. Is [6] oratorum in numero non fuit; iuris civilis intelligentia atque omni prudentiae genere praestitit. Cuius [7]

[1]) Orator c. 41. § 141. — [2]) de Orat. I. c. 55. § 236. — [3]) Orator c. 41. § 142. — [4]) de Off. II. c. 13. § 46. — [5]) de Amic. c. 1. § 1. — [6]) Brut. c. 26. § 102. — [7]) de Orat. I. c. 45. § 200.

ianua et vestibulum, in eius infirmissima valetudine affectaque iam aetate, maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebrabatur. Quem [1] ego memoria teneo, bello Marsico (quum [2] essem tiro in Cn. Pompeii, Sexti filii, exercitu), quum [3] esset summa senectute et perdita valetudine, quotidie, simul atque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem: neque eum quisquam illo bello vidit in lecto; senexque et debilis, primus veniebat in curiam. 87. Quo [4] mortuo, me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere, et [5] temperantiae prudentiaeque specimen. Qui [6] quidem quum peracutus esset ad excogitandum, quid in iure aut in aequo verum aut esset aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus: homo [7] omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus et ingenio prudentiaque acutissimus et oratione maxime limatus atque subtilis, atque, ut Crassus solebat dicere, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus.

XXVII. 88. Etsi [8] autem a prima aetate me omnis ars et doctrina liberalis, tamen maxime Philosophia delectavit. Et [9] cuius quidem potius opibus homines uterentur, quam philosophiae? Mater [10] enim omnium bonarum rerum est sapientia, a cuius amore Graeco verbo philosophia nomen invenit: qua nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum vitae datum est. 89.

---

[1]) Philipp. VIII. c. 10. § 31. — [2]) Philipp. XII. c. 11. § 27. — [3]) Philipp. VIII. c. 10. § 31. — [4]) de Amic. c. 1. § 1. — [5]) de Nat. Deor. III. c. 32. § 80. — [6]) Brut. c. 39. § 145. — [7]) de Orat. I. c. 39. § 180. — [8]) Epist. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 4. § 4). — [9]) Tusc. V. c. 2. § 5. — [10]) de Legib. I. c. 22. § 58.

Haec enim una nos quum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmetipsos nosceremus: cuius praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet: et, quum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principia rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias, animo ac mente conceperit: quibus illustratis, sapientia duce, bonum virum et ob eam ipsam caussam cernat se beatum fore. 90. Sapientiae[1] autem studium vetus id quidem in nostris: sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim. Quibus adolescentibus, Stoicum Diogenem et Academicum Carneadem video ad senatum ab Atheniensibus missos esse legatos; qui quum reipublicae nullam umquam partem attigissent, essetque eorum alter Cyrenaeus, alter Babylonius, numquam profecto scholis essent excitati, neque ad illud munus electi, nisi in quibusdam principibus, temporibus illis, fuissent studia doctrinae: qui, quum cetera litteris mandarent, alii ius civile, alii orationes suas, alii monumenta maiorum, hanc amplissimam omnium artium bene vivendi disciplinam vita magis, quam litteris persecuti sunt.

XXVIII. 91. Itaque illius verae elegantisque philosophiae, quae ducta a Socrate in Peripateticis adhuc perman-

---

[1]) Tusc. IV. c. 3. § 5.

sit, et idem alio modo dicentibus Stoicis, quum Academici eorum controversias disceptarent, nulla fere sunt aut pauca admodum Latina monumenta, sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum, sive etiam, quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur; quum interim, illis silentibus, C. Amafanius exstitit dicens: cuius libris editis commota multitudo contulit se ad eamdem potissimum disciplinam, sive quod erat cognitu perfacilis, sive quod invitabantur illecebris blandae voluptatis, sive etiam, quia nihil prolatum erat melius, illud, quod erat, tenebant. Post Amafanium autem multi eiusdem aemuli rationis, multa quum scripsissent, Italiam totam occupaverunt. 92. Sed [1] facile didici, non posse nos Amafanii aut Rabirii similes esse, qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant: nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putant. Quanto [2] igitur magis Phaedrus nobis, quum pueri essemus, antequam Philonem cognovimus, ut philosophus, postea tamen, ut vir bonus et suavis et officiosus, probabatur. Nam [3] Phaedro nihil elegantius, nihil humanius. Sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram. 93. Diodotum [4] vero Stoicum a puero audivi plurimum, quem et admirabar et diligebam; qui [5] caecus multos annos nostrae domi vixit. Is vero, quod credibile vix esset, quum in philosophia multo etiam magis assidue, quam antea, versaretur, et quum fidibus Pythagoreorum more uteretur, quumque ei libri noctes et dies legerentur; quibus in studiis oculis non egebat: tum, quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae

[1]) Acad. Post. I c. 2. § 5. — [2]) Epist. ad C. Memmium (ad Fam. XIII. 1. § 2.) — [3]) de Nat. Deor. I. c. 33. § 93. — [4]) Academ. Pr. II. c. 36. § 115. — [5]) Tusc. V. c. 39. § 112.

munus tuebatur, verbis praecipiens discentibus, unde, quo quamque lineam scriberent.

XXIX. 94. Totum[1] igitur illud philosophiae studium mihi quidem ipse sumpsi, et ad vitae constantiam quantum poteram, et ad delectationem animi: nec ullum arbitrabar, ut apud Platonem est, maius aut melius a diis datum munus homini. Soli[2] autem propemodum nos philosophiam illam veram et antiquam, quae quibusdam otii esse ac desidiae videtur, in forum atque in rempublicam atque in ipsam aciem paene deduximus. Ego[3] enim fateor, me oratorem, si modo sim aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse: illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia. 95. Sed et huius et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est et adiutus. Omnis enim ubertas et quasi silva dicendi ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas; quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. Sic eloquentia haec forensis, spreta a philosophis et repudiata, multis quidem illa adiumentis magnisque caruit, sed tamen ornata verbis atque sententiis iactationem habuit in populo nec paucorum iudicium reprehensionemque pertimuit. Ita et doctis eloquentia popularis et disertis elegans doctrina defuit.

XXX. 96. Positum sit igitur in primis, quod alio libro docuimus, sine philosophia non posse effici eloquentem; non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuvet, ut palaestra histrionem. Parva enim magnis saepe rectissime conferun-

[1]) Acad. Poster. I. c. 2. § 7. — [2]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam XV. 4. § 16. — [3]) Orator c. 3. § 12.

tur. Nam nec latius neque copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere; siquidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclem praestitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor; a quo, censet eum, quum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset, uberem et fecundum fuisse gnarumque — quod est eloquentiae maximum, — quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur: quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. 97. Nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus, nec iudicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus, sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intelligi posse? Ad has tot tantasque res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quae sola tum quidem tradebantur ab iis, qui dicendi numerabantur magistri. Quo fit, ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est et ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quaeritur. 98. Et[1] id quidem nemini video Graecorum contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret, sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit iudicium: utrumque

---

1) de Off. I. c. 1. § 3.

certe secuti sumus. Equidem et Platonem existimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere, et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronuntiare voluisset, ornate splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele et Isocrate iudico: quorum uterque, suo studio delectatus, contempsit alterum.

XXXI. 99. Nos [1] in forum venimus, quum Crassus esset mortuus, Cotta pulsus, iudicia intermissa bello, florescente Hortensio; qui [2] suos inter aequales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe praestitit: et me adolescentem nactus octo annis minorem, quam erat ipse, multos annos in stadio eiusdem laudis exercuit. Erat [3] Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum; Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius; exercebatur una lege iudicium Varia, ceteris propter bellum intermissis: qui frequentes aderant, quamquam pro se ipsi dicebant oratores, non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen, teste diserto uterque Philippo. 100. Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio, quamquam is quidem silebat, ut erat semel a concione universa relictus: Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, sed tamen non infans: diserti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius; et hi quidem habitabant in rostris. C. etiam Iulius, aedilis curulis, quotidie fere accuratas conciones habebat. Sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta quum est expulsus. Reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar quotidieque et scribens et legens

[1]) Brut. c. 88. § 303. — [2]) Ibid. c. 64. § 230. — [3]) Ibid. c. 89. § 304.

et commentans oratoriis tantum exercitationibus contentus non eram. 101. Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. Ego autem iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae Q. F., qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla consule et Pompeio fuit. Tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. Eodemque tempore, quum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, in quo hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. Occiderat Sulpicius illo anno, tresque proximo trium aetatum oratores erant crudelissime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius.

XXXII. 102. Triennium [1] fere, inter [2] profectionem reditumque L. Sullae, sine iure fuit et sine ulla dignitate respublica. Sed [3] oratorum aut interitu aut discessu aut fuga; (nam aberant etiam adolescentes M. Crassus et Lentuli duo;) primas in caussis agebat Hortensius; magis magisque quotidie probabatur Antistius; Piso saepe dicebat, minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. 103. Eram cum Stoico Diodoto; qui, quum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. A quo quum in aliis

[1]) Brut. c. 90. § 308. — [2]) Ibid. c. 63. § 227. — [3]) Ibid. c. 90. § 308.

rebus, tum studiosissime in dialectica excercebar; quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est; sine qua quis iudicet se illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi posse? Huic ego doctori et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. 104. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius, vel quod Graeca oratio, plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat, vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem neque doceri.

XXXIII. 105. Tum[1] de Inventione, prima ac maxima parte rhetoricae, quaedam[2] pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac aetate digna et hoc usu, quem ex caussis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus. Quod[3] quoniam nobis voluntatis acciderat, ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocumque essent in genere, exprimendae nobis necessario viderentur; sed, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsimus et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. Ex iis enim, qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur. Quapropter stultitia visa est, aut a bene inventis alicuius recedere, si quo in vitio eius offenderemur, aut ad vitia quoque eius

[1]) de Invent. II. c. 59. § 178. — [2]) de Orat. I. c. 2. § 5. — [3]) de Invent. II. c. 2. § 4.

accedere, cuius aliquo bene praecepto duceremur. 106. Primus[1] liber, exposito genere huius artis et officio et fine et materia et partibus, genera controversiarum et inventiones et constitutiones et iudicationes continebat, deinde partes orationis et in eas omnes omnia praecepta. Quare quum in eo ceteris de rebus distinctius dictum esset, disperse autem de confirmatione et de reprehensione, in altero certos confirmandi et reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitrabamur. Et quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expositum est, in altero tantum ipsa inventa unam quamque in rem exposita sunt simpliciter sine ulla exornatione, ut ex hoc inventa ipsa, ex superiore autem expolitio inventorum peteretur.

XXXIV. 107. Interim[2] L. Sulla, maximo et fortissimo exercitu, Mithridatem, bello invectum totam in Asiam, cum pace dimisit: quamquam[3] Mithridates omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit. Sed[4] ab eo bello Sullam in Italiam respublica revocabat; cui[5] respublica totam se tradidit, temporibus coacta et malis domesticis. Hic[6], qui potuit efficere, ab interrege ut dictator diceretur, tantum[7] potuit, ut nemo illo invito nec bona nec patriam nec vitam retinere posset: tantum animi habuit ad audaciam, ut diceret in concione non dubitaret, bona civium Romanorum quum venderet, se praedam suam vendere: qui[8] omnia sine ulla religione, quibus voluit, est dilargitus; qui[9]

---

[1]) Ibid. c. 3. § 11. — [2]) pro Murena c. 15. § 32. — [3]) pro l. Manilia c. 4. § 9. — [4]) Ibid. c. 3. § 8. — [5]) in Verrem Act. II. L. III. c. 35. § 81. — [6]) ad Att. IX. 15. § 2. — [7]) in Verrem Act. II. L. III. c. 35. § 81. — [8]) de l. Agraria II. c. 29. § 81. — [9]) pro Ligario c. 4. § 12.

omnes, quos oderat, morte mulctabat; qui ipse iubebat occidi, nullo postulante, praemiis etiam invitabat. 108. Sed[1] turbulentissimum fuit reipublicae tempus, quum adventu L. Sullae in Italiam maximi exercitus civium dissiderent de iudiciis ac legibus. Tumultus[2] pro recuperanda republica et crudelis interitus oratorum trium, Scaevolae, Carbonis, Antistii: reditus Cottae, Curionis, Crassi, Lentulorum, Pompeii; leges et iudicia constituta; recuperata respublica; ex numero autem oratorum Pomponius, Censorinus, Murena sublati.

XXXV. 109. Tum primum nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus, non ut in foro discceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum venirenus. Eodem tempore Moloni dedimus operam; dictatore enim Sulla, legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat; qui[3] prope soli bellum illud superius cum Mithridate rege gesserunt, omnesque eius copias acerrimumque impetum moenibus, littoribus classibusque suis exceperunt. Itaque[4] prima causa publica, pro Sex. Roscio dicta, qui[5] patrem occidisse arguebatur, tantum[6] commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna nostro patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas nos diligenter elaboratas et tamquam elucubratas afferebamus. 110. Atque[7] ego hanc etiam adolescentulus causam, quum agerem contra hominem disertissimum nostrae civitatis, Cottam, probavi. Quum Arretinae mulieris libertatem defenderem, et Cotta de-

---

[1]) pro Fonteio (loc. Niebuhr.) c. 1. § 6. — [2]) Brut. c. 90. § 311. — [3]) in Verrem Act. II. L. II. c. 65. § 159. — [4]) Brut. c. 90. § 312. — [5]) pro Roscio Amer. c. 13. § 37. — [6]) Brut. c. 90. § 312. — [7]) pro Caecina c. 33. § 97.

cemviris religionem iniecisset, non posse sacramentum nostrum iustum iudicari, quod Arretinis adempta civitas esset, et ego vehementius contendissem, civitatem adimi non potuisse; decemviri prima actione non iudicaverunt: postea, re quaesita et deliberata, sacramentum nostrum iustum iudicaverunt. Atque hoc, et contra dicente Cotta et Sulla vivo, iudicatum est.

XXXVI. 111. Erat[1] eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum; qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. Itaque quum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem, quodvis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi. 112. Semper[2] enim clarissimi viri nostrae civitatis temporibus optimis hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani ditionemque essent, iniurias propulsare eorumque fortunas defendere. Et[3] num quidquam est eloquentia praestabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Diserti igitur hominis et facile laborantis, quodque in patriis est moribus, multorum causas et non gravate et gratuito defendentis, beneficia et patrocinia late patent. 113. Sed[4] quum censerem remissione et modera-

[1]) Brut. c. 91. § 313. — [2]) Divinat. in Caecil. c. 20. § 66. — [3]) de Off. II. c. 19. § 66. — [4]) Brut. c. 91. § 314.

tione vocis et commutato genere dicendi me et periculum vitare posse et temperatius dicere, ut consuetudinem dicendi mutarem, ea caussa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque quum essem biennium versatus in caussis et iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus.

XXXVII. 114. Quum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui studiumque philosophiae, numquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavi. Quem [1] quidem, politissimum et acutissimum omnium nostrae memoriae philosophorum, ego [2] semper dilexi, meque ab eo diligi sensi. Appellabatur [3] Academicus; erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus, nam [4] dissentiebat tantum quibusdam in rebus ab his, quos amabat, Stoicis. 115. Praeter [5] hunc, et Phaedrum et Zenonem cum Attico nostro frequenter audivi; quum miraretur ille quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret; quocum [6] etiam, ut deditus Epicuro, multum fuit in Epicuri hortis. Quotidie [7] autem inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus: neque erat umquam controversia. Hic [8] ita Athenis se collocarat, ut esset paene unus ex Atticis; quem [9] non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo. 116. Sed [10], ne plura, (dicendum enim aliquando est) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem. Nihil est illo mihi nec carius nec iucun-

[1]) Academ. Pr. II. c. 35. § 113. — [2]) Fragm. Epist. ad C. Pansam (in edit. Nobbii p. 1300, n. 220. — [3]) Academ. Pr. II. c. 43. § 132. — [4]) Ibid. § 133. — [5]) de Finib. Bon. et Mal. I. c. 5. § 16. — [6]) Ibid. V. c. 1. § 3. — [7]) Ibid. I. c. 5. § 16. — [8]) Ibid. V. c. 2. § 4. — [9]) de Senect. c. 1. § 1. — [10]) Epist. ad C. Memmium (ad Fam. XIII. 1. § 5.)

dius. Mihi [1] enim perspecta est huius ingenuitas et magnitudo animi; neque ego inter me atque illum quidquam interesse umquam duxi praeter voluntatem institutae vitae: quod me ambitio quaedam ad honorum studium, ipsum autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. Vera quidem laude probitatis, diligentiae, religionis neque me Attico, neque quemquam antepono: amoris vero erga me, quum a paterno amore domesticoque discessi, huic primas defero. Vidi enim, vidi penitusque perspexi in meis variis temporibus et sollicitudines huius et laetitias. Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio huius iucunda et timoris consolatio grata. Postremo [2] non labor meus, non requies, non negotium, non otium, non forenses res, non domesticae, non publicae, non privatae carere Attici suavissimo atque amantissimo consilio ac sermone possunt.

XXXVIII. 117. Me [3] quidem ipsae illae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectabant, quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare esset solitus: studioseque eorum etiam sepulcra contemplabar. Moremur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia. Nec [4] sepulcra legens verebar, quod aiunt, ne memoriam perderem: his enim ipsis legendis in memoriam redibam mortuorum. 118. Veniteque [5] mihi Platonis in mentem: quem accepimus primum hic disputare solitum: cuius etiam illi hortuli non memoriam solum mihi afferebant, sed ipsum videbantur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo, cuius ipsam illam sessionem vidi-

[1]) ad Att. I. 17. § 5. — [2]) Ibid. § 6. — [3]) de Legib. II. c. 2. § 4. — [4]) de Senect. c. 7. § 21. — [5]) de Finib. Bon. et Mal. V. c. 1. § 2.

mus. Etiam [1] eum locum libenter invisi, ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt; quin in Phalericum etiam descendi: quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. Tum etiam paullum ad dextram de via declinavi, ut ad Periclis sepulcrum accederem. Quamquam id quidem infinitum est in hac urbe: quacumque enim ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus. 119. Mihi [2] vero quum multa eximia divinaque videbantur Athenae peperisse atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus: Initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.

XXXIX. 120. Eodem [3] tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam. Hoc [4] autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum, dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. 121. Sed [5] tamen, quae sit propria laus Atticorum, non alienum duco docere. Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui

[1]) Ibid. c. 2. § 5. — [2]) de Legib. II. c. 14. § 36. — [3]) Brut. c. 91. § 315. — [4]) Ibid. c. 13. § 49. — [5]) Orator c. 7. § 24.

audiunt, intuentur ad eamque et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant. Itaque Caria et Phrygia et Mysia, quod minime politae minimeque elegantes sunt, asciverunt aptum suis auribus opimum quoddam et tamquam adipatae dictionis genus, quod eorum vicini, non ita lato interiecto mari, Rhodii numquam probaverunt, Graeci multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt; quorum semper fuit prudens sincerumque iudicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire et elegans. Eorum religioni quum serviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. 122. Itaque hic, quem praestitisse diximus ceteris, in illa pro Ctesiphonte oratione longe optima summissus a primo, deinde, dum de legibus disputat, pressus, post sensim incendens iudices, ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. Ac tamen in hoc ipso, diligenter examinante verborum omnium pondera, reprehendit Aeschines quaedam et exagitat illudensque dira, odiosa, intolerabilia esse dicit. Quin etiam quaerit ab ipso, quum quidem eum belluam appellet, utrum illa verba, an portenta sint: ut Aeschini ne Demosthenes quidem videatur Attice dicere. Facile est enim, verbum aliquod ardens, ut ita dicam, notare idque restinctis iam animorum incendiis irridere. Itaque se purgans iocatur Demosthenes: negat in eo positas esse fortunas Graeciae, hoc an illo verbo usus sit, huc an illuc manum porrexerit. Quonam igitur modo audiretur Mysus aut Phryx Athenis, quum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus? Quum vero inclinata ululantique voce more Asiatico canere coepisset, quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri? 123. Ad Atticorum igitur aures teretes et religiosas qui se accommodant, ii sunt existimandi Attice dicere. Quorum genera plura sunt. Hi unum modo, quale sit, suspicantur; putant

enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum Attice dicere: errant, quod solum; quod Attice, non falluntur. Istorum enim iudicio si solum illud est Atticum, ne Pericles quidem dixit Attice, cui primae sine controversia deferebantur; qui si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus esset. Dicat igitur Attice venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias. — Quis enim id possit negare? — dum intelligamus, hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens atque ineptum. Ornate vero et graviter et copiose dicere aut Atticorum sit, aut ne sit Aeschines neve Demosthenes Atticus. 124. Ecce autem aliqui se Thucydidios esse profitentur, novum quoddam imperitorum et inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, caussidicum quemdam sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen et qui in forensibus caussis possit praeclare consistere. Thucydides autem res gestas et bella narrat et praelia, graviter sane et probe, sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum et publicum. Ipsae illae conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur; quod est in oratione civili vitium vel maximum. Nactus[1] sum etiam, qui Xenophontis similem esse se cuperet; cuius sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus.

XL. 125. Post[2] a me Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus; quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio tota Asia illis temporibus disertissimus; et, si nihil

[1]) Ibid. c. 9. § 32. — [2]) Brut. c. 91. § 315.

habere molestiarum nec ineptiarum Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes; erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramytenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. 126. Genera [1] autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis; qualis in historia Timaeus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater eius, fuit; quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum, quali est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum; in quo fuit Aeschylus Cnidius et meus aequalis Milesius Aeschines. In his erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. Haec autem genera dicendi aptiora sunt adolescentibus; in senibus gravitatem non habent. 127. Quibus [2] non contentus Rhodum veni. Nam [3] Asiatici oratores, ut dixi, non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes; Rhodii saniores et Atticorum similiores. Ibi [4] me ad eumdem, quem Romae audiveram, Molonem, applicavi, quum actorem in veris caussis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit) ut nimis redundantes nos et superfluentes iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coerceret.

---

1) Ibid. c. 95. § 325. — 2) Ibid. c. 91. § 316. — 3) Ibid. c. 13. § 51. — 4) Ibid. c. 91. § 316.

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Ex itinere [1] recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis resederat, et quasi deferverat oratio, lateribusque vires et corpori mediocris habitus accesserat. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus et lenis et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam: alter ornatus, acer et non talis, qualem eum postea, iam deflorescentem, cognovimus, sed actionis et verborum genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior. Etenim videram in iisdem caussis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, quum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim oratorem, incensum et agentem et canorum concursus hominum forique strepitus desiderat. 2. Unum igitur annum, quum rediissemus ex Asia, caussas nobiles egimus, quum quaesturam nos, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Quemadmodum [2], quum Roscius

[1]) Brut. c. 91. § 316. — [2]) pro Roscio Comoedo c. 7. § 21.

C. Fannium Chaeream fraudasse arguebatur, ego[1] pro Roscio apud Pisonem dixi; qui[2], quum nuper esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse: nihil[3] enim ab eo nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiebat, nihil nisi ita, ut deceret et uti omnes moveret atque delectaret. Itaque hoc iamdiu erat consecutus, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.

II. 3. Interim[4] me quaestorem Siciliensis excepit annus; Cotta ex consulatu est profectus in Galliam: princeps et erat et habebatur Hortensius. Non[5] vereor, ne mihi aliquid videar arrogare, si de quaestura mea dixero. Quamvis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maximis imperiis arbitror, ut non ita mihi multum gloriae sit ex quaesturae laude repetendum: sed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam aut gratiorem aut clariorem fuisse. Sic[6] obtinui quaesturam in provincia, ut omnium oculos in me unum coniectos arbitrarer; ut me quaesturamque meam quasi in aliquo orbis terrarum theatro versari existimarem: ut omnia semper, quae iucunda esse videntur, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae ac necessitati denegarem. 4. Ergo[7] Siculi et meae innocentiae abstinentiaeque periculum fecerunt et Sex. Peducaei[8], fortissimi atque innocentissimi viri. De quo quis umquam arator questus est? aut quis non ad hoc tempus innocentissimam omnium diligentissimamque praeturam illius hominis existimavit?

---

[1]) Ibid. c. 6. § 18. — [2]) pro Archia c. 8. § 17. — [3]) de Orat. I. c. 28. § 130. — [4]) Brut. c. 92. § 318. — [5]) pro Plancio c. 26. § 64. — [6]) in Verrem Act. II. L. V. c. 14. § 35. — [7]) in Verrem Act. I. c. 12. § 34. — [8]) in Verrem Act. II. L. III. c. 93. § 216.

Biennium provinciam obtinuit, quum alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit. Num aut in vilitate nummum arator quisquam dedit, aut in caritate de aestimatione frumenti questus est? Quid[1] eorum scribarum mentionem faciam, quos constat sanctissimos homines atque innocentissimos fuisse? Ego de meis hoc dico, quum in Sicilia pro frumento civitatibus pecuniam solverem et mecum duos frugalissimos homines scribas haberem, L. Mamilium et L. Sergium: non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum cuiquam esse deductum. 5. Sed[2] ita multa Romae geruntur, ut vix ea, quae fiunt in provinciis, audiantur. Vere[3] mehercules hoc dicam: sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae, nisi de quaestura mea loqui. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Excogitati quidam erant a Siculis honores in me inauditi. 6. Itaque hac spe decedebam, ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem. At ego, quum casu diebus iis, itineris faciendi caussa, decedens e provincia, Puteolos forte venissem, quum plurimi et lautissimi solent esse in iis locis; concidi paene, quum ex me quidam quaesisset, quo die Roma exissem, et numquidnam esset novi. Cui quum respondissem, me e provincia decedere: *etiam mehercule*, inquit, *ut opinor, ex Africa.* Huic ego iam stomachans fastidiose, *immo ex Sicilia*, inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret, *quid? tu nescis*, inquit, *hunc Syracusis quaestorem fuisse?* Quid multa? destiti stomachari, et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent.

---

[1]) Ibid. c. 78. § 182. — [2]) pro Plancio c. 26. § 63. — [3]) Ibid. § 64.

III. 7. Sed ea res haud scio an plus mihi profuerit, quam si mihi tum essent omnes congratulati. Nam posteaquam sensi, populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere; destiti, quid de me audituri essent homines, cogitare: feci, ut postea quotidie me praesentem viderent: habitavi in oculis: pressi forum, neminem a congressu meo neque ianitor meus, neque somnus absterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem umquam otiosum? Nam, quot alii commemorant legere se solere orationes, quum otiosi sint, tot ego scripsi ludis et feriis, ne omnino umquam essem otiosus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putavi, *clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii, rationem exstare oportere.* 8. Ita, si quam habeo laudem, quae quanta sit, nescio, parta Romae est, quaesita in foro: meaque privata consilia publici quoque casus comprobaverunt, ut etiam summa respublica mihi domi fuerit gerenda, et Urbs in Urbe servanda. Ea igitur mihi via munita est, is mihi virtutis cursus ad gloriam fuit. Nam[1] equidem primum, ut honore dignus essem, maxime semper laboravi: secundo, ut existimarer: tertium mihi fuit illud, quod plerisque primum est, ipse honos; qui iis denique debet esse iucundus, quorum dignitati populus Romanus testimonium, non beneficium ambitioni dedit.

IV. 9. Nunc[2] illud, quod paene praeterii, non omnino relinquendum videtur. Ego[3] quaestor in Sicilia ignoratum

[1]) Ibid. c. 20. § 50. — [2]) in Verrem Act. II. L. III. c. 35. § 80. — [3]) Tusc. V. c. 23. § 64.

ab Syracusanis, quum esse omnino negarent, septum undique et vestitum vepribus et dumetis, indagavi Archimedis sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam: qui declarabant, in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. Ego autem, quum omnia collustrarem oculis, (est enim ad portas Achradinas magna frequentia sepulcrorum) animadverti columellam non multum e dumis eminentem: in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipsum arbitrari esse, quod quaererem. 10. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo quum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Sed redeat, unde aberravit, oratio.

V. 11. Quum [1] autem anno post e Sicilia me recepissem, iam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum et habere maturitatem quamdam suam. Quum igitur essem in plurimis caussis et in principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus aedilis cum designato consule Hortensio. 12. Quod si [2] aut hoc a me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis caussa tantae necessitudinis non intercessisset, et hoc, quod faciebam, me reipublicae caussa facere profiterer, ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus, cuius furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia,

[1]) Brut. c. 92. § 318. — [2]) Divinat. in Caecilium c. 2. § 6.

Cilicia, Pamphylia, Romae denique ante oculos omnium maxima turpissimaque nossemus, me agente in iudicium vocaretur: quis tamen esset, qui meum consilium aut factum posset reprehendere? Quid enim est, pro deum hominumque fidem, in quo ego reipublicae plus eo tempore prodesse potuissem? Quid est, quod aut populo Romano gratius esse deberet, aut sociis exterisque nationibus optatius esse posset, aut saluti fortunisque omnium magis accommodatum esset? 13. Populatae erant, vexatae, funditus eversae provinciae: socii stipendiariique populi Romani afflicti, miseri iam non salutis spem, sed exitii solatium quaerebant. Qui iudicia manere apud ordinem senatorium volebant, querebantur accusatores se idoneos non habere. Qui accusare poterant, iudiciorum severitatem desiderabant. Populus Romanus interea, tametsi multis incommodis difficultatibusque affectus erat, tamen nihil aeque in republica atque illam veterem iudiciorum vim gravitatemque requirebat. Iudiciorum desiderio tribunicia potestas efflagitata erat: iudiciorum levitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulabatur: iudicum culpa atque dedecore etiam censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id iam poscebatur, id iam populare atque plausibile factum erat. 14. In hac libidine hominum nocentissimorum, in populi Romani quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, quum hoc unum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines idonei atque integri caussam reipublicae legumque susciperent; fateor me salutis omnium caussa ad eam partem accessisse reipublicae sublevandae, quae maxime laboraret. Inveteraverat[1] enim iam opinio perniciosa reipublicae nobisque

[1]) in Verrem Act. I. c. 1. § 1.

periculosa, quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebruerat, his iudiciis, quae tunc essent, pecuniosum hominem, quamvis esset nocens, neminem posse damnari.

VI. 15. Tunc igitur, in ipso discrimine ordinis iudiciorumque quum essent parati, qui concionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare conarentur, reus in iudicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis omnium iam opinione damnatus, pecuniae magnitudine, sua spe ac praedicatione absolutus. Huic ego caussae cum summa voluntate et exspectatione populi Romani actor accessi, non ut augerem invidiam ordinis, sed ut infamiae communi succurrerem. Adduxi enim hominem, in quo iudices reconciliare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum populo Romano, satisfacere exteris nationibus possent; depeculatorem aerarii, vexatorem Asiae atque Pamphyliae, praedonem iuris urbani, labem atque perniciem provinciae Siciliae. 16. Cuius [1], ut adolescentiae maculas ignominiasque praeteream, quaestura, primus gradus honoris, quid aliud habuit in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum a quaestore suo pecunia publica? nudatum et proditum consulem? desertum exercitum? relictam provinciam? sortis necessitudinem religionemque violatam? cuius legatio exitium fuit Asiae totius et Pamphyliae: quibus in provinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus est, quum in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renovavit et instauravit quaestorium: quum eum, cui legatus et pro quaestore fuisset, et in invidiam suis maleficiis adduxit et in ipsis periculis non solum deseruit,

[1]) Ibid. c. 4. § 11.

sed etiam oppugnavit ac prodidit: cuius praetura urbana aediuum sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio, simul in iure dicundo bonorum possessionumque contra omnium instituta addictio et condonatio. 17. Iam vero omnium vitiorum suorum plurima et maxima constituit monumenta et indicia in provincia Sicilia: quam iste per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit, vix autem per multos annos innocentesque praetores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. Hoc praetore Siculi neque suas leges neque nostra senatusconsulta neque communia iura tenuerunt. Tantum quisque habuit in Sicilia, quantum hominis avarissimi et libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit aut satietati superfuit. Qui [1] simul atque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romae et ad Urbem, antequam proficisceretur, quaerere ipse secum et agitare cum suis coepit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset. Nolebat in agendo discere, (tametsi non provinciae rudis erat et tiro) sed in Siciliam paratus ad praedam meditatusque venire cupiebat. 18. O praeclare coniectum a vulgo in illam provinciam omen communis famae atque sermonis! quum ex nomine istius, quid in provincia facturus esset, perridicule homines augurabantur. Etenim quis dubitare posset, quum istius in quaestura fugam et furtum recognosceret; quum in legatione oppidorum fanorumque spoliationes cogitaret; quum videret in foro latrocinia praeturae; qualis iste in quarto actu improbitatis futurus esset.

VII. 19. Quum [2] ego quaestor in Sicilia fuissem, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus iucundam

---

[1]) in Verrem Act. II. L. II. c. 6. § 17. — [2]) Divinat. in Caecilium c. 1. § 2.

diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem; factum est, uti quum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui tunc populati atque vexati, cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem. Me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus aiebant, non iam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciae defenderem: sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset: quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno praetore per triennium pertulisse: rogare et orare, ne illos supplices aspernarer, quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret. 20. Tuli graviter et acerbe, in eum me locum adduci, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me atque auxilium petissent, aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem Q. Caecilium, qui praesertim quaestor in eadem provincia post me quaestorem fuisset. Quo ego adiumento sperabam hanc a me molestiam posse demoveri, id mihi erat adversarium maxime. Nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos quaestor non fuisset. 21. Adductus sum officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine institutoque maiorum, ut onus hoc laboris atque officii non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore, mihi sus-

cipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res consolabatur, quod haec, quae videbatur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio erat existimanda. Defendebam enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem, si mihi unus erat accusandus, propemodum manere in instituto meo videbar, et non omnino a defendendis hominibus sublevandisque discedere.

VIII. 22. Nunc, [1] quoniam quibus rebus adductus ad caussam accesserim demonstravi, dicendum est de contentione nostra in constituendo accusatore.

Iudicium [2] sibi postulabat dari Q. Caecilius; qui [3], si maxime cuperet, tamen verus accusator esse non poterat: accusatio [4] enim concedatur oportet iis, qui nullo suo peccato impediuntur, quo minus alterius peccata demonstrare possint. Videbam [5] autem permulta esse crimina, quorum isti societas cum Verre eiusmodi erat, ut ea in accusando attingere non auderet. Quae [6] quum coepissem proferre, facile omnes intellexerunt, his inter se non modo voluntatem fuisse coniunctam, sed ne praedam quidem adhuc esse divisam: quamquam [7] iste nihil metuebat, nihil cogitabat, nihil laborabat, et, si quid ex vetere aliqua oratione, IOVEM HERCLE OPTIMUM MAXIMUM: aut, VELLEM, SI FIERI POTUISSET, IUDICES: aut aliquid eiusmodi ediscere potuisset, praeclare se paratum in iudicium venturum arbitrabatur. Praeterea [8] ego sic intelligo: quum de pecuniis repetundis nomen cuiuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, haec duo in primis spectari oportere:

---

[1]) Ibid. c. 3. § 10. — [2]) Ibid. c. 11. § 34. — [3]) Ibid. c. 9. § 29. — [4]) Ibid. c. 11. § 34. — [5]) Ibid. c. 9. § 30. — [6]) Ibid. c. 11. § 34. — [7]) Ibid. c. 13. § 43. — [8]) Ibid. c. 3. § 10.

quem maxime velint actorem esse ii, quibus factae esse dicantur iniuriae, et quem minime velit is, qui eas iniurias fecisse arguatur. 23. In hac caussa, tametsi utrumque esse arbitrabar perspicuum, tamen de utroque dixi. Aderant[1] enim, querebantur Siculi universi: ad meam fidem, quam habebant spectatam iam et diu cognitam, confugiebant: auxilium sibi per me a iudicibus atque a populi Romani legibus petebant: me defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem caussae totius esse volebant. Nec[2] alterum illud obscurum erat, a quo Verres minime se accusari vellet. Ecquis enim unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, ut ne haec mihi delatio daretur? Sunt multa, quae Verres in me esse arbitrabatur, quae sciebat in Q. Caecilio non esse. Et[3] tamen magnus ille defensor et amicus eius, Hortensius, Caecilio suffragabatur, me oppugnabat; aperte ab iudicibus petebat, ut is mihi anteponeretur: et ait hoc se honeste sine ulla invidia ac sine ulla offensione contendere.

IX. 24. Quum[4] omnibus rebus inferior esset Caecilius, hac una in re se mihi anteferri putabat oportere, quod quaestor illius fuisset. Ego, si superior ceteris rebus fuisset, hanc unam ob caussam ipsum accusatorem repudiari putassem oportere. Sic enim a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere: nullam neque iustiorem neque graviorem caussam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam officii, quam publicam muneris societatem. Quamobrem si iure Verrem potuisset

[1]) Ibid c. 4. § 11. — [2]) Ibid. c. 7. § 22. — [3]) Ibid. § 23. — [4]) Ibid. c. 19. § 61.

accusare, tamen, quum is ipsi parentis numero fuisset, id pie facere non potuisset. 25. Itaque [1] neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio in T. Albucium, quorum nemo propter indignitatem repudiatus est; sed ne libido violandae necessitudinis auctoritate iudicum comprobaretur. Atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Iulio contendit, ut Caecilius mecum. Quaestor enim Albucii fuerat; ut hic Verris. Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut nos ab Siculis, sic ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. 26. Ego [2] meum studium in rempublicam tum illo tempore ostendi, quum longo intervallo veterem consuetudinem retuli et rogatu sociorum atque amicorum populi Romani, meorum autem necessariorum, nomen hominis audacissimi detuli. Quod meum factum lectissimi viri atque ornatissimi ita probarunt, ut ei, qui istius quaestor fuisset, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, quum id postularet, facerent potestatem.

X. 27. Sollicitabar [3] tamen rebus maximis uno atque eo perexiguo tempore. Urgebant comitia: et in his ipsis oppugnabar grandi pecunia. Neque tamen [4], quid tanto opere in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam. Unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem Romanum esse tralatos: ex his quasi x fiscos ad senatorem illum relictos esse, comitiorum meorum nomine: divisores omnium tribuum noctu ad istum

[1]) Ibid. § 63. — [2]) in Verrem Act. II. L. I. c. 6 § 15. — [3]) in Verrem Act. I. c. 9. § 24. — [4]) Ibid. c. 8. § 22.

vocatos. 28. Ex quibus quidam, qui se omnia mea caussa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit: demonstrat, qua iste oratione usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset etiam antea, quum ipse praeturam petisset, et proximis consularibus praetoriisque comitiis: deinde continuo esse pollicitum, quantam vellent pecuniam, si me aedilitate deiecissent. Hic alios negasse audere, alios respondisse, non putare id perfici posse: inventum tamen esse fortem amicum, ex eadem familia Q. Verrem, Romilia, ex optima divisorum disciplina, patris istius discipulum atque amicum, qui, H-S quingentis millibus depositis, id se perfecturum polliceretur: et fuisse tamen nonnullos, qui se una facturos esse dicerent. Quae quum ita essent, sane benevolo animo me, ut magno opere caverem, praemonebat. 29. Instabat [1] iudicium: ei quoque negotio fisci Sicilienses minabantur. Agere, quae ad iudicium pertinebant, libere, comitiorum metu deterrebar: petitioni toto animo servire propter iudicium non licebat. Minari denique divisoribus ratio non erat, propterea quod eos intelligere videbam, me hoc iudicio districtum atque obligatum futurum. Atque hoc ipso tempore Siculis denuntiatum esse audivi, primum ab Hortensio, domum ad illum ut venirent: Siculos sane in eo liberos fuisse, qui quamobrem arcesserentur quum intelligerent, non venisse. 30. Interea comitia nostra, quorum iste se, ut ceterorum hoc anno comitiorum, dominum esse arbitrabatur, haberi coepta sunt. Cursare iste homo potens cum filio blando et gratioso circum tribus: paternos amicos, hoc est divisores, appellare omnes et convenire. Quod quum esset intellectum et animadversum, fecit animo libentissimo populus Romanus,

[1]) Ibid. c. 9. § 24.

ut, cuius divitiae me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecuniae de honore deiicerent. Cunctis [1] enim suffragiis populus Romanus me fecit aedilem priorem.

XI. 31. Posteaquam [2] illa petitionis magna cura liberatus sum, animo coepi multo magis vacuo ac soluto nihil aliud, nisi de iudicio agere et cogitare. Itaque [3] quum ego diem in Sicilia inquirendi perexiguam postulavissem, in Siciliam [4] sum inquirendi caussa profectus. Neque [5] enim mihi probabile, neque verum videbatur, me, quum fidelissimae atque antiquissimae provinciae patrocinium recepissem, caussam tamquam unius clientis in cubiculo meo discere. Quid [6]? Ad me Siculi nonne Romam caussam Siciliae detulerunt? Atqui homines prudentes natura, callidi usu, doctrina eruditi. Tamen ego mihi provinciae caussam in provincia ipsa cognoscendam et discendam putavi. An ego querelas atque iniurias aratorum non in segetibus ipsis arvisque cognoscerem? 32. Quo [7] in negotio industriam meam celeritas reditionis, diligentiam multitudo litterarum et testium declaravit: pudorem vero ac religionem, quod, quum venissem senator ad socios populi Romani, qui in ea provincia quaestor fuissem, ad hospites meos ac necessarios caussae communis defensor deverti potius, quam ad eos, qui a me auxilium petivissent. Nemini meus adventus labori aut sumptui neque publice neque privatim fuit. Vim in inquirendo tantam habui, quantam mihi lex dabat, non quantam habere poteram illorum studio, quos iste vexarat. 33. Ego [8] Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut

---

1) in Pison. c. 1. § 2. — 2) in Verrem Act. I. c. 9. § 26. — 3) Ibid. c. 2. § 6. — 4) in Verrem Act. II. L. I. c. 6. § 16. — 5) pro Scauro c. 2. § 26. (in edit. Nobbii p. 1299.) — 6) Ibid. § 24. — 7) in Verrem Act. II. L. I. c. 6. § 16. — 8) in Verrem Act. I. c. 2. § 6.

omnium populorum privatorumque litteras iniuriasque cognoscerem. Peragravi [1], durissima quidem hieme, valles Agrigentinorum atque colles. Campus ille nobilissimus ac feracissimus ipse me caussam paene docuit Leontinus. Adii casas aratorum; a stiva ipsa homines mecum colloquebantur.

XII. 34. Equidem [2], ut de me confitear, quum multae mihi a C. Verre insidiae terra marique factae sint, quas partim mea diligentia devitarim, partim amicorum studio officioque repulerim; numquam tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum neque tanto opere pertimui, ut in ipso iudicio: neque tantum me exspectatio accusationis meae concursusque tantae multitudinis, quibus ego rebus vehementissime perturbor, commovebat, quantum istius insidiae nefariae, quas uno tempore mihi, M'. Glabrioni praetori, sociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conabatur: qui ita dictitabat, *iis esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent: se tantum rapuisse, ut id multis satis esse posset: nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia posset.* 35. Quod si, quam audax erat ad conandum, tam fuisset obscurus in agendo, fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset. Verum hoc percommode cadebat, quod cum incredibili eius audacia singularis stultitia coniuncta erat. Nam ut apertus in corripiendis pecuniis fuit, sic in spe corrumpendi iudicii perspicua sua consilia conatusque omnibus fecit. *Semel*, ait, *se in vita pertimuisse, tum, quum primum reus a me factus esset: quod* quum e provincia recens esset invidiaque et infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret, *tum ad iudicium*

[1]) pro Scauro c. 2. § 26. — [2]) in Verrem Act. I. c. 2. § 3.

corrumpendum tempus alienum offenderet. In [1] Sicilia autem, multis audientibus, C. Verrem saepe dixisse audivi: *se habere hominem potentem, cuius fiducia provinciam spoliaret: neque sibi soli pecuniam quaerere, sed ita triennium illud praeturae Siciliensis distributum habere, ut secum praeclare agi diceret, si unius anni quaestum in rem suam converteret; alterum patronis et defensoribus suis traderet; tertium illum uberrimum quaestuosissimumque annum totum iudicibus reservaret.*

XIII. 36. Romam [2] ut ex Sicilia redii, quum iste atque istius amici, homines lauti et urbani, sermones huiuscemodi dissipassent, quo animos testium retardarent, me magna pecunia a vera accusatione esse deductum; tametsi probabatur nemini, quod et ex Sicilia testes erant ii, qui quaestorem me in provincia cognoverant, et hinc homines maxime illustres, qui, ut ipsi erant noti, sic nostrum unum quemque optime noverant; tamen usque eo timui, ne quis de mea fide atque integritate dubitaret, donec ad reiiciendos iudices venimus. Sciebam in reiiciendis iudicibus nonnullos memoria nostra pactionis suspicionem non vitasse, quum ipsa in accusatione eorum industria ac diligentia probaretur. Ita reieci iudices, ut hoc constaret, post illum statum reipublicae, quo tunc utebamur, simili splendore et dignitate consilium nullum fuisse. 37. Sed [3] quum hanc ego caussam Siculorum rogatu recepissem, idque mihi amplum et praeclarum existimassem, eos velle meae fidei diligentiaeque periculum facere, qui innocentiae abstinentiaeque fecissent; tum, suscepto negotio, maius mihi

---

[1]) Ibid. c. 14. § 40. — [2]) in Verrem Act. II. L. I. c. 6. § 17. — [3]) in Verrem Act. I. c. 12. § 34.

quiddam proposui, in quo meam in rempublicam voluntatem populus Romanus perspicere posset. Nam illud mihi nequaquam dignum industria conatuque meo videbatur, istum a me in iudicium iam omnium iudicio condemnatum vocari; sed [1], quoniam nulla in iudiciis severitas, nulla religio, nulla denique iam existimabantur esse iudicia, quoniam [2] totus ordo paucorum improbitate et audacia premebatur et urgebatur infamia iudiciorum: profitebar huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum, assiduum, acerbum adversarium. Hoc [3] me profitebar suscepisse; magnum fortasse onus et mihi periculosum, verumtamen dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque contenderem.

XIV. 38. Erat [4] tum consul designatus Hortensius cum summo imperio et potestate; ego autem aedilis, hoc est, paullo amplius quam privatus: tamen haec huiusmodi res erat, quam me acturum esse polliceber, ita populo Romano grata atque iucunda, ut ipse consul in hac caussa prae me minus etiam, si fieri posset, quam privatus esse videretur. Omnia non modo commemorabantur, sed etiam expositis certis rebus agebantur, quae inter decem annos, posteaquam iudicia ad senatum tralata erant, in rebus iudicandis nefarie flagitioseque facta erant. 39. Cognovit ex me populus Romanus, quid esset, quamobrem, quum equester ordo iudicaret, annos prope quinquaginta continuos nullo iudice equite Romano iudicante, ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem iudicandam constituta sit: quid esset, quod iudiciis ad senatorium ordinem tralatis sublataque populi Romani in unum quemque nostrum potestate

[1]) Ibid. c. 15. § 43. — [2]) Ibid. c. 12. § 36. — [3]) Ibid. § 35. — [4]) in Verrem Act. I. c. 13. § 37.

Q. Calidius damnatus dixerit, minoris H-S tricies praetorium hominem honeste non posse damnari: quid esset, quod P. Septimio senatore damnato, Q. Hortensio praetore, de pecuniis repetundis lis aestimata sit eo nomine, quod ille ob rem iudicandam pecuniam accepisset; quod in C. Herennio, quod in C. Popillio, senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt, quod in M. Attilio, qui de maiestate damnatus est, hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem iudicandam accepisse; quod inventi sunt senatores, qui C. Verre praetore urbano sortiente exirent in eum reum, quem incognita caussa condemnarent; quod inventus est senator, qui quum iudex esset, in eodem iudicio et ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus divideret, et ab accusatore, ut reum damnaret. Haec[1] omnia me diligenter severeque acturum esse pollicebar.

XV. 40. Res[2] omnis mihi erat cum Hortensio. Dicam aperte. Si hunc mecum dicendo ac diluendis criminibus in hac caussa contendere putassem; ego quoque in accusando atque in explicandis criminibus operam consumpsissem. Sed, quoniam pugnare contra me instituerat, non tam ex sua natura, quam ex istius tempore et caussa, malitiose; necesse erat istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. Hortensii ratio erat, ut secundum binos ludos mihi respondere inciperet: mea, ut ante primos ludos comperendinarem. 41. Nonae[3] erant Sextiles. Decem dies erant ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus erat per dies quindecim: deinde continuo Romani consecuturi erant. Ita prope XL diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a nobis dicta essent, responsurum esse arbitrabatur: deinde se ducturum

---

[1]) Ibid. § 40. — [2]) in Verrem Act. I. c. 11. § 33. — [3]) Ibid. c. 10. § 31.

et dicendo et excusando facile ad ludos Victoriae; cum his plebeios esse coniunctos: secundum quos aut nulli aut pauci dies ad agendum futuri erant: ita defessa ac refrigerata accusatione, rem integram ad M. Metellum praetorem esse venturam. Quem ego hominem, si eius fidei diffisus essem, iudicem non retinuissem. Tunc tamen eo animo eram, ut eo iudice, quam praetore, hanc rem transigi mallem, et iurato suam, quam iniurato aliorum tabellas committere. 42. Sed [1] ita factum est, ut Hortensii ista ratio existimaretur astuta: meum hoc consilium, necessarium, ne [2] ita tempus duceretur, ut a M'. Glabrione praetore et a magna parte horum iudicum ad praetorem alium iudicesque alios veniremus. Non [3] sinebam profecto, caussa a me perorata, quadraginta diebus interpositis, tum nobis denique responderi, quum accusatio nostra in oblivionem diuturnitate adducta esset: non committebam, ut tum res iudicaretur, quum frequentia totius Italiae Roma discessisset, quae convenerat uno tempore undique comitiorum, ludorum, censendique caussa.

XVI. 43. Haec [4] si ego non vidissem; si me non omnes noti ignotique monuissent, id agi, id cogitari, in eo laborari, ut res in illud tempus reiiceretur, credo, si meis horis in accusando uti voluissem, vererer, ne mihi crimina non suppeterent; ne oratio deesset; ne vox viresque deficerent; ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego bis accusare non possem. Quod quum ego meum consilium tum iudicibus tum populo Romano probavissem, sic [5] a me sunt acta omnia priore actione, ut in criminibus

[1]) Ibid. c. 11. § 34. — [2]) in Verrem Act. II. L. I. c. 11. § 30. — [3]) in Verrem Act. I. c. 13. § 54. — [4]) in Verrem Act. II. L. I. c. 11. § 31. [5]) Ibid. c. 10. § 29.

omnibus nullum esset, in quo quisquam iudicum perpetuam accusationem requireret. Nego esse quidquam a testibus dictum, quod aut iudicum cuipiam esset obscurum, aut cuiusquam oratoris eloquentiam quaereret. 44. Etenim sic me ipsum egisse memoria teneo, ut in testibus interrogandis omnia crimina proponerem et explicarem, ut, quum rem totam in medio proposuissem, tum denique testem interrogarem. Itaque non modo ii, quibus erat iudicandum, nostra crimina tenebant, sed etiam populus Romanus totam accusationem causamque cognovit. Quumque[1] Verres quaestor Cn. Papirio consuli fuisset abhinc annos quattuordecim; hique anni, quorum hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur, consumpti essent in quaestura, et legatione Asiatica, et praetura urbana et praetura Siciliensi; haec eadem mihi fuit quadripartita distributio totius accusationis meae.

XVII. 45. Dicta sunt[2] priore actione et privatim et publice testimonia: legati Centuripini, Halesini, Catinenses Panormitanique dixerunt, multarum praeterea civitatum, iam vero privatim plurimi: quorum ex testimoniis cognoscere potuerunt iudices, tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate senatorem factum esse gratis: neminem, ut leges eorum sunt, suffragiis; neminem, nisi istius imperio aut litteris: atque in his omnibus senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret; neque census neque aetatis neque cetera Siculorum iura valuisse. Quicumque senator voluerit fieri, quamvis puer, quamvis indignus, quamvis ex eo loco, ex

[1]) Ibid. c. 12. § 34. — [2]) in Verrem Act. II. L. II. c. 49. § 120.

quo non liceret, si is pretio apud istum fieret idoneus, ut vinceret, factum esse semper: non modo Siculorum nihil in hac re valuisse leges, sed ne ab senatu quidem populoque Romano datas. Hoc [1] idem transfero in magistratus, curationes, sacerdotia: quibus in rebus non solum hominum iura, sed etiam deorum religiones immortalium omnes repudiavit. 46. Dixerunt [2] Tyndaritani, Hennenses, Herbitenses, Agyrinenses, Netinenses, Segestani — enumerare omnes non est necesse — ita [3] testimonia graviter vehementerque, ut Artemonem Centuripinum legatum et publice testem Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret. Postremo [4] homines ex tota provincia nobilissimi primique publice privatimque venerunt: gravissima atque amplissima quaeque civitas vehementissime suas iniurias persecuta est; ut [5] omnes hoc in hac caussa intelligerent, hoc animo esse Siculos, ut, si in istum animadversum non esset, sibi relinquendas domos ac sedes suas, et ex Sicilia decedendum atque adeo fugiendum esse arbitrarentur.

XVIII. 47. Hanc [6] ego caussam quum agerem beneficio populi Romani de loco superiore, non verebar, ne aut istum vis ulla ex populi Romani suffragiis eripere aut a me ullum munus aedilitatis amplius aut gratius populo Romano esse posset. Putabam [7] non solum notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem esse et diligentiam. Quod me non fefellit. Nam comitiis meis, quum iste infinita largitione contra me uteretur, populus Romanus iudicavit, istius pecuniam, quae apud me contra fidem meam

[1]) Ibid. c. 51. § 126. — [2]) Ibid. c. 65. § 156. — [3]) Ibid. c. 64. § 156. — [4]) Ibid. c. 4. § 11. — [5]) Ibid. c. 65. § 157. — [6]) in Verrem Act. II. L. I. c. 5. § 14. — [7]) Ibid. c. 7. § 19.

nihil potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse debere. 48. Quumque [1] in eo iudicum mihi dignitas fructum diligentiae referret, id sum assecutus, ut una hora, qua coepi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito spem iudicii corrumpendi praeciderem; ut primo die testium tanto numero citato populus Romanus iudicaret ipso absoluto rempublicam stare non posse: ut alter dies amicis istius ac defensoribus non modo spem victoriae, sed etiam voluntatem defensionis auferret; ut tertius dies sic hominem prosterneret, ut morbo simulato non, quid responderet, sed, quemadmodum non responderet, deliberaret. 49. Deinde reliquis diebus — novem [2] autem solis diebus prima actio huius iudicii a nobis transacta est — his [3] criminibus, his testibus et urbanis et provincialibus sic obrutus atque oppressus est, ut, ludorum diebus interpositis, nemo istum comperendinatum, sed condemnatum iudicaret. Diximus [4] enim C. Verrem, quum multa libidinose, multa crudeliter in cives Romanos atque in socios, multa in deos hominesque nefarie fecisset, tum praeterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra legem abstulisse. Hoc testibus, hoc tabulis privatis publicisque auctoritatibus, ita iudicibus planum fecimus, ut hoc statuerent, etiamsi spatium ad dicendum nostro commodo vacuosque dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse. 50. Quapropter [5] ego, quod ad me attinet, vici: non enim spolia C. Verris, sed existimationem populi Romani concupivi. Meum fuit cum caussa accedere ad accusandum. Quae caussa fuit iustior, quam a tam illustri provincia defensorem constitui et deligi? — reipublicae

---

[1]) Ibid. § 20. — [2]) Ibid. c. 60. § 156. — [3]) Ibid. c. 7. § 20. — [4]) in Verrem Act. I. c. 18. § 56. — [5]) in Verrem Act. II. L. I. c. 8. § 21.

consulere. Quid iam reipublicae honestius, quam in tanta invidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cum populo Romano et in laude et in gratia possit esse? — ostendere ac persuadere, hominem nocentem adductum esse. Quis est in populo Romano, qui hoc non ex priore actione abstulerit, omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in unum locum conferantur, vix cum huius parva parte aequari conferrique posse?

XIX. 51. Etsi[1] nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius; caussam[2] tamen omnem cognosci oportebat. Igitur[3] in Accusationis quinque libris eam totam explicuimus: in quibus[4] non dubito, quin offensionem negligentiae vitare atque effugere non possim. Multi enim ita dicent: *De illo nihil dixit, in quo ego interfui: Illam iniuriam non attigit, quae mihi, aut quae amico meo facta est, quibus ego in rebus interfui.* Fateor etiam illud invitus, me prorsus, quum iste punctum temporis nullum vacuum peccato praeterire passus sit, omnia, quae ab isto commissa sunt, non potuisse cognoscere: ut[5] mihi magis timendum sit, ne multa crimina praetermisisse, quam ne qua in istum finxisse existimer. 52. In primo[6] dixi de quaesturae, et legationis Asiaticae, et praeturae urbanae criminibus. Exposui[7] igitur, quomodo Verres in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit ac violarit, eosque ambos non solum deseruerit, sed etiam prodiderit atque oppugnarit. De[8] praeturae autem criminibus ita dixi, ut ex utroque genere, et iuris dicundi, et

---

[1]) Orator c. 37. § 129. — [2]) in Verrem Act. II. L. I. c. 9. § 25. — [3]) Orator c. 29. § 103. — [4]) in Verrem Act. II. L. I. c. 40. § 103. — [5]) in Verrem Act. I. c. 5. § 15. — [6]) in Verrem Act. II. L. I. c. 12. § 34. — [7]) Ibid. c. 16. § 42. — [8]) Ibid. c. 40. § 103.

sartorum tectorum exigendorum, ea memorarem, quae maxime digna essent eo reo, cui parvum aut mediocre obiici nihil oporteret.

XX. 53. In[1] Accusationis secundo de Siciliae laude diximus, et ut[2] nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, iudicata sit: nulla res tam patria cuiusquam atque avita fuerit, quae non ab eo, imperio istius, abiudicaretur. Atque[3] adeo, antequam de incommodis Siciliae dicerem, pauca mihi videbantur esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate dicenda. Nam quum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debebant iudices, tum praecipue Siciliae, plurimis iustissimisque de caussis: in primis, quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata: prima docuit maiores nostros, quam praeclarum esset, exteris gentibus imperare: sola fuit ea fide benevolentiaque erga populum Romanum, ut civitates eius insulae, quae semel in amicitiam nostram venissent, numquam postea deficerent, pleraeque autem et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent. Itaque maioribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est. Neque enim tam facile opes Karthaginis tantae concidissent, nisi illud et rei frumentariae subsidium et receptaculum classibus nostris pateret. 54. In[4] tertio tractare caussam instituimus frumentariam, quae magnitudine iniuriae fere criminibus ceteris antecellebat. Exposui[5] quemadmodum innumerabiles pecuniae

[1]) Orator c. 62. § 210. — [2]) in Verrem Act. I. c. 5. § 13. — [3]) in Verrem Act. II. L. II. c. 1. § 2. — [4]) in Verrem Act. II. L. III. c. 5. § 10. — [5]) in Verrem Act. I. c. 5. § 13.

ex aratorum bonis novo nefarioque instituto a Verre coactae sint: quomodo[1] iste ea, quae iamdiu ad salutem sociorum utilitatemque reipublicae composita comparataque essent, ad suos improbissimos quaestus converterit: qui primum certos instituerit nomine decumanos, re vera ministros ac satellites cupiditatum suarum; per quos ostendi sic provinciam per triennium vexatam atque vastatam, ut eam multis annis multorum innocentia sapientiaque recreare nequeamus. Ea[2] autem caussa tripartita erat in accusatione: primum enim de decumano, deinde de empto diximus frumento, postremo de aestimato.

XXI. 55. In[3] quarto Accusationis de Hennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ diximus, et[4] quomodo idem iste praetor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum, quae illi ornamento urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum, quae victores civitatibus Siculis aut dederunt aut reddiderunt, spoliarit nudaritque omnia: neque hoc solum in statuis ornamentisque publicis fecerit, sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus consecrata, depeculatus sit: deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquerit. Negavi[5] in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere provincia, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quidquam ex auro aut ebore factum, signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum; negavi ullam picturam neque in tabula, neque in

[1]) in Verrem Act. II. L. III. c. 8. § 21. — [2]) Ibid. c. 5. § 12. — [3]) Orator c. 62. § 210. — [4]) in Verrem Act. I. c. 5. § 14. — [5]) in Verrem Act. II. L. IV. c. 1. § 1.

sartorum tectorum [illegible] inspexerit; quod pla-
maxime digna esse [illegible] quinto demonstravimus,
obiici nihil oport[illegible] in hostium numero existi-
[illegible] in modum cruciati et necati:

XX. 53. In [illegible] pecuniam iudicio liberati:
de diximus, [illegible] absentes rei facti, indicta
tum istius [illegible] portus munitissimi, maximae tu-
atque avi[illegible] praedonibusque patefactae: nau-
dicaretu[illegible], socii nostri atque amici, fame
liae d[illegible] atque opportunissimae cum magna
digni[illegible] Romani amissae et perditae.
so[illegible] de hoc plura disputem? Longum [1] est
l[illegible] explicare, quae [2] disperse a me multis in
[illegible]. Ergo [3] iam ad institutum revertar meum.
[illegible] est leviter transire ac tantummodo per-
[illegible] quamque rem.

[illegible] 57. Ego [4], quos adhuc mihi magistratus populus
[illegible] mandaverat, sic eos acceperam, ut me omnium
[illegible] obstringi religione arbitrarer. Ita quaestor fue-
[illegible], ut mihi honorem illum tum non solum datum,
[illegible] creditum ac commissum putarem. Designatus [5]
[illegible] habui rationem, quid a populo Romano accepissem:
[illegible] ludos sanctissimos maxima cum caerimonia Cereri,
Libero Liberaeque faciundos, mihi Floram matrem populo
[illegible]que Romanae ludorum celebritate placandam, mihi lu-
[illegible] antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxi-
ma cum dignitate ac religione Iovi, Iunoni Minervaeque

---

[1]) in Verrem Act. I. c. 5. § 13. — [2]) pro Sulla c. 23. § 64. — [3]) de Orat. II. c. 27. § 119. — [4]) in Verrem Act. II. L. IV. c. 52. § 116. — [5]) de Orat. II. c. 27. § 113. — [6]) pro Rosc. Amer. c. 32. § 91. — [7]) in Verrem Act. II. L. V. c. 14. § 35. — [8]) Ibid. § 36.

esse faciundos, mihi sacrarum aedium procurationem, mihi totam Urbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae. 58. Ex his ego rebus omnibus ita mihi deos omnes propitios esse cupiebam, ut, etiamsi mihi iucundissimus erat honos populi, tamen nequaquam tantum capiebam voluptatis, quantum sollicitudinis et laboris, ut haec ipsa aedilitas non, quia necesse fuisset, alicui candidato data, sed, quia sic oportuisset, recte collocata et iudicio populi in loco posita esse videretur. 59. Tum[1] trinos ludos aedilis feci. Nobis[2] quoque licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostro quidem anno, sane exiguus sumptus aedilitatis fuit. Habenda[3] autem ratio erat rei familiaris; quam quidem dilabi sinere, flagitiosum est: sed ita, ut illiberalitatis avaritiaeque absit suspicio. Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus. Itaque[4] miror, quid in mentem venerit Theophrasto in eo libro, quem de Divitiis scripsit: in quo multa praeclare; illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum, taliumque sumptuum facultatem fructum divitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis multo et maior videtur et certior. 60. Quamquam[5] intelligo, in nostra civitate inveterasse iam a bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis viris postuletur. Itaque et P. Crassus, quum cognomine dives,

---

[1]) pro Murena c. 19. § 40. — [2]) de Off. II. c. 17. § 52. — [3]) Ibid. c. 18. § 64. — [4]) Ibid. c. 16. § 56. — [5]) Ibid. § 57.

tum copiis, functus est aedilicio maximo munere: et paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo, Q. Mucio, magnificentissima aedilitate functus est: deinde C. Claudius, Appii filius: multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. Omnes autem P. Lentulus me consule vicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima vero nostri Pompeii munera secundo consulatu. In[1] his autem ipsis mediocritatis regula optima est.

XXIII. 61. Atque[2], ut multa omittam in hoc spatio et in his post aedilitatem annis, et praetor primus et incredibili populi voluntate sum factus. Nam quum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum ad me dicendi novitate converteram. Non enim destiteram, quum omni genere exercitationis, tum maxime in stilo, nostrum illud, quod erat, augere, quantumcumque erat. 62. Sed[3], quum antea per aetatem nondum fori auctoritatem attingere auderem, statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaveram. Qui meus labor, in privatorum periculis caste integreque versatus, ex populi iudicio fructum est amplissimum consecutus. Nam quum, propter dilationem comitiorum, ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, et quid de me iudicaret populus, et quid aliis praescriberet. 63. Quamobrem, quum et auctoritatis in me tantum esset, quantum populus honoribus mandandis esse voluit, et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu prope

---

[1]) Ibid. c. 17. § 59. — [2]) Brut. c. 93. § 321. — [3]) pro l. Manilia c. 1. § 1.

quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre, certe et, si quid auctoritatis in me erat, constitui ea apud eos uti, qui eam mihi dederant, et, si quid etiam dicendo consequi poteram, iis ostendere potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse duxerant.

XXIV. 64. Atque illud in primis mihi laetandum iure esse videbam, quod, in hac insolita mihi in foro dicendi ratione, caussa talis oblata erat, in qua oratio deesse nemini posset. Dicendum erat enim de Cn. Pompeii singulari eximiaque virtute. Huius autem orationis difficilius erat exitum, quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus erat in dicendo quaerendus. 65. Iam vero[1] virtuti Cn. Pompeii quae poterat par oratio inveniri? Quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut populo Romano novum aut cuiquam inauditum posset afferre? Neque enim illae erant solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quae tanta erant in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt. 66. Quare[2], quum bellum grave et periculosum nostris vectigalibus atque sociis a duobus potentissimis regibus inferretur, Mithridate et Tigrane, quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitrabatur; quumque[3] bellum ita necessarium esset, ut negligi non posset, ita magnum, ut accuratissime esset administrandum, et quum ei imperatorem praeficere deberet populus, in quo esset eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas,

[1]) Ibid. c. 11. § 29. — [2]) Ibid. c. 2. § 4. — [3]) Ibid. c. 16. § 49.

egregia fortuna —; quae [1] quum ita essent, ego C. Manilii et legem et voluntatem et sententiam laudavi vehementissimeque comprobavi, deinde hortatus sum ipsum, ut auctore populo Romano maneret in sententia neve cuiusquam vim aut minas pertimesceret. 67. Quod si [2] Romae Cn. Pompeius privatus fuisset eo tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus: sed, quum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungeretur, ut in iis ipsis locis adesset, ut haberet exercitum, ut ab iis, qui habebant, accipere statim posset; quid exspectaremus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera summa cum salute reipublicae commissa erant, hoc quoque bellum regium committeremus?

XXV. 68. At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicae, populique Romani beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiebant. Quorum ego auctoritatem apud populum multis locis plurimum valuisse et valere oportere confitebar, sed in hac caussa tamen, omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione exquirere poteramus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me dicta erant, iidem isti vera esse concedebant, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? *Si uni omnia tribuenda essent, unum dignissimum esse Pompeium: sed ad unum tamen omnia deferri non oportere.* Similiter [3] Catulus, qui ex populo quaesivit: *Si in uno Cn. Pompeio omnia ponerent, si quid de eo factum esset, in quo spem essent habituri?* 69. Quod [4] si auctoritatibus

[1]) Ibid. c. 24. § 69. — [2]) Ibid. c. 17. § 50. — [3]) Ibid. c. 20. § 59. — [4]) Ibid. c. 23. § 68.

ssa confirmanda esset; erat auctor vir bellorum
ximarumque rerum peritissimus, P. Servilius,
res gestae terra marique exstiterunt, ut, quum
deliberetur, auctor gravior esse nemo debeat; erat
rio, summis populi Romani beneficiis maximisque
bus gestis, summo ingenio et prudentia praeditus; erat
Cn. Lentulus, in quo omnes, pro amplissimis populi Romani honoribus, summum consilium, summam gravitatem esse cognoscebant; erat C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quorum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiebant, respondere posse videbamur. 70. Sed[1] ego, quum mihi praetori populus Romanus personam hanc imposuisset, ut quibuscumque rebus possem, Pompeii absentis dignitatem secum una tuerer; feci, quae potui, neque familiaritate illius adductus, nec spe honoris atque amplissimae dignitatis: quam ego, etsi libente illo, tamen absente illo, per populum consecutus sum. Quidquid[2] enim in me erat studii, consilii, laboris, ingenii, quidquid hoc beneficio populi Romani atque hac potestate praetoria, quidquid auctoritate, fide, constantia poteram, id omne ad hanc rem conficiendam C. Manilio et populo Romano pollicebar ac deferebam.

XXVI. 71. Eius[3] igitur belli conficiendi curam summo studio populus Romanus ad Cn. Pompeium detulit. Cuius ex omnibus pugnis, quae sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quae cum Mithridate commissa est et summa contentione pugnata. Qua ex pugna quum se ille eripuisset, et Bosporum confugisset, quo exercitus adire non posset; etiam in extrema fortuna et fuga nomen tamen

[1]) de l. Agraria II. c. 18. § 49. — [2]) pro l. Manilia c. 24. § 69. — [3]) pro Murena c. 16. § 34.

egregia
lii et
simo
popu.
au
p

... ipse Pompeius, regno possesso, ex ... libus hoste pulso, tamen tantum ... ut, quam omnia, quae ille tenuerat, ... possideret, tamen non ante, quam ... bellum confectum iudicarit. 72. Ti... Pompeius, quum in suis castris supplicem ... erexit, atque insigne regium, quod ille ... abiecerat, reposuit, et, certis rebus impera... ... it: nec minus et sibi et huic imperio glo... ... it, constitutum a se regem, quam constrictum ... tur, qui et ipse hostis fuit populi Romani, et ... hostem in regnum recepit, qui conflixit, qui ... sustulit, qui de imperio paene certavit, regnat hodie, ... societatis nomen ac societatis, quod armis violarat, id ... est consecutus. Ostenderat [2] enim, non odio neque ... inimicitiae fecisse, quod fecerat, sed impulsu Mithridatis. ... pollicebatur et confirmabat se, et hoc peccato do... ... et beneficio eorum, qui sibi ignoscerent, confirma... ..., omni tempore a tali ratione abfuturum; deinde spem ... tendit, aliquo se in loco, magno iis, qui sibi concederent, ... futurum.

XXVII. 73. Sed [3] ne a me ipso recedam: quum [4] postulabatur apud me praetorem primum de pecuniis repetundis, ego [5] defendi C. Cornelium. Non [6] is legem aliquam contra auspicia tulerat: non Aeliam, non Fufiam legem neglexerat: non consuli vim attulerat: non armatis hominibus templum tenuerat: non intercessorem vi deiecerat: non religiones polluerat, nec aerarium exhauserat, nec rempublicam com-

---

[1]) pro Sextio c. 27. § 58. — [2]) de Invent. II. c. 35. § 106. — [3]) de Senect. c. 16. § 56. — [4]) Fragm. Orat. pro Cornelio I. (in edit. Nobbii p. 1292, n. 1. — [5]) Brut. c. 79. § 271. — [6]) in Vatinium c. 2. § 5.

pilarat. Cornelio eiusmodi nihil obiiciebatur. Codicem legisse dicebatur: defendebatur, testibus collegis suis, non recitandi caussa legisse, sed recognoscendi. Constabat tamen, Cornelium concilium illo die dimisisse, intercessioni paruisse. Accusabat [1] Cornelium C. Cominius Spoletinus; in quo et compositum dicendi genus et acre et expeditum fuit. 74. Pro A. Cluentio respondi accusationi T. Accii Pisaurensis; qui et accurate dicebat et satis copiose, eratque praeterea doctus Hermagorae praeceptis; quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur. Animadverti [2] autem, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes, quarum altera mihi niti et magno opere confidere videbatur invidia iam inveterata iudicii Iuniani, altera tantum modo consuetudinis caussa timide et diffidenter attingere rationem veneficii criminum; qua de re lege erat haec quaestio constituta. Itaque mihi certum erat, hanc eamdem distributionem invidiae et criminum sic in defensione servare, ut omnes intelligerent, nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo.

XXVIII. 75. Multarum [3] rerum iudicia praetereo, ne quem *in* iudicium oratio mea revocare videatur. At [4] hoc loco illud non queo praeterire. C. [5] et L. Fabricii fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinati, homines inter se quam forma tum moribus similes, municipum autem suorum dissimillimi: in quibus quantus splendor sit, quam prope aequabilis, quam fere omnium constans et moderata ratio

---

[1]) Brut. c. 78. § 271. — [2]) pro Cluentio c. 1. § 1. — [3]) Fragm. Orat. pro Cornelio I. (in edit. Nobbii p. 1292, n. 17.) — [4]) ad Att. I. 19. § 3. — [5]) pro Cluentio c. 16. § 46.

[illegible] erat opinio, ignorat. His Fabriciis [illegible] familiarissime. Iam hoc fere [illegible] vim habeat ad coniungendas amici- [illegible] naturae similitudo. Quum illi ita vive- [illegible] quaestum turpem esse arbitrarentur; quum [illegible], omnes insidiae circumscriptionesque [illegible] nascerentur; quumque essent vitiis atque [illegible] noti: studiose, ut dixi, ad eorum se [illegible] multis iam ante annis Oppianicus applicarat. [illegible] tum sic statuit, per C. Fabricium (nam L. erat [illegible]) insidias Cluentio Avito comparare. Erat illo tem- [illegible] valetudine Avitus. Utebatur autem medico [illegible], sed spectato homine, Cleophanto: cuius servum [illegible] Fabricius ad venenum Avito dandum spe et pretio [illegible] coepit. Servus, non incallidus et, ut ipsa res de- [illegible] vit, frugi atque integer, sermonem Fabricii non est aspernatus: rem ad dominum detulit: Cleophantus autem cum Avito est locutus. Avitus statim cum M. Baebio sena- tore, familiarissimo suo, communicavit. Ei placuit, ut Diogenem Avitus emeret a Cleophanto, quo facilius aut com- prehenderetur res eius iudicio, aut falsa esse cognosceretur. Ne multa; Diogenes emitur: venenum diebus paucis, (multi viri boni quum ex occulto intervenissent,) pecuniaque ob- signata, quae ad eam rem dabatur, in manibus Scaman- dri, liberti Fabriciorum, deprehenditur. Quis [1] est qui dubitet, quin, hac re comperta manifesteque deprehensa, aut obeunda mors Cluentio aut suscipienda accusatio fuerit.

XXIX. 77. Quamquam satis esse arbitrabar demonstra- tum, his criminibus accusatum esse Oppianicum, ut hone- ste absolvi nullo modo potuisset; Cluentius primum nomen

[1]) Ibid. c. 17. § 48.

eius detulit, cuius in manibus venenum deprehenderat. Is erat libertus Fabriciorum, Scamander. Integrum consilium, iudicii corrupti nulla suspicio: simplex in iudicium caussa, certa res, verum crimen allatum est. Hic tum Fabricius, is, de quo ante dixi, qui, liberto damnato, sibi illud impendere periculum videret, quod mihi cum Aletrinatibus vicinitatem, et cum plerisque eorum magnum usum esse sciebat, frequentes eos ad me domum adduxit. Qui quamquam de homine, sicut necesse erat, existimabant, tamen, quod erat ex eodem municipio, suae dignitatis esse arbitrabantur, eum, quibus rebus possent, defendere: idque a me ut facerem, et ut caussam Scamandri susciperem, petebant: in qua caussa patroni omne periculum continebatur. 78. Ego, qui neque illis talibus viris ac tam amantibus mei rem possem ullam negare, neque illud crimen tantum ac tam manifestum esse arbitrarer, sicut ne illi quidem ipsi, qui mihi tum illam caussam commendabant, arbitrabantur, pollicitus iis sum, me omnia, quae vellent, esse facturum. Res agi coepta est: citatus est Scamander reus. Accusabat P. Canutius, homo in primis ingeniosus et in dicendo exercitatus: accusabat autem ille quidem Scamandrum verbis tribus, VENENUM ESSE DEPREHENSUM: omnia tela totius accusationis in Oppianicum coniiciebantur: aperiebatur caussa insidiarum: Fabriciorum familiaritas commemorabatur: hominis vita et audacia proferebatur: denique omnis accusatio varie graviterque tractata, ad extremum manifesta veneni deprehensione conclusa est. 79. Hic ego tum ad respondendum surrexi: qua cura, Dii immortales! qua sollicitudine animi! quo timore! Semper equidem magno cum metu incipio dicere: quotiescumque dico, toties mihi videor in iudicium venire non ingenii solum, sed etiam virtutis atque officii: ne aut id profiteri videar, quod

non possim implere; quod est impudentiae: aut id non efficere, quod possim; quod est aut perfidiae, aut negligentiae. Tum vero ita sum perturbatus, ut omnia timerem: si nihil dixissem, ne infantissimus; si multa in eiusmodi caussa dixissem, ne impudentissimus existimarer. Collegi me aliquando, et ita constitui, fortiter esse agendum; illi aetati, qua tum eram, solere laudi dari, etiamsi in minus firmis caussis hominum periculis non defuissem. Itaque feci: sic pugnavi, sic omni ratione contendi, sic ad omnia confugi, quantum ego assequi potui, remedia ac perfugia caussarum, ut hoc, quod timide dicam, consecutus sim, ne quis illi caussae patronum defuisse arbitraretur.

XXX. 80. Praetore[1] me, Catilina Africam praetor obtinebat. Secutus est annus: caussam de pecuniis repetundis Catilina dixit. Multi[2] ex omni ordine atque ex omni aetate studuerunt Catilinae. Habuit enim ille permulta maximarum, non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis: et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebrae libidinum multae: erant etiam industriae quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum. 81. Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? Quis civis meliorum partium aliquando? quis taetrior hostis huic civitati? Quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior?

---

[1]) pro Caelio c. 4. § 10. — [2]) Ibid. c. 5. § 12.

Illa vero in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare, quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia; versare suam naturam et regere ad tempus atque huc et illuc torquere et flectere: cum tristibus severe, cum remissis iucunde, cum senibus graviter, cum iuventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere. 82. Hac ille tam varia multiplicique natura quum omnes omnibus ex terris homines improbos audacesque collegerat, tum etiam multos fortes viros et bonos specie quadam virtutis assimulatae tenebat. Me[1] ipsum, me, inquam, quondam paene ille decepit, quum et civis mihi bonus, et optimi cuiusque cupidus, et firmus amicus ac fidelis videretur; quo[2] tempore ipsum defendere cogitavi: sperabam enim, si absolutus erat, coniunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis.

XXXI. 83. Praetermitto[3] ruinas fortunarum: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum, non ad domesticam ipsius difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rempublicam atque ad omnium civium vitam salutemque pertinent. Quis nescit, Catilinam pridie Kalendas Ian. Lepido et Tullo consulibus stetisse in comitio cum telo? Cn. Pisonem[4] et Catilinam et Varguntеium et Autronium manum[5], consulum et principum civitatis interficiendorum caussa, paravisse? sceleri ac furori isti non mentem aliquam aut timorem, sed fortunam populi Romani obstitisse? 84. Haec[6] est illa coniuratio, quae Torquato consule de-

[1]) Ibid. c. 6. § 14. — [2]) ad Att. I. 2. § 1. — [3]) in Catil. I. c. 6. § 14. — [4]) pro Sulla c. 24. § 67. — [5]) in Catil. I. c. 6. § 14. — [6]) pro Sulla c. 4. § 11.

signato facta esse dicitur: cuius fortissimi viri atque optimi consulis non interfui consiliis, expers illorum temporum et sermonum: credo, quod nondum penitus in republica versabar, quod nondum ad propositum mihi finem honoris perveneram, quod mea me ambitio et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat. Quis ergo intererat istis consiliis? In primis Q. Hortensius: qui quum propter honorem ac dignitatem atque animum eximium in rempublicam, tum propter summam familiaritatem summumque amorem in Torquatum quum communibus, tum praecipuis Torquati periculis commovebatur. Ergo istius coniurationis crimen defensum est ab eo, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et consilii fuit et timoris. Cuius in hoc crimine propulsando quum esset copiosissima atque ornatissima oratio, tamen non minus inerat auctoritatis in ea, quam facultatis.

XXXII. 85. Torquatus [1] consul reo de pecuniis repetundis Catilinae fuit advocatus: cui quum adfuit post delatam ad eum primam illam coniurationem, indicavit se audisse aliquid, non credidisse. P. Clodius [2] autem a Catilina pecuniam accepit, ut turpissime praevaricaretur. Sic [3] bis fuit Catilina absolutus: si [4] absolutio nominanda est, qua is poena liberatur, qui stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit, caede nefaria cruentavit, diripuit socios, leges, quaestiones, iudicia violavit: qui [5] ita vixit, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus eius, etiam quum culpa nulla subesset, crimen afferret. 86. Quid [6] ego, ut violaverit provinciam, praedicem, cuncto populo Romano clamante ac resistente? Nam, ut se illic gesserit, non audeo

[1]) Ibid. c. 29. § 81. — [2]) de Haruspic. Respons. c. 20. § 42. — [3]) in Pison. c. 39. § 95. — [4]) Fragm. Orat. in toga candida (in edit. Nobbii p. 1302, n. 18.) — [5]) Ibid. n. 16. — [6]) Ibid. n. 19.

dicere, quoniam absolutus est. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo: mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam; vidisse puto nescio quid illos iudices, qui ipsum innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentiret, illo iudicio se non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum.

XXXIII. 87. L. Iulio Caesare [1], C. Marcio Figulo consulibus, filiolo me auctum scito, salva Terentia. Tulliolam [2] autem C. Pisoni L. F. Frugi despondimus. Pisonis [3] humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus erat, ut nihil supra posset: studio [4] autem neminem, nec industria maiore cognovi; quamquam ne ingenio quidem qui praestiterit facile dixerim C. Pisoni, genero meo. 88. Nullum tempus illi umquam vacabat aut a forensi dictione aut a commentatione domestica aut a scribendo aut a cogitando. Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur; eratque verborum et delectus elegans et apta et quasi rotunda constructio; quumque argumenta excogitabantur ab eo multa et firma ad prohandum, tum concinnae acutaeque sententiae; gestusque natura ita venustus, ut ars etiam, quae non erat, et e disciplina motus quidam videretur accedere. Vereor, ne amore videar plura, quam fuerint in illo, dicere: quod non ita est; alia enim de illo maiora dici possunt. Nam nec continentia nec pietate nec ullo genere virtutis quemquam eiusdem aetatis cum illo conferendum puto.

---

[1]) ad Att. I. 2. § 1. — [2]) ad Att. I. 3. § 3. — [3]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 1. § 4.) — [4]) Brut. c. 78. § 272.

XXXIV. 89. Hic [1] fuit annus, quo ego consulatum petivi. Petebat Catilina mecum: quem [2] tamen consulatum sperare aut cogitare, prodigium atque portentum erat. A quibus enim petebat? A principibus civitatis? qui ipsi, quum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt. A senatoribus? qui ipsum auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt. Ab equestri ordine? quem trucidavit. A plebe? cui spectaculum eiusmodi ipsius crudelitas praebuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset. 90. Competitores [3], qui certi esse videbantur, Galba et Antonius et Q. Cornificius. Erant, qui etiam Caesonium putarent. Nos [4] in omni munere candidatorio fungendo summam adhibuimus diligentiam: et, quoniam videbatur in suffragiis multum posse Gallia, quum Romae a iudiciis forum refrixisset, quondam statueramus excurrere mense Septembri legati ad Pisonem, ut Ianuario reverteremur. Sed [5] mox, consilio mutato, in provinciam ire noluimus, ut interea Romae scilicet amicis praesto esse possemus: omnes [6] enim gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putavimus. 91. Nulli [7] autem populo Romano pro me maiores mei spoponderunt: nulli, quum petebam, me populo auctores generis mei commendarunt. Unus [8] frater, qui in me pietate filius, consiliis parens, amore (ut erat) frater inventus est, haec ad me scripsit:

Etsi [9] *tibi omnia suppetunt, quae consequi ingenio aut usu homines aut diligentia possunt, tamen amore nostro non sum*

---

[1]) pro Caelio c. 4. § 10. — [2]) Fragm. Orat. in toga candida (in edit. Nobbii p. 1301, n. 11.) — [3]) ad Att. I. 1. § 1. — [4]) Ibid. § 2. — [5]) pro Murena c. 20. § 42. — [6]) ad Att. I. 1. § 4. — [7]) de l. Agraria II. c. 36. § 100. — [8]) post redit. in Senatu c. 15. § 37. — [9]) Q. Cicero de petit. cons. c. 1. § 1.

arbitratus alienum, ad te perscribere ea, quae mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti; non ut aliquid ex iis novi addisceres, sed ut ea, quae in re dispersa atque infinita viderentur esse, ratione et distributione sub uno aspectu ponerentur. Quamquam plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam vincere. 92. *Civitas quae sit, cogita; quid petas; qui sis. Prope quotidie ad forum tibi descendenti meditatum hoc sit:* Novus sum; Consulatum peto; Roma est. *Nominis novitatem dicendi gloria maxime sublevabis. Semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non potest, qui dignus habetur patronus consularium, indignus consulatu putari. Quamobrem, quoniam ab hac laude proficisceris, et, quidquid es, ex hoc es, ita paratus ad dicendum venito, quasi in singulis causis iudicium de omni ingenio futurum sit.* 93. *Eius facultatis adiumenta, quae tibi scio esse sepositа, ut parata ac prompta sint, cura; et saepe, quae de Demosthenis studio et exercitatione scripsit Demetrius, recordare; deinde et amicorum multitudo et genera appareant. Habes enim ea, quae novi habuerunt: omnes publicanos, totum fere equestrem ordinem, multa praeterea municipia, multos abs te defensos cuiusque ordinis, aliquot collegia; praeterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos, quotidianam amicorum assiduitatem et frequentiam.* 94. *Haec cura ut teneas commendando et rogando et omni ratione efficiendo, ut intelligant, et qui debent tua causa, referendae gratiae, et qui volunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullum fore. Etiam hoc multum videtur adiuvare posse novum hominem: hominum nobilium voluntas, et maxime consularium. Prodest, quorum in locum ac numerum pervenire velis, ab his ipsis illo loco ac numero dignum putari.* 95. *Hi rogandi omnes sunt diligenter, et ad eos allegandum est persuaden-*

dumque iis, nos semper cum optimatibus de republica sensisse, minime populares fuisse; si quid locuti populariter videamur, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus, ut eum, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus aut certe non adversarium. 96. *Praeterea adolescentes nobiles, elabora ut habeas, vel ut teneas studiosos tui, quos habes. Multum dignitatis afferent. Plurimos habes: perfice, ut sciant, quantum in eis putes esse. Si adduxeris, ut ii, qui non nolunt, cupiant, plurimum proderunt.* Et [1] cetera generis eiusdem. Longum [2] enim est et non necessarium, commemorare singula.

XXXV. 97. Interim [3] accidit mihi, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro, consulatum peterem. Superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Nihil [4] est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum, summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Mallio? quis M. Scaurum, hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem, a Q. Maximo? Non modo horum nihil ita fore putatum est, sed ne quum esset factum quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit. Nam ut tempestates saepe certo aliquo caeli signo commoventur, saepe improviso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex caussa concitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas, quo signo commota sit; saepe

---

[1]) Topic. c. 11. § 48. — [2]) in Verrem Act. II. L. IV. c. 60. §. 135. — [3]) pro Murena c. 8. §. 17. — [4]) Ibid. c. 17. § 36.

ita obscura est, ut casu excitata esse videatur. 98. Sed [1] tamen me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella, quam voce priorem consulem declaravit. Me [2] perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum, hominem novum, consulem fecerunt, et eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce resciderunt virtutique in posterum patere voluerunt.

XXXVI. 99. Neque me tantummodo consulem, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita fecerunt, quomodo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo. Nam profecto si recordari voluerimus de novis hominibus, reperiemus eos, qui sine repulsa consules facti sint, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos, quum multis annis post petissent, quam praetores fuissent, aliquanto serius, quam per aetatem ac per leges licerel; qui autem anno suo petissent, sine repulsa non esse factos: me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possimus, qui consulatum petierim, quum primum licitum sit; consul factus sim, quum primum petierim: ut populi Romani honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienae petitionis occasionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur. 100. Est illud amplissimum, quod paullo ante commemoravi, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis post annis, affecerunt; quod prima petitione; quod anno meo: sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam, vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae se indicem suarum erga

[1]) in Pison. c. 1. § 3. — [2]) de l. Agraria II. c. 1. § 3.

me voluntatum ac studiorum tulerunt. Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi civium concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus Romanus consulem declaravit. Sed [1] mitto, ut sim factus. Magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quam, quemadmodum ceperimus.

Sed [2] quoniam et satis videmur dixisse, et huius voluminis magnitudo longius processit, quae sequuntur deinceps, in tertio libro dicemus.

---

[1]) in Pison. c. 2. § 3. — [2]) de invent. I. c. 56. § 109.

LIBER TERTIUS.

I. 1. Designatus [1] consul quum eram, qualem Kalendis Ianuariis accepturus essem rempublicam, intelligebam; plenam sollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi exspectarent. Omnia turbulenta consilia contra totum reipublicae statum et contra publicum otium partim iniri, partim inita esse dicebantur. Sublata erat de foro fides non ictu aliquo novae calamitatis, sed suspicione ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum: novae dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna, quaeri putabantur. 2. Exspectabam [2] igitur, quid tribunus plebis vigilans et acutus excogitaret. Mihi [3] enim deliberatum et constitutum erat, ita gerere consulatum, quo uno modo geri graviter et libere potest, ut neque provinciam, neque honorem, neque ornamentum aliquod aut commodum, neque rem ullam, quae a tribuno plebis impediri possit, appetere vellem, cuperemque [4] tribunum plebis reipublicae iratum coercere, mihi iratum contemnere. Itaque [5], ut initio mihi

[1]) de l. Agr. II. c. 3. §. 8. — [2]) de l. Agr. I. c. 1. § 3. — [3]) Ibid. c. 8. § 25. — [4]) Ibid. § 26. — [5]) de l. Agr. II. c. 5. § 11.

designato consuli nuntiabatur, legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiebam, quid cogitarent, cognoscere. Etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos reipublicae bene administrandae societatem. 3. Quum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem: celabar, excludebar: et, quum ostenderem, si lex utilis plebi Romanae mihi videretur, auctorem me atque adiutorem futurum; tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam: negabant, me adduci posse, ut ullam largitionem probarem. Finem feci offerendi mei, ne forte mea sedulitas aut insidiosa aut impudens videretur. Interea non desistebant clam inter se convenire, privatos quosdam adhibere, ad suos coetus occultos noctem adiungere et solitudinem. Quibus in rebus quanto in metu fuerimus, ex civium sollicitudine, in qua illis temporibus fuerunt, facile quivis assequi coniectura poterat.

II. 4. Ineunt tandem magistratus tribuni plebis: concio tandem exspectata P. Rulli, quod et princeps erat agrariae legis, et truculentius se gerebat, quam ceteri. Iam designatus, alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior, quam ante, barbaque maiore; ut oculis et aspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam et minitari reipublicae videretur. Legem hominis concionemque exspectabam. Lex initio nulla proponitur: concionem in primis advocari iubet: summa cum exspectatione concurritur. 5. Explicat orationem sane longam, et verbis valde bonis. Unum erat, quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset, quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum caussa fecerit, an hoc

genere eloquentiae delectetur, nescio. Tamen, si qui acutiores in concione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere suspicabantur. Aliquando tandem, me designato, lex in publicum proponitur. Concurrunt iussu meo plures uno tempore librarii: descriptam legem ad me afferunt. 6. Omni hoc ratione confirmare possum, hoc animo me ad legendam legem cognoscendamque venisse, ut, si eam populo accommodatam atque utilem esse intellexissem, auctor eius atque adiutor essem. Non enim natura neque discidio neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persaepe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni et fortes consules obstiterunt, et quia vis tribunicia nonnumquam libidini restitit consulari. Non potestatum dissimilitudo, sed animorum disiunctio dissensionem facit.

III. 7. Itaque hoc animo legem sumpsi in manus, ut eam cuperem esse aptam populi Romani commodis et eiusmodi, quam consul, re, non oratione, popularis, et honeste et libenter posset defendere. Atque ego a primo capite legis usque ad extremum reperio, nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum, nisi ut decem reges aerarii, vectigalium, provinciarum omnium, totius reipublicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur legis agrariae simulatione atque nomine. 8. Scriptum[1] erat enim: QUAE IN MUNICIPIA, QUASQUE IN COLONIAS DECEMVIRI VELINT, DEDUCANT COLONOS QUOS VELINT, ET IIS AGROS ASSIGNENT, QUIBUS IN LOCIS VELINT: ut, quum totam Italiam militibus suis occupassent, nobis non modo dignitatis retinendae, sed ne libertatis qui-

[1]) de l. Agraria I. c. 6. § 17.

relinqueretur. Capuam [1] deduci urbem huic urbi rursus opponere, et imperii nomen transferre cogitapropter ubertatem agrorum abundantisuperbiam et crudelitatem genuisse colonos, delectos ad omne facinus, decollocaturi. In [2] id, inquam, oppidum horempublicam nostram tranferre conabantur, maiores nostri nullam omnino rempublicam 9. Videte [3], quantum intervallum sit inter maiorum nostrorum consilia et inter istorum dementiam. Illi Capuam, receptaculum aratonundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani voluerunt: hi, expulsis aratoribus, effusis ac dis- fructibus nostris, eamdem Capuam sedem novae reipublicae constituebant, molem contra veterem rempublicam comparabant.

IV. 10. His [4] ego rebus restiti vehementer atque acriter, neque passus sum, homines ea, me consule, expromere, quae contra rempublicam diu cogitassent. Lacesso [5] Nullum et huius collegas; in concionem voco; populo Romano disceptatore uti volo. Sic [6] confirmo, hac lege agraria, pulchra atque populari, dari populo nihil, condonari certis hominibus omnia; ostentari populo Romano agros, eripi etiam libertatem: privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri: denique, quod est indignissimum, per tribunum plebis, quem maiores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt, reges in civitate constitui. 11. Quae [7] quum ego

---

[1]) Ibid. § 18. — [2]) de l. Agraria II. c. 32. § 87. — [3]) Ibid c. 33. § 89. — [4]) de l. Agraria I. c. 7. § 22. — [5]) Ibid. § 23. — [6]) de l. Agraria II. c. 6. § 15. — [7]) Ibid. c. 4. § 9.

non solum suspicarer, sed plane cernerem; (neque enim obscure gerebantur) non solum [1] in concione, ubi est id dictu facillimum, sed in ipso senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem, prima mea illa oratione Kalendis Ianuariis dixi. Neque enim ullo modo facere poteram, ut, quum me intelligerem non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi Romani iudicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe praeponerer, non et in hoc magistratu et in omni vita essem popularis. 12. Quid [2] autem est tam populare, quam pax? qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi laetari videntur. Quid tam populare, quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti atque omnibus rebus antepoui videmus. Quid tam populare, quam otium? quod ita iucundum est, ut et maiores nostri et fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, praesertim in imperio ac dignitate. Quare qui poteram non esse popularis, quum viderem haec omnia, pacem externam, libertatem propriam generis ac nominis Romani, otium domesticum, denique omnia, quae civibus cara atque ampla sunt, in fidem et quodam modo in patrocinium mei consulatus esse collata?

V. 13. In [3] altera ad populum de lege agraria, urbanam plebem [4], quam nimium in republica posse et *exhauriendam esse* in senatu dixerat tribunus plebis — hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina, ac non de

---

[1]) Ibid. c. 3. § 6. — [2]) de l. Agraria II. c. 4. § 9. — [3]) ad Att. II. 1. § 3. — [4]) de l. Agraria II. c. 26. § 70.

optimorum civium genere loqueretur — admonui, ut, si me audire vellet, retineret istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, Urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum: nisi forte mallet, relictis his rebus atque hac luce reipublicae, in Sipontina siccitate aut in Salapinorum pestilentiae finibus, Rullo duce, collocari. 14. Denique[1] ostendi totam legem, quum ad paucorum dominationem esset scripta, tum ad Sullanae assignationis rationes esse accommodatissimam. Quamobrem[2] recitavi caput legis XI., de quo ego consulto apud populum ante non feceram mentionem, ne aut refricare obductam iam reipublicae cicatricem viderer, aut aliquid alienissimo tempore novae dissensionis commovere. Quid[3] ergo ait tribunus plebis? QUAE POST MARIUM ET CARBONEM CONSULES, AGRI, AEDIFICIA, LACUS, STAGNA, LOCA, POSSESSIONES, (caelum et mare praetermisit, cetera complexus est) PUBLICE DATA, ASSIGNATA, VENDITA, CONCESSA SUNT: EA OMNIA EO IURE SINT, UT QUAE OPTIMO IURE PRIVATA SINT. 15. Hoc[4] tribunus plebis promulgare ausus est, ut, quod quisque post Marium et Carbonem consules possidebat, id eo iure teneret, quo qui optimo privatum! Ergo hac lege ius civile, caussae possessionum, praetorum interdicta tollebantur. Non mediocris res neque parvum sub hoc verbo furtum latebat. Erant enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquam assignati neque venditi, qui a paucis hominibus impudentissime possidebantur. His cavebat, hos defendebat, hos privatos faciebat: hos, inquam, agros, quos Sulla nemini dederat, Rullus non populo assignare volebat, sed eis condonare, qui possidebant. 16. Ego[5] autem — qui otii et concordiae patronum me in hunc an-

[1]) de l. Agraria III. c. 3. § 13. — [2]) Ibid. c. 2. § 4. — [3]) Ibid. § 7. — [4]) Ibid. c. 3. § 11. — [5]) Ibid. c. 2. § 4.

num reipublicae professus essem, et qui [1] initio orassem patres conscriptos, suum ut mihi studium ad communem dignitatem defendendam profiterentur, quo perficerem id, quod maxime respublica desiderabat, ut senatus auctoritas, quae apud maiores nostros fuit, eadem longo intervallo reipublicae restituta esse videretur — ego [2] senatum et bonos omnes legis agrariae maximarumque largitionum metu liberavi; ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi: si oportuit, melioribus auctoribus reservavi. Nam [3] lex agraria tota a me reprehensa et abiecta est; et [4], quae nobis designatis timebant omnes, ea ne accidere possent, consilio meo ac ratione provisa sunt.

VI. 17. Nunc [5] reliquum consulatum meum exponam. Sunt [6] autem maximae res in hac memoria atque aetate nostra. Plura [7] enim acciderunt, quam vellem. Sed [8] sunt haec leviora: illa vero gravia atque magna. Sunt [9] tamen ea cognoscenda; pertinent enim ad annum, de quo hoc libro disputatur. Reliqua deinceps persequemur.

Numquam [10] vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur; armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine. Quibus ita restiti, ut hoc tantum malum de republica tolleretur. Numquam nec maius aes alienum fuit, nec melius nec facilius dissolutum est. Fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consecuta est. Tabulae [11] vero novae quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum: eum tu habeas, ego non ha-

---

[1]) de l. Agraria I. c. 9. § 27. — [2]) in Pison. c. 2. § 4. — [3]) pro Sulla c. 23. § 65. — [4]) de l. Agraria II. c. 37. § 102. — [5]) in Pison. c. 3. § 7. — [6]) de Legib. I. c. 3. § 8. — [7]) in Pison. c. 20. § 46. — [8]) pro Plancio c. 35. § 86. — [9]) de Off. II. c. 25. § 90. — [10]) Ibid. c. 24. § 84. — [11]) Ibid. c. 23. § 84.

. ne sit aes alienum, quod
est, quod multis rationi-
fuerit, ut locupletes suum per-
alienum. Nec enim ulla res ve-
continet, quam fides: quae esse
necessaria solutio rerum creditarum.
volunt, ob eamque caussam aut
ut possessores suis sedibus pellan-
creditas debitoribus condonandas putant,
fundamenta reipublicae; concordiam primum,
potest, quum aliis adimuntur, aliis condo-
: deinde aequitatem, quae tollitur omnis,
suum cuique non licet. Id enim est proprium
urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei
custodia. Atque in hac pernicie reipublicae ne
consequuntur, quam putant, gratiam. Nam
erepta est, est inimicus; cui data, etiam dissimu-
accipere voluisse, et maxime in pecuniis creditis oc-
suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo. At
qui accipit iniuriam, et meminit et prae se fert
suum: nec, si plures sunt ii, quibus improbe da-
est, quam illi, quibus iniuste ademptum est, ideirco
etiam valent. Non enim numero haec iudicantur,
pondere. Quam autem habet aequitatem, ut agrum,
multis annis aut etiam saeculis ante possessum, qui nullum
habuit, habeat, qui autem habuit, amittat? 19. Ac pro-
pter hoc iniuriae genus Lacedaemonii Lysandrum epho-
rum expulerunt: Agin regem, quod numquam antea apud
eos acciderat, necaverunt: exque eo tempore tantae dis-
cordiae secutae sunt, ut et tyranni exsisterent, et opti-

---

1) Ibid. c. 22. § 78.

mates exterminarentur, et praeclarissime constituta respublica dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malorum, quae, a Lacedaemoniis profecta, manarunt latius.

VII. 20. Actum [1] etiam est de senatore legando sine procuratione. Quod [2] quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videbatur, tamen, approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levis tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. Minui tamen tempus, et, quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. Iam illud apertum est, profecto nihil esse turpius, quam quemquam legari, nisi reipublicae caussa. Legatos [3] nostros, homines auctoritate tenui, qui rerum privatarum caussa legationes liberas obeunt, tamen exterae nationes ferre vix possunt. Grave est enim nomen imperii, atque id etiam in levi persona pertimescitur, propterea quod populi, non suo nomine, quum hinc egressi sunt, abutuntur. Mitto [4], quemadmodum istic se gerant atque gesserint, qui legatione hereditates aut syngraphas suas persequuntur. In hominibus est hoc fortasse vitium. Sed quaero, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senatorem legari, sine mandatis, sine ullo reipublicae munere? 21. Sed iam de provinciis decedatur, in Urbemque redeatur. Noli [5] ludorum elegantiam et scenae magnificentiam valde contemnere. Nam quid ego dicam, populum ac vulgus imperitorum ludis magno opere delectari? Minus est mirandum. Sed [6] si nosmetipsi, qui et ab delectatione omni negotiis impedimur, et in ipsa occupatione delecta-

[1]) de Provinc. consul. c. 11. § 28. — [2]) de Legib. III. c. 8. § 18. — [3]) de l. Agraria II. c. 17. § 45. — [4]) de Legib. III. c. 8. § 18. — [5]) pro Murena c. 19. § 38. — [6]) Ibid. § 39.

[illegible] habere possumus, ludis tamen oblectamur et delectamur: quid tu admirere de multitudine indocta? L. Plotius, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex haec, quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque commoditatis est restitutus. Delectant enim homines, mihi credite, ludi etiam illos, qui dissimulant, non solum eos, qui fatentur: quod ego in mea petitione sensi. Nam nos quoque habuimus scenam competitricem.

VIII. 22. Ego[1] autem in C. Rabirio, perduellionis reo, XX annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra invidiam atque defendi. Nam[2] me quum amicitiae vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meae vitae perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata: tum vero, ut id studiosissime facerem, salus reipublicae, consulare officium, consulatus denique ipse, mihi una a populo cum salute reipublicae commendatus, coegit. Sic[3] enim existimabam, post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus providendam, neque a tribuno plebis susceptam, neque a consule defensam, neque ad populum Romanum esse delatam. Agebatur enim nihil aliud in hac caussa, quam ut nullum esset posthac in republica publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem et audaciam, nullum extremis reipublicae temporibus perfugium et praesidium salutis. 23. T. Labienus — popularis[4] vero tribunus ple-

---

[1]) in Pison. c. 2. § 4. — [2]) pro Rabirio perduell. reo c. 1. § 2. — [3]) Ibid. c. 2. § 4. — [4]) Ibid. c. 4. § 12.

bis, custos defensorque iuris et libertatis! qui[1] civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putat oportere, qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi et constitui iubet — is[2] igitur arguebat, occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum. At id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio copiosissime defendente, antea falsum esse docuerat. Labienus[3] vero caussam suscepit antiquiorem memoria sua, (nam caussa ante mortua erat, quam ille natus esset) nec intellexit, primum quos homines et quales viros mortuos summi sceleris argueret; deinde quot ex iis, qui vivebant, eodem crimine in summum capitis periculum arcesseret. Neminem[4] enim fuisse dixi ex iis omnibus, qui illo die Romae fuerint, quin arma ceperit, quin consules secutus sit. 24. Confitebar[5] equidem, interficiendi Saturnini caussa C. Rabirium arma cepisse. Quid enim? quum[6] ad arma consules ex senatusconsulto vocavissent: quum armatus M. Aemilius, princeps senatus, in comitio constitisset: qui, quum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat: quum denique Q. Scaevola, confectus senectute, praepeditus morbo, mancus et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus, et animi vim et infirmitatem corporis ostenderet: quum L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus omnesque, qui tum erant, consulares pro salute communi arma cepissent: quum omnes praetores, cuncta nobilitas ac iuventus accurreret, Cn. et L. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus: quum omnes Octavii, Me-

---

[1]) Ibid. § 11. — [2]) Ibid. c. 6. § 18. — [3]) Ibid. c. 9. § 25. — [4]) Ibid. c. 11. § 31. — [5]) Ibid. c. 6. § 19. — [6]) Ibid. c. 7. § 21.

telli, Iulii, Cassii, Catones, Pompeii: quum L. Philippus, L. Scipio, quum M. Lepidus, quum D. Brutus, quum P. Servilius, quum Q. Catulus, admodum tum adolescens, quum C. Curio, quum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent; quid tum C. Rabirium facere conveniebat? Utrum inclusum atque abditum latere in occulto, atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere, an in Capitolium pergere atque ibi se cum ceteris, ad mortem propter vitae turpitudinem confugientibus, congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scaevola, cum bonis denique omnibus coire non modo salutis, verum etiam periculi societatem? 25. At [1] occidit Saturninum Rabirius. — Utinam [2] hanc mihi facultatem caussa concederet, ut possem hoc praedicare, C. Rabirii manu L. Saturninum, hostem populi Romani, interfectum! Libenter [3], inquam, confiterer, si vere possem, aut etiam, si mihi esset integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum esse occisum: et id facinus pulcherrimum esse arbitrarer. Quod [4] si fecisset, non supplicium fuissem deprecaturus, sed praemium postulaturus. Etenim, si Scaevae, servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est; quod equiti Romano praemium dari par fuisset?

IX. 26. Praeterea [5] ego adolescentes bonos et fortes, sed usos ea conditione fortunae, ut, si essent magistratus adepti, reipublicae statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi. Durum [6] fateor: quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac maioribus natos a

[1]) Ibid. c. 11. § 31. — [2]) Ibid. c. 8. § 18. — [3]) Ibid. § 19. — [4]) Ibid. c. 11. § 31. — [5]) in Pison. c. 2. § 4. — [6]) Fragm. orat. de Proscript. Filiis (in edit. Nobbii p. 1296.)

republica summoveri? Sed ita legibus Sullae cohaerebat status civitatis, ut, his solutis, stare ipsa non posset. Quid[1]? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae, reddasne depositum? Non, credo: facias enim contra rempublicam, quae debet esse carissima. Sic multa, quae honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. 27. Et[2] quum boni consulis sit, non solum videre, quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit, legem[3] de ambitu tuli; sed[4] tuli ex senatusconsulto, tuli sine vi, tuli salvis auspiciis, salva lege Aelia et Fufia: quae mea lex dilucide vetat, BIENNIO, QUO QUIS PETAT PETITURUSVE SIT, GLADIATORES DARE, NISI EX TESTAMENTO PRAESTITUTA DIE. Hanc[5] legem is, qui acta mea sibi ait displicere, contempsit Clodius. Quem[6] non tam admiror, quod meam legem contempserit, hominis inimici, quam quod se statuerit omnino consularem legem nullam putare. Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam contempsit. 28. Et[7] quid est, quod in hac caussa maxime homines admirentur et reprehendant meum consilium, quum ego idem multa decrerim, quae magis ad hominis dignitatem, quam ad reipublicae necessitatem pertinerent? Etenim[8], me consule referente, primum decem dierum supplicatio decreta est Cn. Pompeio, Mithridate interfecto confectoque Mithridatico bello; mea sententia primum duplicata est supplicatio consularis: mihi enim senatus assensus est, quum, eiusdem Pompeii litteris recitatis, confectis omnibus maritimis terrestribusque bellis, supplicationem dierum duodecim decrevit. 29. Et[9] ex Macedonia, provincia sua, rediens vir omni dignitate ornatis-

[1]) de Offic. III. c. 25. § 95. — [2]) pro Murena c. 2. § 4. — [3]) Ibid. c. 3. § 5. — [4]) in Vatin. c. 15. § 37. — [5]) pro Sextio c. 64. § 133. — [6]) Ibid. § 135. — [7]) de Provinc. Consul. c. 11. § 26. — [8]) Ibid. § 27. — [9]) in Pison. c. 19. § 44.

simus, L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente, ab senatu imperator est appellatus; homo[1] amantissimus patriae, maximi animi, summi consilii, singularis constantiae: qui, quum esset aeger tempore coniurationis Catilinariae, tamen omnibus rebus illis interfuit: numquam est a me digressus: studio, consilio, auctoritate unus adiuvit plurimum, quum infirmitatem corporis animi virtute superaret.

X. 30. Eodem[2] anno L. Lucullus, quum victor a Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. Nos enim consules introduximus paene in Urbem currum clarissimi viri. Qui[3] ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asiae pace consumpserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque quum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis; in Asiam factus imperator venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis. 31. Habuit enim divinam quamdam memoriam rerum — verborum maiorem Hortensius: sed, quo plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt, hoc erat memoria illa praestantior —: quam fuisse in Themistocle, quem facile Graeciae principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam se artem ei memoriae, quae

[1]) pro Sulla c. 12. § 34. — [2]) Academ. Pr. II. c. 1. § 3. — [3]) Ibid. § 1.

tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, *oblivisci se malle discere:* credo, quod haerebant in memoria, quaecumque audierat vel viderat. Tali ingenio praeditus Lucullus adiunxerat etiam illam, quam Themistocles spreverat, disciplinam. Itaque, ut litteris consignamus, quae monumentis mandare volumus: sic ille in animo res insculptas habebat. 32. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, praeliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumento et apparatu, ut ille rex post Alexandrum maximus hunc a se maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut hodie stet Asia Luculli institutis servandis et quasi vestigiis persequendis. Sed, etsi magna cum utilitate reipublicae, tamen diutius, quam vellem, tanta vis virtutis atque ingenii peregrinata abfuit ab oculis et fori et curiae.

Sed [1] ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur.

XI. 33. Omnia [2], quae per proximum triennium agitata erant, iam ab eo tempore, quo a L. Catilina et Cn. Pisone initum consilium senatus interficiendi sciebam esse, in consulatus mei tempus eruperunt. Neque isti me meo nomine interfici, sed vigilantem consulem de reipublicae praesidio demovere volebant. Quamobrem [3] ego Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in republica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi. De [4] quo nihil dico, praeter unum: numquam illum illo summo timore ac peri-

[1]) de Legib. II. c. 3. § 7. — [2]) pro Murena c. 38. § 82. — [3]) in Pison. c. 2. § 5. — [4]) pro Sextio c. 3. § 8.

culo civitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipso suspicionem aut infitiando tollere, aut dissimulando sedare voluisse. In quo collega sustinendo atque moderando, meam in illum indulgentiam, coniunctam cum summa custodia reipublicae, vere laudare quivis solebat. 34. Nam[1] mihi quidem quasi haec conditio consulatus data esset, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem; tuli non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus senatui populoque Romano dignitas salusque pareretur. Ergo[2] multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore, in publico timore, sanavi; magnum[3] enim in republica versari furorem et nova quaedam misceri et concitari mala iampridem videbam. Etenim[4] iamdiu in periculis coniurationis insidiisque versabamur: sed, nescio quo pacto, omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit.

XII. 35. Coniurabat[5] igitur contra rempublicam Catilina, homo[6] tam acer, quam paratus; tam audax, quam callidus; tam in scelere vigilans, quam in perditis rebus diligens. Omnia[7] norat, omnium aditus tenebat: appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat: erat ei consilium ad facinus aptum: consilio autem neque lingua neque manus deerat. Iam ad certas res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat. Neque vero, quum aliquid mandaverat, confectum putabat: nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, sitim, famem ferre poterat. Atque[8], ut eius diversa studia in dis-

---

[1]) in Catil. IV. c. 1. § 1. — [2]) Ibid. § 2. — [3]) Ibid. c. 3. § 6. — [4]) in Catil. I. c. 13. § 31. — [5]) pro Sulla c. 25. § 70. — [6]) in Catil. III. c. 7. § 17. — [7]) Ibid. § 16. — [8]) in Catil. II. c. 5. § 9.

simili ratione perspicere possitis, nemo erat in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateretur; nemo in scena levior et nequior, qui se non eiusdem prope sodalem fuisse commemoraret. Atque idem tamen, stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus, frigore et fame et siti ac vigiliis perferendis fortis ab istis praedicabatur, quum industriae subsidia atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumeret. 36. Sed [1] nihil agebat, nihil moliebatur, nihil cogitabat, quod ego non modo non audirem, sed etiam non viderem planeque sentirem. Memini [2] me ante diem XII. Kalendas Novembres dicere in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI. Kalendas Novembres, C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum Catilinae. Non me fefellit, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies. Dixi ego idem in senatu; Catilinam caedem optimatium contulisse in ante diem V. Kalendas Novembres, tum quum multi principes civitatis Roma, non tam sui conservandi, quam illius consiliorum reprimendorum caussa, profugerunt. Num infitiari potuit, se illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere se contra rempublicam non potuisse, quum ipse, discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum se esse dicebat? Quid? quum se Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideret, sensitne illam colonfam meo iussu praesidiis, custodiis vigiliisque esse munitam?

XIII. 37. Sed [3] ille ut vitiis suis commoveretur, ut

[1]) in Catil. I. c. 3. § 8. — [2]) Ibid. § 7. — [3]) Ibid. c. 9. § 22.

legum poenas pertimèsceret, ut temporibus reipublicae cederet, non erat postulandum. Neque enim is fuit Catilina, quem aut pudor umquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocaret. Etenim [1] videbamus Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuventutis, vallatum indicibus atque sicariis, inflatum quum spe militum, tum collegae mei, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum exercitu: quam turbam dissimillimo ex genere distinguebant homines perculsi Sullani temporis calamitate. Vultus erat ipsius plenus furoris, oculi sceleris, sermo arrogantiae, sic ut ei iam exploratus et domi conditus consulatus videretur. Murenam contemnebat: Sulpicium accusatorem suum numerabat, non competitorem: ei vim denuntiabat: reipublicae minabatur. Quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus sit, quantaque desperatio reipublicae, si ille factus esset, omnes [2] uno ore consentiunt. Causa [3] est enim post Urbem conditam haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem, praeter eos, qui, quum sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potius, quam soli perire voluerunt. 38. Tandem [4] iam aperte rempublicam universam petiit: templa deorum immortalium, tecta Urbis, vitam civium omnium, Italiam denique totam ad exitium et vastitatem vocavit. Quae [5] quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus prohibui; sed multis et non dubiis deorum immortalium significationibus omnia [6] sic egi, ut res maximae minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum ac maximum,

---

[1]) pro Murena c. 24. § 49. — [2]) de Amic. c. 23. § 86. — [3]) in Catil. IV. c. 7. § 14. — [4]) in Catil. I. c. 5. § 12. — [5]) in Catil. II. c. 13. § 29. — [6]) Ibid. § 28.

me uno togato duce et imperatore, sedaretur. Nam [1] toti Urbi, templis, delubris, tectis ac moenibus subiectos prope iam ignes circumdatosque restinximus, iidemque gladios in rempublicam destrictos retudimus mucronesque a iugulis civium deiecimus. 39. Magna [2] diis immortalibus habenda est gratia atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis, quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque infestam reipublicae pestem toties effugimus. Quamdiu mihi, consuli designato, Catilina insidiatus erat, non publico me praesidio, sed privata diligentia defenderam. Quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores suos interficere volebat, compressi eius nefarios conatus amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato: quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse coniunctam.

Quae [3] quoniam in senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me, iam exponam breviter; ut, et quanta et quam manifesta et qua ratione investigata et comprehensa sint, qui ignorant, scire possint.

XIV. 40. Quid [4] autem iam de illa nocte dicam, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novemb. me consule, quum inter falcarios ad M. Laecam, Catilinae denuntiatione, convenerunt complures [5] eiusdem amentiae scelerisque socii? quae [6] nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit atque acerbissima. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per Urbem caedis atque incendiorum constituta est. Et [7] quum distribueret Catilina partes Italiae; statueret, quo

[1]) in Catil. III. c. 1. § 2. — [2]) in Catil. I. c. 5. § 11. — [3]) in Catil. III. c. 1. § 3. — [4]) pro Sulla c. 18. § 52. — [5]) in Catil. I. c. 4. § 9. — [6]) pro Sulla c. 18. § 52. — [7]) in Catil. I. c. 4. § 9.

quemque proficisci placeret; deligeret, quos Romae relinqueret, quos secum educeret; describeret Urbis partes ad incendia; confirmaret, se ipsum iam esse exiturum; diceret paullulum sibi esse etiam tunc moras, quod ego viverem: reperti sunt duo equites Romani, qui illam ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me meo in lectulo interfectores pollicerentur. 41. Haec ego omnia, vixdum etiam coetu dimisso, comperi: domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi: exclusi eos, quos Catilina mane ad me salutatum miserat, quum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram: denique [1] hoc curavi, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum. Percrebruerunt [2] illius nefarii gladiatoris voces, quas habuisse in concione domestica dicebatur, quum *miserorum fidelem defensorem* negasset *inveniri posse, nisi eum, qui ipse misar esset: integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere: quare, qui consumpta replere, erepta recuperare vellent, spectarent, quid ipse deberet, quid possideret, quid auderet: minime timidum et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum.* Quibus rebus auditis, factum est senatusconsultum, referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus.

XV. 42. Hoc [3] tempore, quum arderet acerrime coniuratio; quum Catilina egrederetur ad exercitum; Lentulus in Urbe relinqueretur; Cassius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur; Autronio, ut occuparet Etruriam, praeseri-

---

[1]) pro Sulla c. 2. § 4. — [2]) pro Murena c. 25. § 50. — [3]) pro Sulla c. 19. § 53.

beretur; quum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur, non [1] deerat reipublicae consilium neque auctoritas senatus. Habebamus enim senatusconsultum in Catilinam vehemens et grave. Quo [2] ex senatusconsulto confestim interfectum esse Catilinam conveniebat. At vivebat Catilina: et vivebat non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Castra [3] erant in Italia contra rempublicam in Etruriae faucibus collocata; crescebat in dies singulos hostium numerus: eorum autem imperatorem castrorum ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videbamus, intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicae molientem. 43. Verum ego hoc, quod iampridem factum esse oportuerat, certa de caussa nondum adducebar, ut facerem. Etenim [4] nonnulli erant in senatu, qui aut ea, quae imminebant, non viderent, aut ea, quae videbant, dissimularent: qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt, coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt: quorum auctoritatem secuti multi non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. 44. Et mea [5] lenitas si cui solutior fuisse videtur, hoc exspectavit, ut id, quod latebat, erumperet. Intellexi [6] enim, si iste, quo intenderat, in Manliana castra pervenisset, neminem tam stultum fore, qui non videret coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateretur. Denique, hoc uno interfecto, intellexi hanc reipublicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi potuisse. Quod si autem se eiiceret secumque suos educeret et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaret; exstingui necesse

---

[1]) in Catil. I. c. 1. § 3. — [2]) Ibid. c. 2. § 4. — [3]) Ibid. § 5. — [4]) Ibid. c. 12. § 30. — [5]) in Catil. II. c. 12. § 27. — [6]) in Catil. I. c. 12. § 30.

erat atque deleri non modo hanc tam adultam reipublicae pestem, verum etiam stirpem ac semen malorum omnium.

XVI. 45. Ego [1] autem has partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab republica mihi impositam sustinui, sicut huius imperii dignitas, in summo periculo civium, postulabat: et tum, quum respublica vim et severitatem desiderabat, vici naturam, et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam. Cupiebam [2] enim me esse clementem: cupiebam in tantis reipublicae periculis me non dissolutum videri, sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemnabam. Igitur [3], quum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Iovis Statoris vocavi: rem omnem ad patres conscriptos detuli. Quo quum Catilina venisset, quis eum senator appellavit? quis salutavit? quis denique ita aspexit, ut perditum civem, ac non potius, ut importunissimum hostem? Quin etiam principes eius ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquerunt. 46. Hic ego quaesivi a Catilina, in nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne. Quum ille, homo audacissimus, conscientia convictus, primo reticuisset, patefeci cetera: quid ea nocte egisset, ubi fuisset, quid in proximam constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Quum haesitaret, quum teneretur, quaesivi, quid dubitaret eo proficisci, quo iampridem pararat: quum arma, quum secures, quum fasces, quum tubas, quum signa militaria, quum aquilam illam argente-

---

[1]) pro Murena c. 3. § 6. — [2]) in Catil. I. c. 2. § 4. — [3]) in Catil. II. c. 6. § 12.

am, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suae fecerat, scirem esse praemissam. 47. Quamobrem [1] haec fere dixi in senatu:

»Quid [2] est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem coniurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem: mihi crede, obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia. Quid [3] est, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui non oderit. 48. Nunc [4] vero, quae tua est ista vita! Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? 49. Servi me-herele mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi Urbem non arbitraris? et, si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mal-

---

[1]) in Catil. I. c. 9. § 23. — [2]) Ibid. c. 3. § 6. — [3]) Ibid. c. 6. § 13. — [4]) Ibid. c. 7. § 16.

lem: tu, quum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quae communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et iamdiu te nihil iudicat nisi de parricidio suo cogitare. 50. Huius tu neque auctoritatem verebere, neque iudicium sequere, neque vim pertimesces? Quae tecum, Catilina, sic agit, et quodammodo tacita loquitur: *Nullum aliquot iam annis facinus exstitit, nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges ac quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter te unum; quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.* Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? 51. Quid, quod tu te ipse in custodiam dedisti? quid, quod, vitandae suspicionis caussa apud M'. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es, atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. Quum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem venisti. A quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum opti-

mum, M. Marcellum demigrasti: quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicarit? 52. Quae[1] quum ita sint, Catilina, perge quo coepisti: egredere aliquando ex Urbe: patent portae: proficiscere: nimium diu te imperatorem illa tua Manliana castra desiderant: educ tecum etiam omnes tuos; si minus, quam plurimos: purga Urbem: magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. Quamobrem[2], ut saepe iam dixi, proficiscere: ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium. Vix feram sermones hominum, si id feceris: vix molem istius invidiae, si in exsilium ieris iussu consulis, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Manlium: concita perditos cives: secerne te a bonis: infer patriae bellum: exsulta impio latrocinio; ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. 53. Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos, qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati? cui sciam pactam et constitutam esse cum Manlio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido et funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa diutius carere possis, quam venerari, ad eandem proficiscens, solebas? a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium tratulisti?

---

[1]) Ibid. c. 5. § 10. — [2]) Ibid. c. 9. § 23.

libis tandem aliquando, quo te iampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res affert dolorem, sed quamdam incredibilem voluptatem. 54. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Numquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis conflatam improborum manum. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, quum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad huius vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum: vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis occisorum. Habes, ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium; quibus te brevi tempore confectum esse senties."

XVII. 55. Ita[1] igitur, frequenti senatu, Catilinam excitavi, atque eum de his rebus iussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit. Tum enim dixit, *duo corpora esse reipublicae: unum debile, infirmo capite; alterum firmum, sine capite: huic, quum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum.* Congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe, pro rei indignitate, decrevit: nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant, partim, quia timebant. Tum erupit e senatu, triumphans gaudio, quem omnino

[1]) pro Murena c. 25. § 51.

vivum illinc exire non oportuerat; praesertim quum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante Catoni, fortissimo viro, iudicium minitanti ac denuntianti, respondisset, *si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum.* 56. His tum rebus commotus, et quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret, (etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere) verum ut omnes boni animadverterent, et, quum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque meum concurrerent. Itaque [1], quod exspectavi, sum assecutus, ut omnes factam esse aperte coniurationem contra rempublicam viderent. Homo [2] videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit: simul atque ire in exsilium iussus est, paruit, ivit; Aurelia [3] via profectus est.

XVIII. 57. Tandem [4] aliquando igitur L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, populo Romano atque huic Urbi ferrum flammamque minitantem, ex Urbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosecuti sumus. Atque hunc quidem unum huius belli domestici ducem sine controversia perdidimus, magnificeque vicimus, quum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus. 58. O fortunatam [5] rempublicam, si quidem hanc sentinam huius urbis eiecerit! Uno mehercule Catilina exhausto, relevata

[1]) in Catil. II. c. 4. § 6. — [2]) Ibid. c. 6. § 12. — [3]) Ibid. c. 4. § 6. — [4]) Ibid. c. 1. § 1. — [5]) Ibid. c. 4. § 7.

[illegible] a [illegible] republica videbatur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut cogitari potest, quod non ille conceperit? Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? Quae caedes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? 59. Iam vero quae tanta in ullo umquam homine iuventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat: aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum non modo impellendo, verum etiam adiuvando pollicebatur. Nunc vero quam subito, non solum ex Urbe, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat! Nemo non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae oppressus aere alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris foedus asciverit.

XIX. 60. Sed[1] quum viderem, si illum, ut erat meritus, morte mulctassem, fore, ut eius socios, invidia oppressus, persequi non possem, rem huc deduxi, ut tam palam pugnare possemus, quum hostem aperte videremus. Illud vero moleste tuli, quod ex Urbe parum comitatus exierit. Utinam ille omnes secum suas copias eduxisset! Tongilium mihi eduxit, quem amare in praetexta coeperat: Publicium et Munatium, quorum aes alienum, contractum in popina, nullum reipublicae motum afferre poterat: reliquit quos viros! quanto aere alieno! quam valentes! quam nobiles!

---

[1]) Ibid. c. 2. § 4.

Non[1] enim usque eo L. Catilina rempublicam despexit atque contempsit, ut ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitraretur. Latius patebat illius sceleris contagio, quam quisquam putabat; ad plures pertinebat. Nec[2] tam timendus erat exercitus Catilinae, quam isti, qui illum exercitum deseruisse dicebantur. Non enim deseruerant: sed ab illo in speculis atque insidiis relicti, in capite atque in cervicibus nostris restiterant. 61. Hos[3] volitare in foro, hos stare ad curiam, hos etiam in senatum venire videbam: qui nitebant unguentis, qui fulgebant purpura, qui hoc etiam erant timendi magis, quod, quid cogitarent, me scire sentiebant, neque tamen permovebantur. Videbam, cui Apulia esset attributa, quis haberet Etruriam, quis agrum Picenum, quis Gallicum, quis sibi has urbanas insidias caedis atque incendiorum depoposcisset. Omnia superioris noctis consilia ad me delata esse sentiebant. Non[4] erant mediocres hominum libidines, non humanae ac tolerandae audaciae: nihil cogitabant, nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas; patrimonia sua profuderant: fortunas suas abligurrierant: res eos iampridem, fides nuper deficere coeperat: eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanebat. Quod si in vino et alea commissationes solum et scorta quaesivissent, fuissent illi quidem desperandi, sed tamen fuissent ferendi. Hoc vero quis ferre potuisset, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, conferti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructabant sermonibus

---

[1]) pro Murena c. 37. § 78. — [2]) Ibid. § 79. — [3]) in Catil. II. 3. § 5. — [4]) Ibid. c. 5. § 10.

caedem bonorum atque Urbis incendia. 62. Quare[1], ut incendium patriae, omissa omni cogitatione, restinguerem, ego[2] provinciam Galliam, senatus auctoritate, ornatam et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio commutavi, quod ita existimabam tempora reipublicae ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano. Ante[3] oculos enim mihi obversabatur reipublicae dignitas, quae me ad sese rapiebat, haec minora relinquere hortabatur. Nulla[4] erat natio, quam pertimesceremus; nullus rex, qui bellum populo Romano facere posset; omnia erant externa unius virtute terra marique pacata. Domesticum bellum manebat: intus insidiae erant: intus inclusum periculum erat: intus erat hostis: cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum erat. Huic ego me bello ducem professus suscepi inimicitias hominum perditorum.

XX. 63. Principio[5] igitur, ut Catilina erupit ex Urbe, quum sceleris sui socios, huiusce nefarii belli acerrimos duces, Romae reliquisset, semper vigilavi et providi, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus. Nam tum, quum ex Urbe Catilinam eiiciebam, aut reliquam coniuratorum manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atque ego, ut vidi, quos maximo furore et scelere esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse et Romae remanere: in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem. 64. Quae[6] quum ita essent, populus Romanus, quemadmodum iam

---

[1]) Phil. XI. c. 10. § 23. — [2]) in Pison. c. 2. § 5. — [3]) pro Sextio c. 3. § 7. — [4]) in Catil. II. c. 5. § 11. — [5]) in Catil. III. c. 1. § 3. — [6]) in Catil. II. c. 12. § 26.

antea, tecta sua custodiis vigiliisque defendit: mihi, ut Urbi sine civium motu ac sine ullo tumultu satis esset praesidii, consultum ac provisum est. Coloni omnes municipesque nostri, certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinae, facile urbes suas finesque defenderunt: gladiatores, quam sibi ille maximam manum et certissimam fore putavit, quamquam meliore animo erant, quam pars patriciorum, potestate tamen nostra continebantur. Quod ego prospiciens Q. Metellum in agrum Gallicanum Picenumque praemisi, ut aut opprimeret hominem, aut omnes eius motus conatusque prohiberet: quocum [1] ita mihi dispertitum officium fuit in reipublicae salute retinenda, ut ego Urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere, ille Italiam et ab armatis hostibus et ab occulta coniuratione defenderet. 65. Itaque [2] ut comperi, legatos Allobrogum belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi caussa, a P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos cives, eodemque itinere cum litteris mandatisque ad Catilinam esse missos, comitemque iis adiunctum T. Vulturcium, atque huic datas esse ad Catilinam litteras; facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam a diis immortalibus, tota res non solum a me, sed etiam a senatu et a populo manifesto deprehenderetur.

XXI. 66. Itaque confestim L. Flaccum et C. Pomptinum, praetores fortissimos atque amantissimos reipublicae viros, ad me vocavi: rem omnem exposui: quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de republica praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt, et, quum advesperasceret, occulte ad

[1]) Epist. ad Q. Metellum (ad Fam. V. 2. § 1.) — [2]) in Catil. III. c. 2. § 4.

pontem Mulvium pervenerunt atque ibi in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cuiusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera in republica assidue utebar, praesidio cum gladiis miseram. 67. Interim tertia fere vigilia exacta, quum iam pontem Mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent unaque Vulturcius, fit in eos impetus: educuntur et ab illis gladii et a nostris. Res erat praetoribus nota solis, ignorabatur a ceteris. Tum, interventu Pomptini atque Flacci, pugna, quae erat commissa, sedatur. Litterae, quaecumque erant in eo comitatu, integris signis, praetoribus traduntur: ipsi comprehensi ad me, quum iam dilucesceret, deducuntur. O nox [1] illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti, quum Galli ad bellum, Catilina ad Urbem, coniurati ad ferrum et flammam vocabantur: quum ego te, Flacce, caelum noctemque contestans, flens flentem obtestabar: quum tuae fidei optimae et spectatissimae salutem Urbis et civium commendabam! Tu, tu, Flacce, praetor, communis exitii nuntios cepisti: tu inclusam in litteris reipublicae pestem deprehendisti: tu periculorum indicia, tu salutis auxilia ad me et ad senatum attulisti. Quae tibi tum gratiae sunt a me actae! quae ab senatu! quae a bonis omnibus! Quis tibi, quis C. Pomptino, fortissimo viro, quemquam bonum putaret umquam honorem ullum denegaturum?

XXII. 68. Atque [2] horum omnium scelerum improbissimum machinatorem, Cimbrum Gabinium, statim ad me, nihildum suspicantem, vocavi. Deinde item arcessitur P.

---

[1]) pro Flacco c. 40. § 102. — [2]) in Catil. III. c. 3. § 6.

Statilius et post eum C. Cethegus. Tardissime autem Lentulus venit, credo quod litteris dandis praeter consuetudinem proxima nocte vigilarat. Quum vero summis ac clarissimis huius civitatis viris, qui, audita re, frequentes ad me mane convenerant, litteras a me prius aperiri, quam ad senatum deferri, placeret, ne, si nihil esset inventum, temere a me tantus tumultus iniectus civitati videretur; negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, si ea, quae erant ad me delata, reperta non essent, tamen ego non arbitrabar in tantis reipublicae periculis mihi esse nimiam diligentiam pertimescendam. 69. Senatum frequentem celeriter coegi. Atque interea statim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium, praetorem, fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret: ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit. Introduxi Vulturcium sine Gallis: fidem ei publicam iussu senatus dedi: hortatus sum, ut ea, quae sciret, sine metu indicaret. Tum ille, quum vix se ex magno timore recreasset, dixit a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras, ut servorum praesidio uteretur et ad Urbem quam primum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, quum Urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus coniungeret. 70. Introducti autem Galli iusiurandum sibi et litteras a Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt, atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent: pedestres sibi copias non defuturas: Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis haruspicumque responsis, se esse tertium

[illegible] Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se et Sullam fuisse: eumdemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus annus post Virginium absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt, quod Lentulo et aliis caedem Saturnalibus fieri atque Urbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videri.

XXIII. 71. Ac ne longum sit, tabellas proferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendimus Cethego signum: cognovit. Nos linum incidimus: leginius. Erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et populo, sese, quae eorum legatis confirmasset, esse facturum: orare, ut item illi facerent, quae sibi legati eorum recepissent. Tum Cethegus, qui paullo ante aliquid tamen de gladiis ac telis, quae apud ipsum erant deprehensae, respondisset dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis litteris debilitatus atque abiectus, conscientia convictus, repente conticuit. 72. Introductus est Statilius: cognovit et signum et manum suam. Recitatae sunt tabellae in eamdem fere sententiam: confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo, et quaesivi, cognosceretne signum. Annuit. Est vero, inquam, signum notum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos: quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit. Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum populumque litterae: si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primo quidem negavit: post autem aliquanto, toto iam indicio exposito atque edito, surrexit: quaesivit a Gallis, quid sibi esset cum iis: quamobrem do-

mum suam venissent; itemque a Vulturcio. Qui quum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus; tum ille subito, scelere demens, quanta conscientiae vis esset, ostendit. Nam, quum id posset infitiari, repente praeter opinionem omnium confessus est: ita eum non modo ingenium illud et dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam, propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit. 73. Vulturcius vero subito proferri litteras atque aperiri iussit, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus, tamen et signum suum et manum cognovit. Erant autem scriptae sine nomine, sed ita: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Cura, ut vir sis, et quem in locum sis progressus cogita, et vide, quid iam tibi sit necesse. Cura, ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.* 74. Gabinius deinde introductus, quum primo impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit. Ac mihi quidem quum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique unius cuiusque confessio, tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnumquam inter se aspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi viderentur.

XXIV. 75. Vidi[1] autem simul hoc, nisi, recenti memoria senatus, auctoritatem huius indicii monumentis

[1]) pro Sulla c. 14. § 41.

publicis testatus essem, fore, ut aliquando aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hostis, aliter indicata haec esse diceret, quo facilius, vento aliquo in optimum quemque excitato, posset in malis reipublicae portum suorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in senatum indicibus, constitui senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos viros? non solum summa virtute et fide; cuius generis in senatu facultas maxima; sed etiam, quos sciebam memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillime, quae dicerentur, persequi posse: C. Cosconium, qui tunc erat praetor: M. Messallam, qui tum praeturam petebat: P. Nigidium, App. Claudium. Credo esse neminem, qui his hominibus ad vere referendum aut fidem putet, aut ingenium defuisse. 76. Quid deinde? quid feci? quum scirem, ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen custodia, more maiorum, continerentur; non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, dividi passim et pervulgari atque edi populo Romano imperavi. Divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias: eius indicii, e quo salus oblata esset omnibus, expertem esse neminem volui. Itaque credo, locum in orbe terrarum esse nullum, quo in loco populi Romani nomen sit, quin eodem perscriptum hoc indicium pervenerit.

XXV. 77. Indiciis[1] expositis atque editis, senatum consului, de summa republica quid fieri placeret. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est consecutus. Et quo-

[1]) In Catil. III. c. 6. §. 13.

niam nondum est omnibus notum senatusconsultum, ex memoria hoc loco, quid senatus censuerit, exponam. 78. Primum mihi gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea respublica periculis sit maximis liberata: deinde L. Flaccus et C. Pomptinus, praetores, quod eorum opera forti fidelique usus essem, merito ac iure laudantur: atque etiam viro forti, collegae meo, laus impertitur, quod eos, qui huius coniurationis participes fuissent, a suis et reipublicae consiliis removisset. 79. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, quum se praetura abdicasset, tum in custodiam traderetur: itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes praesentes erant, in custodiam traderentur: atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendae Urbis depoposcerat: in M. Caeparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui ex iis colonis erat, quos Faesulas L. Sulla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus: in P. Umbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atque ea lenitate senatus usus est, ut ex tanta coniuratione tantaque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum poena republica conservata, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. 80. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est: quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit: et his decreta verbis est, QUOD URBEM INCENDIIS, CAEDE CIVES, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quae supplicatio si cum ceteris conferatur, hoc intersit, quod ceterae bene gesta, haec una conservata republica constituta est. 81. Atque illud,

quod faciendum fuit, primum factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquam, patefactis indiciis et confessionibus suis, iudicio senatus non modo praetoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit: ut, quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

XXVI. 82. Tum[1] ego institui referre ad Patres Conscriptos, tamquam integrum, et de facto, quid iudicarent, et de poena, quid censerent. Duae[2] dictae sunt sententiae: una D. Silani, qui censebat, eos, qui haec delere conati erant, morte esse multandos: altera C. Caesaris, qui mortis poenam removebat, ceterorum supplicierum omnes acerbitates amplectebatur. Uterque et pro sua dignitate et pro rerum magnitudine in summa severitate versabatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen exstinguere, punctum temporis frui vita et hoc communi spiritu non putat oportere, atque hoc genus poenae saepe in improbos cives in hac republica esse usurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae aut laborum ac miseriarum quietem esse. Municipiis dispertiri iubet. Adiungit[3] gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit: horribiles custodias circumdat et digna scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per senatum aut per populum levare possit: bona

[1]) in Catil. IV. c. 3. §. 6. — [2]) Ibid. c. 4. § 7. — [3]) Ibid. §. 8.

praeterea publicari iubet: vitam solam relinquit nefariis hominibus: quam si eripuisset, multos uno dolore dolores animi atque corporis et omnes scelerum poenas ademisset. 83. M. autem Cato [1], quum esset designatus tribunus plebis, obtulit in discrimen vitam suam: dixit eam sententiam, cuius invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat: dixit vehementer: egit acriter: ea, quae sensit, prae se tulit: dux, auctor, actor rerum illarum fuit: non quo periculum suum non videret; sed in tanta reipublicae tempestate nihil sibi, nisi de patriae periculis cogitandum putabat. Ego [2], quod in hac caussa vehementior eram, non atrocitate animi movebar, (quis enim est me mitior?) sed singulari quadam humanitate et misericordia. Videbar enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cernebam animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium: versabatur mihi ante oculos aspectus Cethegi et furor in civium caede bacchantis. Quum vero mihi proposueram regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperasse confessus est; purpuratum esse hunc Gabinium; cum exercitu venisse Catilinam: tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum, ac vexationem Virginum Vestalium perhorrescebam: et, quia mihi vehementer haec videbantur misera atque miseranda, ideirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebui. 84. Quae [3] omnia quia Cato verbis luculentioribus et pluribus comprehenderat perscribendaque censuerat, ideirco in eius sententiam est facta discessio; qua [4] in re manifestum

[1]) pro Sextio c. 28. § 61. — [2]) in Catil. IV. c. 6. § 11. — [3]) ad Att. XII. 21. § 1. — [4]) pro Sextio c. 28. § 60.

erat, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret; quae in tempestate saeva quieta est, et lucet in tenebris, et pulsa loco manet tamen atque haeret in patria, splendetque per sese semper, neque alienis umquam sordibus obsolescit.

XXVII. 85. Sic[1] ego L. Catilinam, caedem senatus, interitum Urbis, non obscure, sed palam molientem, egredi ex Urbe iussi: ut, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus. Sic ego tela, extremo mense consulatus mei intenta iugulis civitatis, de coniuratorum nefariis manibus extorsi. Sic ego faces iam accensas ad huius urbis incendium comprehendi, protuli, exstinxi. Sic[2] ego consul, quum exercitus perditorum civium, clandestino scelere conflatus, crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparasset; quum ad occasum interitumque reipublicae Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus esset constitutus; meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione Urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempublicam liberavi. Sic ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi.

XXVIII. 86. Atque[3], ut de eorum constantia atque animo in rempublicam dicam, quorum tacita gravitas et fides de

---

[1]) in Pison. c. 2. § 5. — [2]) pro Sulla c. 11. § 33. — [3]) Ibid. c. 29. § 82.

uno quoque loquitur, neque cuiusquam ornamenta orationis desiderat, potest quisquam dicere umquam meliores, fortiores, constantiores consulares fuisse, quam iis temporibus et periculis, quibus paene oppressa est respublica? Quis non de communi salute apertissime, quis non fortissime, quis non constantissime sensit? Quis[1] dicat sententias consularium fuisse leniores, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M'. Glabrionis, Silani, Murenae, designatorum consulum! 87. Neque[2] ego praecipue de consularibus disputo. Nam haec et hominum ornatissimorum, qui praetores fuerunt, et universi senatus communis est laus: ut constet, post hominum memoriam numquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in rempublicam, plus gravitatis fuisse; neminem fuisse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, auctoritate incubuerit ad rempublicam conservandam. Quare[3] nihil est, quod ex tanto comitatu virorum amplissimorum me unum abstrahas. Simplex officium fuit atque una bonorum omnium caussa. Nulla fuit enim in republica caussa mea propria. Tempus agendi fuit magis mihi proprium, quam ceteris: doloris vero et timoris et periculi fuit illa caussa communis. Neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem, si esse alii comites noluissent. Quare necesse est, quod mihi consuli praecipuum fuit praeter alios, id iam privato cum ceteris esse commune. Neque ego hoc partiendae invidiae, sed communicandae laudis caussa loquor. Oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus.

XXIX. 88. Consulatus[4] igitur, verbo meus, Patres

---

[1]) ad Att. XII. 21. § 1. — [2]) pro Sulla c. 29. § 82. — [3]) Ibid. c. 3. § 9. — [4]) Phil. II. c. 5. § 11.

Conscripti, re vester fuit. Quid enim constitui, quid gessi, quid egi, nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia? Quis autem praeter P. Clodium, qui meum consulatum vituperaret, inventus est? Placuit enim P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime mortuus est: placuit Q. Catulo, cuius semper in hac republica vivet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, C. Pisoni, M'. Glabrioni, M'. Lepido, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenae, qui tum erant consules designati. Placuit idem, quod consularibus, M. Catoni, qui[1] me suis sententiis saepissime ornavit: qui oratione, qui praedicatione, qui summis laudibus in senatu, in concionibus ad caelum extulit: cuius ego semper tanta esse verborum pondera putavi, ut uno verbo Catonis, cum mea laude coniuncto, omnia assequi me arbitrarer: qui idem mihi supplicationem decrevit togato, non, ut multis, republica bene gesta, sed, ut nemini, republica conservata. 89. Maxime[2] vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit: qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Quo[3] tempore Crassus, posteaquam vidit, illum excepisse laudem ex eo, quod suspicarentur homines, ei consulatum meum placere, surrexit, ornatissimeque de meo consulatu locutus est; ut ita diceret, se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret, mihi acceptum referre; quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. 90 Sed[4] quid singulos commemoro? Frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non, ut paren-

---

[1]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 11). — [2]) Phil. II c. 5. § 12. — [3]) ad Att. I. 14. § 3. — [4]) Phil. II. c. 5. § 12.

ti, gratias ageret: qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas, rempublicam referret acceptam. Me[1] Q. Catulus, princeps huius ordinis et auctor publici consilii, frequentissimo senatu, *parentem patriae* nominavit. Mihi vir clarissimus, L. Gellius[2], audiente senatu, civicam coronam deberi a republica dixit. Mihi togato senatus, non, ut multis, bene gestae, sed, ut nemini, conservatae reipublicae singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit.

XXX. 91. Quamquam[3] haec omnia ita sunt a me administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta et provisa esse videantur. Idque quum coniectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse; tum vero ita praesentes opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos paene oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque caeli, ut fulminum iactus, ut terrae motus ceteraque, quae tam multa, nobis consulibus, facta sunt, ut ea, quae fiebant, canere dii immortales viderentur; hoc certe, quod sum dicturus, neque praetermittendum, neque relinquendum est. 92. Nam profecto memoria tenemus omnes, Cotta et Torquato consulibus complures in Capitolio res de caelo esse percussas: quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuae veterum hominum deiectae, et legum aera liquefacta: tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus; quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem, fuisse meminimus. Quo quidem tempore, quum haruspices ex tota Etruria conve-

[1]) in Pison. c. 3. § 6. — [2]) in Catil. III. c. 8. § 18.

[illegible], caedes atque incendia et legum interitum et bellum civile ac domesticum et totius Urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales, omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa flexissent. 93. Itaque illorum responsis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res ulla, quae ad placandum deos pertineret, praetermissa est. Iidemque iusserunt, simulacrum Iovis facere maius et in excelso collocare et contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum solis ortum et forum curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem Urbis atque imperii, illustrarentur, ut a senatu populoque Romano perspici possent. Atque illud ita collocandum consules illi locaverunt. Sed tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis prius collocaretur. Hic quis potest esse tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget, hoc Iovis Optimi Maximi nutu factum esse, ut, quo die mane per forum meo iussu et coniurati et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato atque ad populum senatumque converso, omnia et senatus et populus, quae erant contra salutem omnium cogitata, illustrata et patefacta vidit. Eodem[1] tempore signum Iovis collocabatur, quo coniuratio indicabatur. Quidni igitur malimus, numine deorum id factum, quam casu, arbitrari? quidni redemptor, qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam, non inertia aut inopia tardior fuisse, sed a diis immortalibus ad istam horam reservatus esse videatur? 94. Iam[2] vero illa Allobrogum sollicitatio, sic a P. Lentulo ceterisque domesticis hostibus,

---

[1]) de Divinat. II. c. 21. § 47. — [2]) in Catil. III. c. 9. § 22.

tanta res, tam dementer credita et ignotis et barbaris, commissaeque litterae numquam essent profecto, nisi a diis immortalibus huic tantae audaciae consilium esset ereptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, quae gens una restabat, quae populo Romano bellum facere et posse et non nolle videretur, spem imperii et rerum amplissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent, nostramque salutem suis opibus anteponerent: id non divinitus factum esse putamus? praesertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt?

XXXI. 96. Quo[1] etiam maiore erant isti odio supplicioque digni, qui non solum hominum domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati. Quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam, et non sim ferendus. Ille, ille Iuppiter restitit: ille Capitolium, ille haec templa, ille hanc urbem, ille cives omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem voluntatemque suscepi, atque ad haec tanta indicia perveni. 96. Et[2] libenter quidem versus memini, quos in secundo Consulatus Urania Musa pronuntiat:

Omnia iam cernes divina mente notata.
Nam primum astrorum volucres, te consule, motus
concursusque graves stellarum ardore micantes
vidisti et claro tremulos ardore cometas,
multaque misceri nocturna strage putasti.
Iam vero variae, nocturno tempore visae,
terribiles formae bellum motusque monebant:

[1]) Ibid. c. 9. § 22. — [2]) de Divinat. I. c. 11. § 17.

multaque per terras vates oracla furenti
pectore fundebant, tristes minitantia casus:
atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto;
haec fore, perpetuis signis clarisque frequentans
ipse deûm genitor caelo terrisque canebat.

97. Nunc ea, Torquato quae quondam et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans, stellanti nixus Olympo,
ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
Tum species ex aere vetus generosaque Nattae
concidit, elapsaeque vetusto numine leges;
et Divûm simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat, Romani nominis altrix,
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
uberibus gravidis vitali rore rigabat:
quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.

98. Tum quis non, artis scripta ac monumenta volutans,
voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes civili generosa stirpe profectam
vitare ingentem cladem pestemque monebant;
vel legum exitium constanti voce ferebant;
templa deûmque adeo flammis urbesque iubebant
eripere, et stragem horribilem caedemque vereri:
atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri;
ni post, excelsum ad columen formata decore,
sancta Iovis species claros spectaret in ortus:
tum fore, ut occultos populus sanctusque senatus
cernere conatus posset, si, solis ad ortum
conversa, inde patrum sedes populique videret.

99. Haec, tardata diu species, multumque morata,
consule te tandem celsa est in sede locata:
atque una fixi ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna:
et clades patriae, flamma ferroque parata,
vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
qui populos urbesque modo ac virtute regebant,
rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque
praestitit et longe vicit sapientia cunctos,
praecipue coluere vigenti numine divos.

XXXII. 100. Quoniam[1] igitur, ut dixi, supplicatio decreta erat ad omnia pulvinaria, cives omnes iussi celebrare illos dies cum coniugibus ac liberis suis. Nam multi saepe honores diis immortalibus iusti habiti sunt ac debiti, sed profecto iustiores numquam. Erepti erant cives ex crudelissimo ac miserrimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione: togati, me uno togato duce et imperatore, vicerant. 101. Etenim recordemur omnes civiles dissensiones, neque solum eas, quas audivimus, sed et has, quas nosmetipsi meminimus atque vidimus. L. Sulla P. Sulpicium oppressit: ex Urbe eiecit C. Marium, custodem huius urbis, multosque fortes viros partim eiecit ex civitate, partim interemit. Cn. Octavius consul armis ex Urbe collegam suum expulit: omne forum acervis corporum et civium sanguine redundavit. Superavit postea Cinna cum Mario. Tum vero, clarissimis viris interfectis, lumina civitatis exstincta sunt. Ultus est huius victoriae crudelitatem postea Sulla: ne dici quidem opus est, quanta

[1]) in Catil. III. c. 10. § 23.

diminutione civium et quanta calamitate reipublicae. Dissensit M. Lepidus a clarissimo et fortissimo viro Q. Catulo: attulit non tam ipsius interitus reipublicae luctum, quam ceterorum. 102. Atque illae dissensiones erant huiusmodi, quae non ad delendam, sed ad commutandam rempublicam pertinerent. Non illi nullam esse rempublicam, sed in ea, quae esset, se esse principes, neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illae tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium reipublicae quaesivit, eiusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiae, sed internecione civium diiudicatae sint. In hoc autem uno post hominum memoriam maxime crudelissimoque bello, quale bellum nulla unquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello lex haec fuit a Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, ut omnes, qui salva Urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur, ita me gessi, ut omnes salvi conservarentur: et, quum hostes nostri tantam civium superfuturum putassent, quantum infinitae caedi restitisset, tantum autem Urbis, quantum flamma obire non potuisset, et Urbem et cives integros incolumesque servavi.

XXXIII. 103. Quibus pro tantis rebus nullum ego a civibus meis praemium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulavi, praeterquam huius diei memoriam sempiternam: quo[1] die rempublicam vitamque omnium bonorum, fortunas et coniuges liberosque civium, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, deorum immortalium summo erga populum Romanum amore, laboribus, consiliis

[1]) Ibid. c. 1. § 1.

periculisque meis ex flamma atque ferro ac paene ex faucibus fati ereptam conservavi ac civibus meis restitui. Et, si non minus nobis iucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus, esse nunc et apud posteros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. 104. Sit[1] Scipio clarus ille, cuius consilio atque virtute Hannibal in Africam redire atque ex Italia decedere coactus est: ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas, Karthaginem Numantiamque, delevit: habeatur vir egregius L. Paullus ille, cuius currum rex potentissimus quondam et nobilissimus Perses honestavit: sit in aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit: anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur: — erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae; nisi forte maius est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur. 105. Quamquam est uno loco conditio melior externae victoriae, quam domesticae, quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt, aut recepti beneficio se obligatos putant: qui autem ex numero civium, dementia aliqua depravati, hostes patriae semel esse coeperunt, eos, quam a pernicie reipublicae repuleris, nec vi coercere nec bene-

[1]) in Catil. IV. c. 10. § 21.

ficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse videbam.

XXXIV. 106. Et[1] iam extremis diebus consulatus mei, res eas, quas gesseram, vexare cupiebant tribuni plebis novi. Ego[2] autem, ut semel Nonarum illarum Decembrium, iunctam invidia ac multorum inimicitiis, eximiam quamdam atque immortalem gloriam consecutus sum, non destiti eadem animi magnitudine in republica versari, et illam institutam ac susceptam dignitatem tueri. Metellum[3] vero quum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari; egi cum Claudia, uxore Celeris, et cum Metellorum sorore Mucia, cuius erga me studium, pro Cn. Pompeii necessitudine, multis in rebus perspexeram, ut eum ab illa iniuria deterreret. 107. At ille pridie Kal. Ianuar., qua iniuria nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus civis affectus est, ea me consulem affecit, quum rempublicam conservassem, atque abeuntem magistratu concionis habendae potestate privavit: cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. Nam quum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret, magna voce iuravi verissimum pulcherrimumque iusiurandum: *rempublicam*[4] *atque hanc urbem mea unius opera esse salvam*; quod[5] populus idem magna voce me vere iurasse iuravit. Mihi[6] enim populus Romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, quum meum iusiurandum tale atque tantum iuratus ipse una voce et consensu approbavit.

---

[1]) pro Sextio c. 5. § 11. — [2]) ad Att. I. 19. § 6. — [3]) Epist. ad Metell. Celerem (ad Fam. V. 2. § 6.) — [4]) in Pison. c. 3. § 6. — [5]) Epist. ad Metell. Celerem (ad Fam. V. 2. § 7.) — [6]) in Pison. c. 3. § 7.

Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur.

108. Exposui[1] breviter Consulatum meum. Qui[2] ita est a me peractus, ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo Romano egerim, ut semper in rostris curiam, in senatu populum defenderim; ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerim: quam[3] coniunctionem si, in consulatu confirmatam meo, perpetuam in republica teneremus, confirmavi senatoribus, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicae partem esse venturum.

XXXV. 109. Commentarium[4] Consulatus mei Graece compositum misi ad Atticum, quem[5] rogavi, ut, si placeret sibi liber, curaret, ut et Athenis esset, et in ceteris oppidis Graeciae. Sed[6] is mihi litteras et Commentarium consulatus mei Graece a se scriptum reddidit. In quo laetatus sum, aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad eum perferendum dedisse. Nam, si ego ipsius librum ante legissem, funatum me a se esse, diceret. Quamquam Attici illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant: et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον, atque omnes eius discipulorum areulas, ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit. 110. Quamquam[7] ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius, se, nostrum illud ὑπόμνημα

---

[1]) Ibid. c. 4. § 8. — [2]) Ibid. c. 3. § 7. — [3]) in Catil. IV. § 7. § 15. — [4]) ad Att. I. 19. § 10. — [5]) ad Att. II. 1. § 2. — [6]) Ibid. § 1. — [7]) Ibid. § 2.

quum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane deterritum. Quid quaeris? conturbavi Graecam nationem. Ita vulgo qui instabant, ut darem sibi, quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. In[1] hoc autem si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam, quod Pomponio meo, ut opinor, Panormi Lucullus de suis historiis dixerat, se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse. Apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit et invito. 111. Latinum etiam perficere cogitabam. Et[2], quoniam laudis avidissimi semper fuimus, tertium[3] poema meditabar, ne quod genus a me ipso laudis meae praetermitteretur. Quamquam non ἐγκωμιαστικά erant haec, sed ἱστορικά, quae scribebamus. 112. Epistolam[4] etiam ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa reipublicae misi, in qua furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi. Quam[5] ego mihi obfuisse non intelligo, reipublicae video prodesse potuisse; nam[6] hercule multa et iucunda consuetudine coniuncti inter nos eramus, usque eo, ut nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuvenes, illum in sermonibus Graecum Ciceronem appellarent. 113. Fuit[7] etiam mihi commodum, — quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, emiserat Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σφοδρότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, — curare, ut meae quo-

[1]) ad Att. I. 19. § 10. — [2]) ad Att. I. 15. § 1. — [3]) Ibid. I. 19. § 10. — [4]) pro Sulla c. 24. § 67. — [5]) pro Plancio c. 34. § 85. — [6]) ad Att. I. 16. § 11. — [7]) ad Att. II. 1. § 3.

que essent orationes, quae *Consulares* nominarentur. Quarum una est in senatu Kal. Ian., altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta, quum provinciam in concione deposui, septima, qua Catilinam emisi, octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit, nona in concione, quo die Allobroges invulgarunt, decima in senatu, Nonis Decemb. Sunt praeterea duae breves, quasi *διορθωτικαὶ* legis agrariae. Quibus ex libris perspici potest, et quae gesserim, et quae dixerim.

XXXVI. 114. Neque[1] etiam mihi licuit, neque integrum fuit, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertirem. Nam quum praemia mihi tanta pro hac industria sint data, quanta antea nemini, labores, per quos ea ceperis, quum adeptus sis, deponere, esset hominis et astuti et ingrati. Itaque[2] consul defendi C. Pisonem: qui, quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est reipublicae conservatus. 115. Defendi item consul L. Murenam, consulem designatum. Magni[3] enim intererat, id quod ego multis repugnantibus egi atque perfeci, esse Kalendis Ian. in republica duo consules. Cuius[4] totius accusationis partes erant tres, quarum una in reprehensione vitae versabatur, altera in contentione dignitatis, tertia in criminibus ambitus. Acerbissimum[5] autem illud erat, quod eos accusatores habebat Murena, non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descendissent. Nam, ut omittam Servium Sulpicium, quem intelligo non iniuria L. Murenae,

---

[1]) pro Murena c. 4. § 8. — [2]) pro Flacco c. 39. § 98. — [3]) pro Murena c. 37. § 79. — [4]) Ibid. c. 5. § 11. — [5]) Ibid. c. 27. § 56.

sed honoris contentione permotum, accusabat paternus amicus, Cn. Postumius, vetus, ut ait ipse, vicinus ac necessarius: qui necessitudinis caussas complures protulit, simultatis nullam commemorare potuit: accusabat Ser. Sulpicius, sodalis filii, cuius ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant: accusabat M. Cato, qui quamquam a Murena nulla re umquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut eius opes et ingenium praesidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimico exitio esse deberent. 116. Mihi[1] autem cum Murena et vetus et magna amicitia erat, quae in capitis dimicatione a Ser. Sulpicio non idcireo debebat obrui, quod ab eodem in honoris contentione fuerat superata. Quae si caussa non fuisset, tamen vel dignitas hominis vel honoris eius, quem adeptus erat, amplitudo summam mihi superbiae crudelitatisque famam inussisset, si hominis, et suis et populi Romani ornamentis amplissimi, caussam tanti periculi repudiassem. Ego[2] vero ipse me existimarem nefarium, si amico, crudelem, si misero, superbum, si consuli defuissem. Quare, quod dandum erat amicitiae, large datum est a me: quod tribuendum erat officio, fidei, religioni, id ita moderatus sum, ut meminerim, me contra amici studium pro amici periculo dicere. Et[3] a quo tandem erat aequius consulem defendi, quam a consule? Quis mihi in republica poterat aut debebat esse coniunctior, quam is, cui respublica a me tradebatur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata? 117. His[4] tantis in rebus tantisque in periculis, nemo[5] iudicum, clarissimis viris accusantibus, audiendum sibi de ambitu

---

[1]) Ibid. c. 4. § 8. — [2]) Ibid. § 10. — [3]) Ibid. c. 2. § 3. — [4]) Ibid. c. 38. § 83. — [5]) pro Flacco c. 39. § 98.

putavit, quum, bellum iam gerente Catilina, omnes me auctore duos consules Kalendis Ian. scirent esse oportere. Ita semper graves et sapientes iudices in rebus iudicandis, quid utilitas civitatis, quid communis salus, quid reipublicae tempora poscerent, cogitaverunt. Ergo [1] in sequentis anni custodia L. Murenam fortuna posuit: consulem [2] non cupidum, consulem (quod maxime tempus hoc postulabat) fortuna constitutum ad amplexandum otium, scientia ad bellum gerendum, animo et usu ad quod vellet negotium; et D. Silanum, clarum [3] virum et Bruti [4] mei vitricum, qui quidem non multum studii habuit, sed acuminis et orationis satis: qui [5], ut supra dixi, eos, qui haec delere conati erant, morte mulctandos esse censuerat.

---

[1]) pro Murena c. 31. § 64. — [2]) Ibid. c. 38. § 83. — [3]) Ibid. § 82. — [4]) Brut. c. 68. § 240. — [5]) in Catil. IV. c. 4. § 7.

LIBER QUARTUS.

I. 1. Equidem [1] vehementer laetor, cum fuisse me in exitu consulatus, in quem, si quis cuperet, nullam contumeliam iacere potuerit. Etenim [2], in qua civitate res tantas gessissem, memineram; in qua urbe versarer, intelligebam. Plenum forum erat eorum hominum, quos ego a civium cervicibus depuleram, a meis non removeram. Horum ego faces eripere de manibus et gladios extorquere potui, sicut feci: voluntates vero conscelleratas ac nefarias nec sanare potui nec tollere. Quare non eram nescius, quanto periculo viverem in tanta multitudine improborum, quum mihi uni cum omnibus improbis aeternum viderem bellum esse susceptum. Nemo [3] tamen me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non perculerim ac perfregerim. 2. Itaque [4] ego Metello praesenti restiti. Nam in senatu Kal. Ian. sic cum eo de republica disputavi, ut sentiret sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum. A. d. tertium Non. Ianuar. quum agere coepisset, tertio quoque verbo orationis suae me appellabat, mihi minabatur;

---

[1]) pro Sulla c. 7. § 23. — [2]) Ibid. c. 9. § 28. — [3]) Ibid. c. 16. § 46. — [4]) Epist. ad Metellum Celerem (ad Fam. V. 2. § 8.)

neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacumque ratione posset, non iudicio, neque disceptatione, sed vi atque impressione evertere. Huius ego temeritati si virtute atque animo non retitissem, quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse? 3. At[1] vero quid mirum, si quid ab improbis de me improbe dicebatur; quum L. Torquatus ipse, L. Torquati, fortissimi consulis, constantissimi senatoris, semper optimi civis, filius, in P. Sullae caussa interdum efferretur immoderatione verborum? qui, quum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset, tantummodo ut iudices, qui ea probabant, exaudire possent, de supplicio P. Lentuli, de carcere, magna et queribunda voce dicebat. In quo primum illud dixi esse absurdum, quod, quum ea, quae leviter dixerat, iudicibus probare volebat, eos autem, qui circum iudicium stabant, audire nolebat, non intelligebat, ea, quae clare diceret, ita illos audituros, quibus se venditabat, ut iudices quoque audirent, qui id non probabant: deinde alterum iam oratoris vitium, non videre, quid quaeque caussa postulet. Sed[2] reprehendi tamen illud maxime, quod vir, isto ingenio et prudentia praeditus, caussam reipublicae non tenebat, qui arbitraretur, plebi Romanae res eas non probari, quas, me consule, omnes boni pro salute communi gesserant.

II. 4. Gravia[3] tum iudicia pro reipublicae dignitate multa de coniuratorum scelere facta sunt. Nos[4] autem, qui a ceteris coniurationis caussis abstinuimus, P. Sullam defendimus. Veniebat[5] ad me, et saepe veniebat Autro-

---

[1]) pro Sulla c. 10. § 30. — [2]) Ibid. § 32. — [3]) pro Flacco c. 38. § 94. — [4]) pro Sulla c. 29. § 80. — [5]) Ibid. c. 6. § 18.

nius multis cum lacrimis, supplex, ut se defenderem; et se meum condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quaestura commemorabat fuisse: multa mea in se, nonnulla etiam sua in me proferebat officia. Quibus ego rebus ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipsi fecerat insidias, deponerem: ut iam immissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in sedibus meis, in conspectu uxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, obliviscerer. 5. Quae si de uno me cogitasset, qua mollitia sum animi ac lenitate, numquam mehercule illius lacrimis ac precibus restitissem. Sed quum mihi patriae, quum unius cuiusque periculorum, quum huius urbis, quum illorum delubrorum atque templorum, quum puerorum infantium, quum matronarum ac virginum veniebat in mentem, et quum illae infestae ac funestae faces, universumque totius Urbis incendium, quum tela, quum caedes, quum civium cruor, quum cinis patriae versari ante oculos atque animum memoria refricare coeperat; tum denique ei resistebam, neque me arbitrabar sine summo scelere posse, quod maleficium in aliis vindicassem, idem in illorum socio, quum scirem, defendere. 6. At idem ego neque P. Sullam supplicem ferre, neque Marcellos, propinquos huius[1], patrem et filium, quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat, pro[2] huius periculis lacrimantes aspicere, neque M. Messallae, hominis necessarii, preces sustinere potui. Neque enim est causa adversata naturae, nec homo, nec res misericordiae meae repugnavit. Etenim[3] multa, quum essem consul, de summis reipublicae periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi: nullus tamen umquam de Sulla

[1]) Ibid. § 19. — [2]) Ibid. § 20. — [3]) Ibid. c. 5. § 14.

nuntius ad me, nullum indicium, nullae litterae pervenerunt, nulla suspicio. Huius[1] igitur causam suscepi, et feci libenter, ut me, quem boni constantem semper, ut spero, existimassent, eumdem ne improbi quidem crudelem dicerent.

III. 7. Sed[2] quid ego utor hac voce ad me purgandum? Etenim[3], si qui ipsas caussas contendere velint, mirari[4] desinent, me, qui Autronio abfuerim, Sullam defendisse. Quae enim Autronii fuit caussa? quae Sullae erat? Ille ambitus iudicium tollere ac disturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione atque concursu. Sulla, si sibi suus pudor ac dignitas non prodesset, nullum auxilium requisivit. Ille damnatus ita se gerebat, non solum consiliis et sermonibus, verum etiam aspectu atque vultu, ut inimicus esse amplissimis ordinibus, infestus bonis omnibus, hostis patriae videretur. Hic se ita fractum illa calamitate atque afflictum putavit, ut nihil sibi ex pristina dignitate superesse arbitraretur, nisi quod modestia retinuisset. 8. Hac vero in coniuratione quid tam coniunctum, quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quae tanta societas ullis inter se rerum optimarum, quanta ei cum illis sceleris, libidinis, audaciae? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod sine eodem illo Catilina facinus admisit? quum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem solitudinemque non quaereret, sed ne mediocri quidem sermone et congressu coniungeretur. Illum Allobroges, maximarum rerum verissimi indices, illum multorum litterae ac nuntii coarguerunt: Sullam interea nemo insimulavit, nemo nominavit.

[1]) Ibid. c. 6. § 20. — [2]) pro Sulla c. 5. § 14. — [3]) in Catil. II. c. 11. § 25. — [4]) pro Sulla c. 5. § 14.

[illegible] Urbe Catilina, illic arma [illegible] signa, ligones; ille relictus [illegible] Lentuli poena compressus, con- [illegible], numquam ad sanitatem. [illegible], ut eo tempore omni Neapoli fuerit, [illegible] fuisse putantur huius affines suspicio- [illegible] qui non tam ad inflammandos calamitoso- [illegible] quam ad consolandos accommodatus.

Propter hanc igitur tantam dissimilitudinem ho- [illegible] causarum dissimilem me in utroque praebui. [illegible] quoque omnes, qui aderant, qui laborabant, [illegible] valebant, pro sua parte atque auctoritate defen- [illegible]. Quid³ Autronio? nonne sodales, non collegae sui, [illegible] veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, [illegible] omnes, qui sunt in republica principes, defuerunt? [illegible] etiam testimonio plerique laeserunt. Statuerant, [illegible] illud esse maleficium, quod non modo non occul- tari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet. 10. Ergo et de Autronio et de ceteris iudicium meum et horum principum par atque unum fuisse affirmo. Quis nostrum adfuit Vargunteio? Nemo: ne Q. quidem Hortensius, praesertim qui illum solus antea de ambitu defendisset. Non enim iam se ullo officio cum illo coniunctum arbitrabatur, quum ille, tanto scelere commisso, omnium officiorum societatem diremisset. Quis nostrum Ser. Sullam, quis P., quis M. Laecam, quis C. Cornelium defendendum putavit? quis his adfuit? Nemo. Quid ita? Quia ceteris in causis etiam nocentes viri boni, si necessarii sunt, deserendos esse non putant; in hoc crimine non solum levitatis

¹) pro Sulla c. 2. § 4. — ²) Ibid. § 7. — ³) Ibid. § 5.

est culpa, verum etiam quaedam contagio socleris, si defendas eum, quem obstrictum esse patriae parricidio suspicere.

V. 11. Quod si[1] vere vox nostra, hortatu quondam praeceptisque Archiae conformata, nonnullis aliquando saluti fuit; a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debuimus. Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in Archia facultas esset ingenii, neque haec dicendi ratio aut disciplina; ne nos quidem huic uni studio penitus umquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur. Sed[2] suppeditabat is nobis quoque, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reflueretur et aures convicio defessae conquiescerent. An quis existimat, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? 12. Non[3] igitur mirum esse videatur, me in hac quaestione legitima et in iudicio publico, quum res ageretur apud praetorem populi Romani, lectissimum virum, et apud severissimos iudices, magno conventu hominum ac frequentia, hoc usum esse genere dicendi, quod non modo a constructione iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreret. Quaesivi enim a iudicibus, ut in hac causa mihi darent hanc veniam, accommodatam reo, ipsis, quemadmodum sperabam, non molestam, ut me, pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem, paterentur de

---

[1]) pro Archia c. 1. § 1. — [2]) Ibid. c. 6. § 12. — [3]) Ibid. c. 2. § 3.

studiis humanitatis ac litterarum paullo loqui liberius, et in eiusmodi persona, quae, propter otium ac studium, minime in iudiciis periculisque tractata erat, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi. Quod quum mihi a iudicibus tribui concedique sentirem, perfeci, ut A. Licinium Archiam non modo non segregandum, quum esset civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, quivis putaret asciscendum fuisse. Causa [1] erat eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobaretur.

VI. 13. Vide [2], quae sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, quem nemo, praeter nos philosophos, aspicere sine suspiratu posset. Quantum hoc vulnus! Facto senatusconsulto de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata; exagitatus senatus, alienati equites Romani. Sic ille annus duo firmamenta reipublicae, per me unum constituta, evertit: nam et senatus auctoritatem abiecit, et ordinum concordiam disiunxit. 14. Vidimus [3] igitur M. Pisonem, in ista aedilitate quondam offensiuncula accepta, summos a populo Romano honores adeptum. Consul [4] autem parvo animo fuit et pravo, tantum cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur; facie magis, quam facetiis ridiculus; nihil agens cum republica; seiunctus ab optimatibus: a quo nihil speres boni reipublicae, quia non vult, nihil metuas mali, quia non audet. Eius autem collega et in me perhonorificus et partium studiosus ac defensor bonarum. Messalla [5] enim consul egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. Ille alter uno vitio

---

[1]) Ibid. c. 12. § 31. — [2]) ad Att. I. 18. § 3. — [3]) pro Plancio c. 21. § 51. — [4]) ad Att. I. 13. § 2. — [5]) ad Att. I. 14. § 6.

minus vitiosus; quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπραγμάτατος, sed voluntate ita καχέκτης, ut Pompeium post illam concionem, in qua ab eo senatus laudatus est, odisse coeperit. Itaque mirum in modum omnes a se bonos alienavit. Neque id magis amicitia Clodii adductus fecit, quam studio perditarum rerum atque partium. Sed habebat sui similem in magistratibus neminem, praeter Fufium; quem [1] levissimum tribunum plebis omnes [2] boni clamoribus et conviciis et sibilis consectabantur.

VII. 15. Tum [3] primus, ut opinor, introitus fuit in causam fabulae Clodianae. Scito [4] enim P. Clodium, Appii F., cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, quum pro populo fieret, eumque per manus servulae servatum et eductum; idque [5] sacrificium quum virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam: (is fuit princeps); postea rem ex senatusconsulto ad pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum: deinde ex senatusconsulto consules rogationem promulgasse; uxori Caesarem nuntium remisisse. 16. In hac causa Piso amicitia P. Clodii ductus operam dabat, ut ea rogatio, quam ipse ferebat, et ferebat ex senatusconsulto et de religione, antiquaretur. Messalla vehementer agebat severe. Boni viri precibus Clodii removebantur a causa: operae comparabantur: nosmetipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigabamur. Instabat et urgebat Cato. Quid multa? verendum erat, ne haec, neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum reipublicae malorum

[1]) Ibid. § 1. — [2]) ad Att. II. 18. § 1. — [3]) ad Att. I. 18. § 2. — [4]) ad Att. I. 12. § 3. — [5]) ad Att. I. 13. § 3.

caussa essent. Etenim[1] quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus aequale huic urbi accepimus? Quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium, omni memoria, violavit, nemo umquam adiit, nemo neglexit, nemo vir aspicere non horruit: quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo, quae est in imperio, fit incredibili caerimonia, fit ei deae, cuius ne nomen quidem viros scire fas est.

VIII. 17. Ego[2] nactus, ut mihi videbar, locum resecandae libidinis et coercendae iuventutis, vehemens fui, et omnes profudi vires animi atque ingenii mei, non odio adductus alicuius, sed spe reipublicae corrigendae et sanandae civitatis. Ego[3] enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer praeliatus sum, ut clamor concursusque maxima cum mea laude fierent. Quod si cui umquam sum visus in republica fortis, certe me in illa caussa admiratus esset. Quum enim ille ad conciones confugisset, in iisque meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales! quas ego pugnas et quantas strages edidi! quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci! quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem iuventutis! 18. Postea[4] vero quam Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tribunus plebis ferret; in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat, nisi iudicum genus; (in eo autem erant omnia;) pugnavitque, ut ita fieret: quod et sibi et aliis persuaserat, nullis

[1]) de Harusp. resp. c. 17. § 37. — [2]) ad Att. I. 18. § 2. — [3]) ad Att. I. 16. § 1. — [4]) Ibid. § 2.

illum iudicibus effugere posse: contraxi vela, perspiciens inopiam iudicum, neque dixi quidquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non possem praeterire: quum[1] iste se fuisse Interamnae probaret testimonio[2] C. Cassinii. Quo testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae! 19. Itaque[3] afflicta respublica est empto constupratoque iudicio. Ille[4] fur muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores, impunitatem est illorum sententiis assecutus, qui (quum tribunus plebis poenas a seditioso civi per bonos viros iudicio persequi vellet,) exemplum praeclarissimum in posterum vindicandae seditionis de republica sustulerunt. Quid[5] multa? Homines[6] eum in re foedissima defenderunt: turpissimum nocentissimumque laudarunt: prope confitentem propter pecuniam iudicio liberaverunt.

IX. 20. Itaque[7], si caussam quaeris absolutionis, egestas iudicum fuit et turpitudo. Id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio, qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quae ex senatusconsulto ferebatur, non vidit illud satius esse, illum in infamia relinqui ac sordibus, quam infirmo iudicio committi. Sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium, quum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. 21. Sed iudicium si quaeris quale fuerit: incredibili exitu; sic, uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium Hortensii reprehendatur. Nam ut reiectio facta est clamoribus maximis, quum accusator, tamquam censor

---

[1]) pro Domo sua c. 30. § 80. — [2]) pro Milone c. 17. § 46. — [3]) ad Att. I. 18. § 3. — [4]) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 15.) — [5]) Ibid. § 9. — [6]) de Harusp. resp. c. 18. § 38. — [7]) ad Att. I. 16. § 2.

bonus, homines nequissimos reiiceret, reus, tamquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret; ut primum iudices consederunt, valde diffidere boni coeperunt. Non enim umquam turpior in ludo talario consessus fuit. Maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii. Pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat, qui maesti inter sui dissimiles et maerentes sedebant et contagione turpitudinis vehementer permovebantur. 22. Hic, ut quaeque res ad consilium primis postulationibus referebatur, incredibilis erat severitas nulla varietate sententiarum; nihil impetrarat reus; plus accusatori dabatur, quam postulabat; triumphabat (quid quaeris?) Hortensius, se vidisse tantum: nemo erat, qui illum reum ac non millies condemnatum arbitraretur. Me vero teste producto, quae consurrectio iudicum facta est! ut me circumsteterunt? ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarunt! Quae mihi res multo honorificentior visa est, quam aut illa, quum iurare Athenienses Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt; aut quum tabulas Metelli Numidici, quum hae, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices aspicere noluerunt; multo haec, inquam, nostra res maior. 23. Itaque iudicum vocibus, quum ego sic ab iis, ut salus patriae, defenderer, factus reus et una patroni omnes conciderunt. Ad me autem eadem frequentia postridie convenit, quacum abiens consulatu sum domum reductus. Clamare praeclari Areopagitae, se non esse venturos, nisi praesidio constituto. Refertur ad consilium; una sola sententia praesidium non desideravit. Defertur res ad senatum; gravissime ornatissimeque decernitur; laudantur iudices; datur negotium magistratibus; responsurum hominem nemo arbitrabatur.

24. *Ἕσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, —*
ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.

Crassus, ille laudator meus, de cuius oratione erga me honorifica in superiori libro scripsi, biduo per unum servum, et eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium; arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam vero (o dii boni! rem perditam!) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Ita, summo discessu bonorum, pleno foro servorum, xxv iudices ita fortes tamen fuerunt, ut, summo proposito periculo, vel perire maluerint, quam perdere omnia; xxxi fuerunt, quos fames magis, quam fama commoverit. Quorum Catulus quum vidisset quemdam, Quid vos, inquit, praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?

Habes, ut brevissime potui, genus iudicii et caussam absolutionis.

X. 25. Sed[1] tamen non ita, ut sperarant mali, tanto imposito reipublicae vulnere, alacris exsultabat improbitas in victoria. Nam plane ita putaverant, quum religio, quum pudicitia, quum iudiciorum fides, quum senatus auctoritas concidisset, fore, ut aperte victrix nequitia ac libido poenas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas consulatus mei. Idem ego recreavi afflictos animos bonorum, unum quemque confirmans, excitans; insectandis vero exagitandisque nummariis iudicibus, omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriae *παῤῥησίαν* eripui; Pisonem consulem nulla in re consistere umquam sum passus; desponsam

[1]) Ibid. § 7.

homini iam Syriam ademi; senatum ad pristinam suam severitatem revocavi atque abiectum excitavi; Clodium praesentem fregi in senatu, quum oratione perpetua, plenissima gravitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes. 26. Nam, ut Idib. Maii in senatum convenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa republica, atque ille locus inductus a me est divinitus: ne, una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent: vulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum, nec pertimescendum videretur: ne aut metuendo ignavissimi, aut ignorando stultissimi iudicaremur: bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam: hunc tertium iam esse a iudicibus in rempublicam immissum. Erras, Clodi: non te iudices Urbi, sed carceri reservarunt, neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in republica bonorum consensio, dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta; nihil est damni factum novi: sed, quod erat, inventum est. In unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt.

27. Sed quid ago? paene orationem in hos Commentarios inclusi. Redeo ad altercationem.

Surgit pulchellus puer: obiicit mihi, *me ad Baias fuisse.* — Falsum: sed tamen quid hoc? Simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse. — *Quid*, inquit, *homini Arpinati cum aquis calidis?* — Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinatis aquas concupivit: nosti enim Marianas. — *Quousque*, inquit, *hunc regem feremus?* — Regem appellas, inquam, quum Rex tui mentionem nullam fecerit? — (Ille autem Regis hereditatem spe devorarat.) — *Domum*, inquit, *emisti.* — Potes, inquam, dicere, iudices emisti? — *Iuranti*, inquit, *tibi non crediderunt.* — Mihi vero, inquam,

XXV iudices crediderunt; XXXI, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit et concidit. Hinc[1] mihi odium cum P. Clodio fuit, quod perniciosum patriae civem fore putabam, qui turpissima libidine incensus duas res sanctissimas, religionem et pudicitiam, uno scelere violasset.

XI. 28. Ego[2] autem — posteaquam primum Clodii absolutione levitatem infirmitatemque iudiciorum perspexi, deinde vidi, nostros publicanos facile a senatu disiungi, quamquam a me ipso non divellerentur, tum autem beatos homines non obscure nobis invidere — putavi mihi maiores quasdam opes et firmiora praesidia esse quaerenda. Itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel, sed saepe, multisque verbis, huius mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit. Quod non tam interfuit mea, (neque enim illae res aut ita erant obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderarent,) quam reipublicae: quod erant quidam impuebi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur. Cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrum in sua ratione munitior et in republica firmior hac coniunctione esse posset. 29. Odia autem illa libidinosae et delicatae inventutis, quae erant in me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi cohlerent. Nihil iam denique a me asperum in quemquam fiebat, nec tamen quidquam populare ac dissolutum; sed ita temperata tota ratio est, ut reipublicae constantiam prae-

[1]) de Provinc. Consul. c. 10. § 24. — [2]) ad Att. I. 19. § 6.

starem, privatis rebus meis, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum, odium in me improborum, adhiberem quamdam cautionem et diligentiam: atque ita tamen his novis amicitiis implicati sumus, ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurraret [Epicharmus] cantilenam illam suam:

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

XII. 30. Sed[1] attende, quaeso, quae sint consecuta. Exponam[2] enim omnem rationem facti et consilii mei. Instat[3] annus egregius! Est[4] enim C. Herennius quidam tribunus plebis, homo[5] sane nequam atque egens: (Sextus[6], pater eius, nummos tribulibus dividere solebat) is ad plebem P. Clodium traducit; idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat. Igitur[7] P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciolis, a strophio, a psalterio, a flagitio, a stupro est factus repente popularis. Nisi eum mulieres exornatum ita deprehendissent: nisi ex eo loco, quo eum adire fas non erat, ancillarum beneficio emissus esset: populari homine populus Romanus, respublica cive tali careret. Hanc ob amentiam arreptus est unus ex patriciis, cui tribuno plebis fieri non liceret. Et[8] tamen non simulabat, sed plane tribunus plebis fieri cupiebat. 31. Qua de re quum in senatu ageretur, fregi hominem et inconstantiam eius reprehendi, qui Romae tribunatum plebis peteret, quum in Sicilia saepe aedilitatem se petere dictitas-

---

[1]) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 15.) — [2]) pro Sextio c. 16. § 36. — [3]) ad Att. I. 18. § 3. — [4]) Ibid. § 4. — [5]) ad Att. I. 19. § 5. — [6]) ad Att. I. 18. § 4. — [7]) de Harusp. Resp. c. 21. § 44. — [8]) ad Att. II. 1. § 5.

set. Sed neque magno opere dixi esse nobis laborandum, quod nihilo magis ei licituram esset plebeio rempublicam perdere, quam similibus eius, me consule, patriciis fuisset licitum. Iam, quum se ille septimo die venisse a freto, neque sibi obviam quemquam prodire potuisse et noctu se introisse dixisset, in eoque se in concione iactasset: *nihil ei novi* dixi *accidisse*; ex Sicilia septimo die Romam: *tribus horis Roma Interamnam*; noctu introisse: *item ante*; non esse itum obviam: *ne tum quidem, quum iri maxime debuit.* Quid quaeris? hominem petulantem modestum reddo, non solum perpetua gravitate orationis, sed etiam hoc genere dicterum.

XIII. 32. Verum[1] illud, quod institueram dicere, huiusmodi est. Pulchellus[2] noster volitat, furit, nihil habet certi; multis denuntiat; quod fors obtulerit, id acturus videtur. Quum videt, quo sit in odio status hic rerum, in eos, qui haec egerunt, impetum facturus videtur. Quum autem rursus opes et vim exercitus recordatur, convertit se in nos. Nobis autem ipsis quum vim, tum iudicium minatur. Cum hoc Pompeius egit, et, ut ad me ipse referebat, (alium enim habeo neminem testem,) vehementer egit, quum diceret in summa se perfidiae et sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quum plebeium fieri passus esset; sed fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me: hanc si ille non servaret, ita laturum, ut omnes intelligerent, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. 33. Haec et in eam sententiam quum multa dixisset, aiebat illum primo sane diu multa contra: ad extremum autem manus dedisse et affir-

[1]) in Verrem Act. I. c. 12. § 34. — [2]) ad Att. II. 22. § 1.

masse, nihil se contra eius voluntatem esse facturum. Sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui. Mox[1] etiam mihi denuntiat periculum. Pompeius affirmat non esse periculum; adiurat; addit etiam, se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri. Mihi[2] autem periculosum erat credere: ad resistendum me parabam. Studia sperabam me summa habituram omnium ordinum. Varro mihi satisfaciebat. Pompeius loquebatur divinitus. Metellus[3] etiam consul, incipientem furere Clodium atque conantem sua se manu interfecturum, audiente senatu, dixit. Sperabam[4] nos aut etiam cum summa gloria aut sine molestia certe discessuros.

XIV. 34. Adhuc[5] quidem igitur minae Clodii contentionesque, quae mihi proponebantur, modice me tangebant. Etenim vel subire eas videbar mihi summa cum dignitate vel declinare nulla cum molestia posse: et[6] usque ad Caesarem et Bibulum consules, quum sententiae nostrae magnum in senatu pondus haberent, unus fere sensus fuit bonorum omnium. Quare[7] ita nos gerebamus, ut in dies singulos et studia in nos hominum, et opes nostrae augerentur. Rempublicam nulla ex parte attingebamus; in causis atque in illa opera nostra forensi summa industria versabamur. Quod egregie, non modo iis, qui utebantur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentiebamus. Domus celebrabatur; occurrebatur; renovabatur memoria consulatus; studia significabantur; in eam spem adducebamur, ut nobis ea contentio, quae impendebat, interdum

---

[1]) ad Att. II. 20. § 2. — [2]) ad Att. II. 21. § 6. — [3]) pro Caelio c. 24. § 60. — [4]) ad Att. II. 21. § 6. — [5]) ad Att. II. 19. § 1. — [6]) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 12.) — [7]) ad Att. II. 22. § 3. —

non fugienda videretur. 35. Posterioribus[1] enim mensibus omnis Clodii actio fuerat, omnia, quae C. Caesar egisset, quod contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere: quod si fieret, dicebat, se suis humeris me custodem Urbis in Urbem relaturum. Videte hominis amentiam, ubi per suum tribunatum Caesaris actis illigatus teneretur. Hora fortasse sexta diei questus sum in iudicio, quum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quaedam de republica, quae mihi visa sunt ad illius miseri caussam pertinere. Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona illo ipso die Clodius est adoptatus. Scilicet[2] accusaverat Antonium M. Caelius; qui[3] vetere instituto voluit, eorum adolescentium exemplo, qui post in civitate summi viri et clarissimi cives exstiterunt, industriam suam a populo Romano ex aliqua illustri accusatione cognosci. Antonio[4] praeclari in rempublicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Est[5] enim oppressus. Esto: habuit quamdam ille infamiam suam.

XV. 36. Nos[6] autem in republica infirma, misera commutabilique versabamur. Quis enim non audivit nostros equites paene a senatu esse disiunctos? qui primum illud valde graviter tulerunt, promulgatum ex senatusconsulto fuisse, ut de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quaereretur. Qua in re decernenda quum ego casu non affuissem sensissemque id equestrem ordinem

---

[1]) pro Domo sua c. 15. § 40. — [2]) pro Caelio c. 31. § 74. — [3]) Ibid. c. 30. § 73. — [4]) Ibid. c. 31. § 74. — [5]) pro Flacco c. 38. § 95. — [6]) ad Att. I. 17. § 8.

ferre moleste, neque aperte dicere, obiurgavi senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate, et in caussa non verecunda admodum gravis et copiosus fui. Sed[1] Cato noster, quem nemo amat plus, quam ego, sed qui, optimo animo utens et summa fide, nocet interdum reipublicae, sententiam dixit tamquam in Platonis πολιτείᾳ, non tamquam in Romuli faece. Quid enim verius, quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? Censuit hoc Cato; assensit senatus. Equites curiae bellum, non mihi: nam ego dissensi. 37. Ecce[2] aliae deliciae equitum vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse: ut inducerentur locatio, postulaverunt. Ego princeps in adiutoribus atque adeo secundus. Nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio et confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu. Huic quoque rei subventum est maxime a nobis, perfectumque, ut frequentissimo senatu et libentissimo uterentur: multaque a me de ordinum dignitate et concordia dicta sunt Kal. Decemb. et postridie. Unus contra dixerat Metellus, consul designatus. 38. Tum[3] etiam cum Catone meo dissensi. Nimis is mihi praefracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere: omnia publicanis negare, multa sociis; quum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus; eoque magis, quo illa ordinum coniunctio ad salutem reipublicae pertinebat. Sic[4]

---

[1]) ad Att. II. 1. § 8. — [2]) ad Att. I. 17. § 9. — [3]) de Off. III. c. 22. § 88. — [4]) ad Att. I. 17. § 10.

ego conservans rationem institutionemque nostram, tuebar, ut poteram, illam a me conglutinatam concordiam. Sed[1] restitit et pervicit Cato, usus[2] constantia magis et integritate, quam, ut mihi videtur, consilio aut ingenio.

XVI. 39. Atque[3] in republica tunc quidem maxime Gallici belli versabatur metus. Nam Aedui, fratres nostri, pugnabant; Sequani permale pugnaverant: et Helvetii erant in armis, excursionesque in provinciam faciebant. Senatus decrevit, ut consules Metellus et Afranius duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliae civitates, darentque operam, ne eae cum Helvetiis se iungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus et L. Flaccus et Lentulus Clodiani filius. Atque hoc loco illud non queo praeterire, quod, quum de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in Urbe censuit. Hoc idem post me Pompeio accidit; ut nos duo, quasi pignora reipublicae, retineri videremur. Quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectarem, quum haec domi nascerentur? 40. Urbanae autem res sic se habebant. Agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur auctore Pompeio; quae nihil populare habebat praeter auctorem. Ex hac ego lege, secunda concionis voluntate, omnia illa tollebam, quae ad privatorum incommodum pertinebant; liberabam agrum eum, qui, P. Mucio L. Calpurnio consulibus, publicus fuisset; Sullanorum hominum possessiones confirmabam; Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat neque diviserat, in sua possessione retinebam; unam rationem non reiiciebam, ut ager

[1]) ad Att. II. 1. § 8. — [2]) ad Att. I. 18. § 7. — [3]) ad Att. I. 19. § 2.

hac adventitia pecunia emeretur, quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. 41. Huic toti rationi agrariae senatus adversabatur, suspicans, Pompeio novam quamdam potentiam quaeri. Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat. Ego autem, magna cum agrariorum gratia, confirmabam omnium privatorum possessiones: (is enim est noster exercitus, hominum locupletium) populo autem et Pompeio (nam id quoque volebam) satisfaciebam emptione, qua constituta diligenter et sentinam Urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. Sed haec tota res interpellata bello refrixerat.

Haec [1] erant, ut opinor, in republica. Nunc [2] ad privata redeam.

XVII. 42. Nos [3] igitur, qui publicis consiliis nullis intereramus, totos nos ad forensem operam laboremque contulimus. Ex quo, quod facile intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, versabamur: praesertim [4] quum L. Flacci res agebatur. Cuius [5] amor in patriam mihi fuerat perspectus: qui [6], iis consiliis, quibus mecum in consulatu meo coniunctus fuit ad conservandam rempublicam, dignissimus, indicia [7] communis exitii exceperat: quem [8] tota civitas modestissimum adolescentem, provinciae maximae sanctissimum civem, nostri exercitus fortissimum militem, diligentissimum ducem, temperatissimum legatum quaestoremque cognoverunt: quem senatus constantissimum senatorem, iustissimum

---

[1]) Ibid. § 5. — [2]) ad Att. I. 14. § 7. — [3]) ad Att. II. 23. § 3. — [4]) pro Flacco c. 11. § 25. — [5]) Ibid. c. 1. § 2. — [6]) in Pison. c. 23. § 54. — [7]) pro Flacco c. 2. § 5. — [8]) Ibid. c. 3. § 8.

praetorem, atque amantissimum reipublicae civem iudicavit. 43. Quare[1], quum in maximis periculis huius urbis atque imperii, gravissimo atque acerbissimo reipublicae casu, socio atque adiutore consiliorum periculorumque meorum L. Flacco, caedem a civibus, vastitatem a templis, delubris, Urbe, Italia depulissem, speraveram honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. Et[2], si esset aliquando futurum, ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret, numquam tamen existimaveram, D. Laelium, optimi viri filium, optima ipsum spe praeditum summae dignitatis, eam suscepturum accusationem, quae sceleratorum civium potius odio et furori, quam ipsius virtuti atque institutae adolescentiae conveniret. 44. Vehementem[3] accusatorem nacti sumus et inimicum in omni genere odiosum ac molestum. At[4] quos testes? Testes[5], quorum studium cum accusatore erat sociatum. Negavi[6] esse ista testimonia, quae accusator ipse psephismata appellabat: sed fremitum egentium, et motum quemdam temerarium Graeculae concionis. Sed[7], quoniam de testibus totoque Mithridatico crimine disseruerat et subtiliter et copiose Q. Hortensius, nos ad reliqua perreximus. Hic[8] autem quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret! Sic habeto, nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici. Sed[9] quantum Hortensio credendum esset, nesciebam. Postea enim me summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidio-

---

[1]) Ibid. c. 1. § 1. — [2]) Ibid. § 2. — [3]) Ibid. c. 5. § 13. — [4]) Ibid. c. 4. § 9. — [5]) Ibid. c. 10. § 21. — [6]) Ibid. § 23. — [7]) Ibid. c. 17. § 41. — [8]) ad Att. II. 25. § 1. — [9]) ad Q. fratrem I. 3. § 8.

sissimeque tractavit, adiuncto quoque Arrio: qui[1] consulatum sibi a Caesare ereptum fremebat. Quorum[2] ego consiliis, promissis, praeceptis inductus in magnam calamitatem incidi.

XVIII. 45. Multa[3] me sollicitabant et ex reipublicae motu et ex iis periculis, quae mihi ipsi intendebantur et sexcenta erant. Sed mihi nihil erat molestius, quam decesse[4] mihi hominem eum, quocum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem: qui me amet, qui sapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. Aberat enim frater ἀρειότατος et amantissimus. Aberat etiam Pomponius, qui saepissime curam et angorem animi mei sermone et consilio levavit suo; qui mihi et in publica re socius, et in privatis omnibus conscius, et omnium meorum sermonum et consiliorum particeps esse solebat. Ita ab omnibus eram destitutus, ut tantum requietis haberem, quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone consumebatur. 46. Nam illae ambitiosae nostrae fucosaeque amicitiae erant in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habebant. Itaque, quum bene completa domus erat, tempore matutino, quum ad forum stipati gregibus amicorum descendebamus, reperire ex magna turba neminem poteramus, quocum aut iocari libere, aut suspirare familiariter possemus. Unus[5] autem, Caesare et Bibulo consulibus, innocens et bonus vir et omnibus rebus ornatus bis, me defendente, absolutus est A. Thermus. Quanta, reipublicae caussa, laetitia populi Romani, quanta gratulatio consecuta est! Duas[6] praeter-

[1]) ad Att. II. 7. § 2. — [2]) ad Q. fratrem I. 3. § 8. — [3]) ad Att. II. 19. § 1. — [4]) ad Att. I. 18. § 1. — [5]) pro Flacco c. 39. § 98. — [6]) ad Att. II. 7. § 1.

ea habui orationes: quarum alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram; alteram, ne laudarem eum, quem non amabam.

XIX. 47. Caesar[1] egit eas res in consulatu, quarum me participem esse voluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat. Me ille, ut quinqueviratum acciperem, rogavit: me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit: mihi legationem, quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. Quae ego omnia, non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiae, repudiavi. Quam sapienter, non disputo: multis enim non probabo: constanter quidem et fortiter: contra qui quum me firmissimis opibus contra scelus inimicorum munire et populares impetus populari praesidio propulsare possem, quamvis excipere fortunam, subire vim atque iniurias malui, quam aut a senatus sanctissimis mentibus dissidere aut de meo statu declinare. Sed non is solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam. Illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem civium, sinum generum, sentiebam. 48. Traduxit ad plebem inimicum meum: sive iratus mihi, quod me secum ne beneficiis quidem videbat posse coniungi, sive exoratus. Ne haec quidem fuit iniuria. Nam postea me, ut sibi essem legatus, non solum sumit, verum etiam rogavit. Ne id quidem accepi: non quo alienum mea dignitate arbitrarer, sed quod tantum reipublicae sceleris impendere a consulibus proximis non

[1]) de Provinc. Consul. c. 17. § 41.

suspicabar. Ergo adhuc magis erat mihi verendum, ne mea superbia in illius liberalitate, quam ne illius iniuria in nostra amicitia reprehenderetur.

XX. 49. Ecce illa tempestas, caligo bonorum et subita atque improvisa formido, tenebrae reipublicae, ruina atque incendium civitatis, terror iniectus Caesari de eius actis, metus caedis bonis omnibus, consulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. Postea[1] enim, quum Caesar Galliam cum imperio obtineret, neque respublica consules haberet, sed mercatores provinciarum et seditiosum nervos ac ministros, iecit quidam casus caput meum, quasi certaminis causa, in mediam contentionem dissensionemque civilem. Quae in discrimine quum mirifica senatus, incredibilis Italiae totius, singularis omnium bonorum consensio in me tuendo extitisset: non dicam, quid acciderit: (multorum est enim et varia culpa) tantum dicam breui, non mihi exercitum, sed duces defuisse. In quo, ut iam sit in iis culpa, qui me non defenderunt, non minor est in iis, qui reliquerunt: et, si accusandi sunt, si qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi, si qui se timere simularunt. 50. Audieram[2] quidem ex sapientissimo homine atque optimo civi et viro, Q. Catulo, non saepe unum consulem improbum, duos vero numquam post Romam conditam, excepto illo Cinnano tempore, fuisse. Quare meam causam semper fore firmissimam dicere solebat, dum vel unus in republica consul esset. Quod vere dixerat, si illud de duobus consulibus, quod ante in republica non fuerat, perenne ac proprium manere potuisset. Erat[3] quoque hic

[1]) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 13). — [2]) post redit. in Senatu c. 4. § 9. — [3]) pro Sextio c. 8. § 20.

omnium sermo: *Est tamen reipublicae magnum fortunaque subsidium: habeo, quem opponam labi illi atque ruinae: vultus, medius fidius, collegae mei libidinem levitatemque frangit: habebit senatus, in hunc annum quem sequatur: non deerit auctor et dux bonis.* Mihi denique homines praecipue gratulabantur, quod habiturus essem contra tribunum plebis furiosum et audacem quum amicum et alumnum, tum etiam fortem et gravem consulem.

. . . . . .

XXI. 51. Sed[1] fuerunt duo consules, quorum mentes angustae, humiles, pervae, oppletae tenebris ac sordibus; nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec intueri, nec sustinere, nec capere potuerunt: non consules, sed mercatores provinciarum ac venditores summae dignitatis. Quorum alter a me Catilinam, amatorem suum, multis audientibus, alter Cethegum consobrinum reposcebat: qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam, non consules, sed latrones, non modo deseruerunt, in caussa praesertim publica et consulari, sed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio, non solum suo, sed etiam senatus ceterorumque ordinum, spoliatum esse voluerunt! 52. Atque[2] eorum alter fefellit neminem. Quis enim clavum tanti imperii tenere et gubernacula reipublicae tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum, vino, ganeis, lenociniis adulteriisque confectum? quum is praeter spem in altissimo gradu alienis opibus positus esset, qui non modo tempestatem impendentem intueri temulentus, sed ne lucem quidem insolitam aspicere posset? qui[3] quum

[1]) post red. in Senatu c. 4. § 10. — [2]) pro Scatio c. 9. § 20. — [3]) post. red. in Senatu c. 5. § 11.

suam rem non minus strenue, quam postea publicam confecisset, egestatem et luxuriam domestico lenocinio sustentavit; qui, nisi in aram tribunatus confugisset, neque vim praetoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proscriptionem effugere potuisset. Quo in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset: ac minore quidem reipublicae detrimento, quam quod intra moenia nefarius hostis praedoque versatus est. 53. Alter[1] multos plane in omnes partes fefellit. Erat enim hominum opinione, nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus. Omnes boni semper nobilitati favemus, et quia utile est reipublicae, nobiles homines esse dignos maioribus suis, et quia valet apud nos clarorum hominum et bene de republica meritorum memoria etiam mortuorum. Quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant, et quod erat eo nomine, ut ingenerata familiae frugalitas videretur, favebant, gaudebant, et ad integritatem maiorum spe sua hominem vocabant, materni generis obliti. Ego autem (vere hoc dicam) tantum esse in homine sceleris, audaciae, crudelitatis, quantum ipse cum republica sensi, numquam putavi. Nequam esse hominem et levem, et falsa opinione, errore hominum ab adolescentia commendatum, sciebam. Etenim animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur; sed haec obstructio nec diuturna est, nec obducta ita, ut curiosis oculis perspici non possit.

XXII. 54. Iidem[2] consules, (si appellandi sunt consules, quos nemo est, quin non modo ex memoria, sed etiam ex

---

[1]) pro Sestio c. 9. § 21. — [2]) Ibid. c. 14. § 33.

fastis evellendos putet) pacto iam foedere provinciarum — ut[1] Gabinio Syria daretur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum imperium, ingens pecunia, — producti[2] in circo Flaminio in concionem ab illa furia ac peste patriae, maximo cum gemitu bonorum, illa omnia, quae tum contra me contraque rempublicam fiebant, voce ac sententia sua comprobaverunt. Iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus, lata lex est, *ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet: ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret: ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret:* qua una rogatione, quis est, qui non intelligat, universam rempublicam esse deletam? 55. Iisdem consulibus inspectantibus, servorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, quum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur. Iisdem consulibus arma in templum Castoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur: armati homines forum et conciones tenebant: caedes lapidationesque fiebant: nullus erat senatus, nihil reliqui magistratus: unus omnium omnium potestatem armis et latrociniis possidebat; non aliqua vi sua; sed quum duo consules a republica provinciarum foedere retraxissent, insultabat, dominabatur, alios pollicebatur, terrore ac metu multos, plures etiam spe et promissis tenebat. 56. Quae[3] igitur L. Catilinam conantem consul prohibuit, ea P. Clodium facientem hi consules adiuverunt. Voluit ille senatum interficere, hi sustulerunt: leges incendere, hi abrogarunt: interimere patriam, hi afflixerunt. Incendere illa coniuratorum manus voluit Urbem: hi eius domum, quem propter Urbs incensa non est. Caedem illi civium; hi servitutem expeti-

[1]) pro Domo sua c. 21. § 55 — pro Sextio c. 14. § 33. — [2]) in Pison. c. 7. § 15.

verunt. Illud[1] vero geminum consiliis Catilinae et Lentuli, quod et hi me domo mea expulerunt, Cn. Pompeium domum etiam compulerunt. Neque enim, me stante, et manente in Urbis vigilia, neque resistente Cn. Pompeio, omnium gentium victore, unquam se illi rempublicam delere posse dixerunt. A me quidem etiam poenas expetiverunt, quibus conjuratorum manus expiarent: omne odium, inclusum nefariis sensibus impiorum, in me profuderunt. Quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinae busto, his ducibus, mactatus essem.

Sed[2] necesse est, me totum istius anni reipublicae naufragium exponere.

XXIII. 57. Multa[3] acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus. Attulit[4] autem ille annus, in reipublicae magno motu et tempestate, tamquam intentum arcum in me unum, sicut vulgo ignari rerum loquebantur; re quidem vera in universam rempublicam, traductione ad plebem furibundi hostimis ac dependiti, mihi irati, sed multo acrius otii et communis salutis inimici. Hunc vir clarissimus, mihique, multis repugnantibus, amicissimus, Cn. Pompeius, omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum. At ille nefarius, ex omnium scelerum colluvione natus, parum se foedus violaturum est arbitratus, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset. 58. Hanc tectam immanemque belluam, vinctam auspiciis, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis, solvit subito lege curiata consul, vel, ut ego arbitror, exoratus, vel, ut non

[1]) Ibid. § 16. — [2]) pro Sestio c. 5. § 15. — [3]) Ibid. c. 27. § 58. — [4]) Ibid. c. 7. § 15.

nemo putabat, mihi iratus, ignarus quidem certe et imprudens impendentium tantorum scelerum ac malorum: qui tribunus plebis felix in evertenda republica fuit nullis suis nervis: qui enim in eiusmodi vita nervi esse potuerunt hominis, fraternis flagitiis, sororiis stupris, omni inquinata libidine instructi? Sed fuit profecto illa reipublicae fortuna fatalis, ut ille casus atque amens tribunus plebis nanciscaretur, quid dicam consules? hocine ut ego appellem nomine evensores huius imperii, proditores dignitatis Romanae, hostes bonorum omnium? qui ad delendum senatum, affligendum equestrem ordinem, exstinguendam omnia iura atque instituta maiorum se illis fascibus ceteris-que insignibus summi honoris atque imperii ornatos esse arbitrabantur.

XXIV. 59. Omnibus[1] in contionibus illa furia clamabat, se, quae faceret contra salutem meam, facere auctore Cn. Pompeio, clarissimo viro, mihique amicissimo. At Caesar, quocum mihi erant omnes amicitiae necessitudines, vir fortissimus, ab eadem illa peste infestissimus esse meis fortunis praedicabatur. C. Caesar, qui a me nullo meo merito alienus esse debebat, inimicissimus esse meae saluti ab eadem quotidianis concionibus dicebatur. His se tribus auctoribus in consiliis capiendis, adiutoribus in re gerenda esse usurum dicebat. Ex quibus unum habere exercitum in Italia maximum: duo, qui privati tum essent, et praecesse et parare, si vellent, exercitum posse: idque facturos esse dicebat. Nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec disceptationem, aut causae dictionem, sed vim, arma, exercitus, imperato-

[1]) Ibid. c. 17. § 39.

[illegible] quid ergo? inimici oratio, [illegible] in clarissimos viros con- [illegible] illius oratio, sed eorum [illegible] quam illa oratio tam improba con- [illegible] quamquam ob aliam caussam tace- [illegible] omnia timentibus tacendo loqui, [illegible] videbantur. Illi autem aliquo tum [illegible] quod acta illa atque omnes res anni su- [illegible] a praetoribus, infirmari a senatu at- [illegible] civitatis putabant, tribunum popularem a [illegible], eaque sibi propiora pericula esse, [illegible] 61. Sed tamen et Crassus a [illegible] meam caussam suscipiendam esse dicebat, et [illegible] idem Pompeius implorabat; neque se privatum pu- [illegible] susceptae caussae defuturum esse dicebat: quem vi- [illegible] studiosum mei, cupidissimum reipublicae conservan- [illegible] domi meae multi homines, ad eam rem compositi, monuerunt, ut esset cautior: eiusque vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt, atque hanc ei suspicionem alii litteris mittendis, alii nuntiis, alii coram ipsi excitaverunt, ut ille, quum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cavendum putaret. Ipse autem Caesar, quem maxime homines ignari veritatis mihi esse iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio: erat in Italia eius exercitus, inque eo exercitu ipsius tribuni plebis, inimici mei, fratrem praefecerat.

XXV. 62. Foedus[1] fecere consules cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent: exercitum, et pecuniam, quantam vellent; ea lege, si ipsi

[1] Ibid. c. 10. § 24.

prius tribuno plebis afflictam et constrictam rempublicam tradidissent: id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. Qua re patefacta, (neque enim dissimulari tantum scelus poterat, nec latere) promulgantur uno eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie et de provinciis consulum nominatim. 65. Hic tum senatus sollicitus, omnes equites exciti, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum cives summae reipublicae a consulibus atque a summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur, quum illi soli essent, praeter furiosum illum tribunum, duo reipublicae turbines, qui non modo praecipitanti patriae non subvenirent, sed eam etiam nimium tarde concidere indignarentur. Flagitabantur ab his quotidie quum quaestus bonorum omnium, tum etiam precibus senatus, ut meam causam susciperent, agerent aliquid; denique ad senatum referrent. Illi non modo negando, sed etiam irridendo amplissimum quemque illius ordinis insequebantur.

XXVI. 64. Hic subito quum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota Urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes, neque iam omni ratione, privato consilio (quoniam publicis ductibus respublica careret) defendendam putarunt. Tum equites Romani et omnes boni, veste mutata, se pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecerunt: qui cum precibus suis omnes a latrone illo repudiati sunt. 65. Erat eodem tempore senatus in aede Concordiae, quod ipsum templum repraesentabat memoriam consulatus mei, quum flens universus ordo cincinnatum consulem orabat: nam alter ille horridus et severus consulto se domi continebat. Qua tum superbia coenum illud ac labes amplissimi ordinis preces et clarissimorum civium

lacrimas repudiavit! nec ipsum ut contempsit helluo patriae! nam quid ego patrimonii dicam, quod ille, quum quaestum faceret, amisit? Tum vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Ninnius, ad senatum de republica retulit, senatusque frequens vestem pro mea salute mutandam censuit. 66. O diem illum, funestum senatui, bonisque omnibus! reipublicae luctuosum! mihi ad domesticum maerorem gravem! ad posteritatis memoriam gloriosum! Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam pro uno civi et bonos omnes privato consensu et universum senatum publico consilio mutasse vestem? quae quidem tum mutatio non deprecationis causa est facta, sed luctus. Quem enim deprecarmur, quum omnes essent sordidati? quumque hoc satis esset signi, esse improbum, qui mutata veste non esset? ...

XXVII. 67. Hac mutatione vestis facta, tanto in luctu civitatis, omitto, quid ille tribunus, omnium rerum divinarum humanarumque praedo, fecerit: qui adesse nobilissimos adolescentes, honestissimos equites Romanos, deprecatores salutis meae, iusserit, eosque operarum suarum gladiis et lapidibus obruerit: de consulibus loquor, quorum fide respublica niti debuit. Examinatus evolat ex senatu Gabinius, non minus perturbato animo atque vultu, quam si paucis ante annis in creditorum conventum incidisset. Advocat concionem: habet orationem talem consul, qualem nunquam Catilina victor habuisset: *Errare homines, si etiam tum senatum aliquid in republica posse arbitrarentur: equites vero Romanos daturos illius diei poenas, quo, me consule, cum gladiis in clivo Capitolino fuissent: venisse tempus iis, qui in timore fuissent*, (coniuratos videlicet dicebat) *ulciscendi sc.* Si dixisset hoc so-

lum, omni supplicio esset dignus: nam oratio ipsa consulis perniciosa potest rempublicam labefactare. 68. Quid fecerit, videte. L. Lamiam, qui, quum me ipsum pro summa familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, unice diligebat, tum pro republica vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegavit: edixitque, ut ab Urbe abesset millia passuum ducenta: quod esset ausus pro civi, pro bene merito civi, pro amico, pro republica deprecari. Quid hoc homine facias? aut quo civem importunum, aut potius hostem tam sceleratum reserves? qui, ut omittam cetera, quae sunt ei cum collega immani impuroque coniuncta atque communia, hoc unum habet proprium, ut expulerit ex Urbe, relegarit, non dico equitem Romanum, non ornatissimum atque optimum virum, non amicissimum reipublicae civem, non illo ipso tempore una cum senatu et cum bonis omnibus casum amici reique publicae lugentem: sed civem Romanum sine ullo iudicio ex patria consul eiecerit.

XXVIII. 69. Erat igitur in luctu senatus: squalebat civitas, publico consilio mutata veste: nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime decrevisset de mea salute: quum subito edicunt duo consules, ut ad suum vestitum senatores redirent. Quis umquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? Purumne est, Piso, ut omittam Gabinium, quod tantum hominem fefellisti, ut negligeres auctoritatem senatus? optimi

---

1) Ibid. c. 14. § 32.

eiusque consilia contemneres? rempublicam proderes? consulare nomen affligeres? Etiamne edicere audebas, ne maererent homines meam, suam, reipublicae calamitatem? neve hunc suum dolorem veste significarent? Sive illa vestis mutatio ad luctum ipsorum sive ad deprecandum valebat; quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut sibi maerere aut ceteris supplicare? 70. Idem[1] tu, productus in concionem ab eo, cui sic acquatum praebebas consulatum tuum, quem esse interrogatus, quid sentires de consulatu meo: gravis auctor! respondebas, altero ad frontem sublato, altero ad mentum deprenso supercilio: *crudelitatem tibi non placere.* Hic te ille homo, dignissimus tuis laudibus, collaudavit. Crudelitatis tu, furcifer, senatum consul in concione condemnabas! non enim me, qui senatui parui; nam rebitio illa salutaris et diligens fuerat consulis: animadversio quidem et iudicium senatus. Quae quum reprehenderes, ostendebas, qualis tu, si ita forte accidisset, fuisses illo tempore consul futurus. Stipendio, mehercule, et frumento Catilinam esse putasses iuvandum. Quid enim interfuit inter Catilinam et eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem civitatis, totam rempublicam, provinciae praemio vendidisti? Tu[2] es ille, cui crudelitas displicet? qui, quum senatus luctum et dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, quum videres maerere rempublicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid fecisti? Quod nulla in barbaria quisquam tyrannus. Edicere[3] ausus es cum illo tuo pari, quum tamen omnibus vitiis superare cupiebas, ut senatus, contra, quam ipse censuisset, ad vestitum rediret. Quis

---

[1]) in Pison. c. 6. § 14. — [2]) Ibid. c. 8. § 17. — [3]) Ibid. § 18.

hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret?

XXIX. 71. Haec[1] ego quum viderem, (neque enim erant occulta) senatum, sine quo civitas stare non potest, omnino de civitate esse sublatum: consules, qui publici nostri consilii duces esse deberent, perfecisse, ut per ipsos publicum consilium funditus tolleretur: eos, qui plurimum possent, opponi omnibus omnionibus, falso, sed formidolose tamen, amatores ad perniciem meam: concliones habuisse quotidie contra me: vocem pro me ac pro republica neminem mittere: intenta signa legionum existimari cervicibus ac bonis civium, falso, sed putari tamen: coniuratorum copias veteres, et fusam illam ac superatam fortissimae manum importunam novo huic et insperato commutatione rerum esse renovatam: — haec ergo quum viderem, quid agerem? 72. Contenderem contra tribunicium plebis pestem armis? Vicissent improbos boni, fortes inertes: interfectus esset is, qui hac una medicina sola potuit a rei publicae peste depelli. Quid deinde? quis reliqua praestaret? cui denique erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo praecertim publico consilio profusus, consules, ultores et defensores esset habiturus? quam quidem in concione dixisset, *aut mihi semel perimendum aut bis esse vincendum*. Quid erat *bis vincere*? Id profecto, ut, cum amentissimo tribuno plebis quam decertassem, cum consulibus ceterisque eius ulteribus dimicarem. Ego vero, si pugnandum fuisset, ac non accipienda plaga mihi, semibilis illa, non mortifera, quam imposuisset, semel perire tamen maluissem, quam bis vincere. Erat enim illa altera

[1]) pro Sestio c. 19. § 42.

eiusmodi contentio, ut neque victi neque victores rempublicam tenere possemus. 73. Potui[1] quidem, multis auctoribus fortissimis viris, me vi armisque defendere: nec mihi ipse ille animus idem meus, nemini incognitus, defuit. Sed videbam, si vicissem praesentem adversarium, nimium multos mihi alios esse vincendos: si victus essem, multis bonis et pro me, et mecum, etiam post me esse pugnandum: tribunicioque sanguinis ultores esse praesentes: meae mortis poenas iudicio et posteritati reservari. Nolui, quum consul communem salutem sine ferro defendissem, meam privatus armis defendere, bonosque viros lugere mihi meus fortunas, quam suis desperare: ac, si solus essem interfectus, mihi turpe, si cum multis, reipublicae funestum fore videbatur.

XXX. 74. Quare[2] quum omnium perditorum et coniuratorum incitata vis, duces tribunos plebis, consulibus auctoribus, afflicto senatu, perterritis equitibus Romanis, suspensa ac sollicita tota civitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos; servorum[3] et egentium civium et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis periculisque servatos, pro me obici nolui. Vidi enim, vidi, Q. Hortensium, lumen et ornamentum reipublicae, paene interfici servorum manu, quum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, senator, vir optimus, cum hoc quum esset una, ita est mulcatus, ut vitam amiserit. 75. Quae[4] quum omnia, atque etiam multo alia maiora, quae consulto praetereo, accidissent, deflevi[5] coniugis mi-

[1]) post red. in Senatu c. 13. § 33. — [2]) pro Domo sua c. 36. § 96. — [3]) pro Milone c. 14. § 36. — [4]) pro Sextio c. 23. § 52. — [5]) pro Domo sua c. 36. § 96.

serae discidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum, subitas fundatissimae familiae ruinas: sed his omnibus rebus vitam anteposui meorum civium; remque publicam concidere meo unius discessu, quam omnium interitu occidere malui. Servavi[1] igitur rempublicam discessu meo: eadem a civibus liberisque eorum, vastitatem, incendia, rapinas, meo dolore luctuque depuli: et unus bis rempublicam servavi, semel gloria, iterum aerumna mea. Neque enim in hoc me hominem esse infitiabor unquam, ut me optimo fratre, carissimis liberis, fidelissima coniuge, conspectu bonorum, patria, hoc honoris gradu, sine dolore caruisse glorier. 76. Mihi[2] autem temporibus illis multum in animo Marius versabatur, recordanti, quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Memineram[3] divinum illum virum, atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem huius imperii, summa senectute, quum vim prope iustorum armorum profugisset, primo senile corpus paludibus occultasse demersum: deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugisse: inde navigio exparvo, quum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africae desertissimas pervenisse. Atque ille vitam suam, ni inultus esset, ad incertissimam spem et ad reipublicae fatum reservavit.

XXXI. 77. Hac[4] tanta perturbatione civitatis, ne noctem quidem consules inter meum casum et reipublicae praedam interesse passi sunt: statim, me perculso, ad meum

---

[1]) pro Sextio c. 22. § 49. — [2]) de Divinat. II. c. 97. § 140. — [3]) pro Sextio c. 22. § 50. — [4]) Ibid. c. 24. § 54.

sanguinem hauriendum, et, spirante etiam republica, ad eius spolia detrahenda advolaverunt. Omitto gratulationes, epulas, partitionem aerarii, beneficia, spem, promissa, praedam, laetitiam paucorum, in luctu omnium. Vexabatur uxor mea: liberi ad necem quaerebantur: gener, et Piso gener, a Pisonis consulis pedibus supplex reiiciebatur: bona diripiebantur, eaque ad consules deferebantur: domus ardebat in Palatio, consules epulabantur et[1] in coniuratorum gratulatione versabantur, quum alter se Catilinae delicias, alter Cethegi consobrinum fuisse diceret. 78. Quod si[2] meis incommodis laetabantur, Urbis tamen periculo eos commoveri oportebat. Ecquod[3] enim in hac urbe maius umquam incendium fuit, cui non consul ambulanti? At Piso illo ipso tempore apud socrum suam prope a meis aedibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefecerat, sedebat, non exsinctor, sed auctor incendii, et ardentes faces furiis Clodianis paene ipse consul ministrabat.

XXXII. 79. Sed[4], ut a mea causa iam recedam, reliquas illius anni pestes recordemur. Nam latae quidem sunt consulibus illis, tacentibus dicam? immo vero approbantibus etiam: ut censoria notio et gravissimum iudicium sanctissimi magistratus de republica tolleretur; ut collegia non modo illa vetera contra senatusconsultum restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conscriberentur: ut, remissis semissibus et trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur: ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam prodidisset, pactus

---

[1]) pro Domo sua c. 24. § 62. — [2]) pro Sextio c. 24. § 54. — [3]) in Pison. c. 11. § 26. — [4]) pro Sextio c. 25. § 55.

erat, Syria daretur: ut uni helluoni bis de eadem re deliberanti potestas esset, rogata lege, provinciae commutandae: ut [1] homini egentissimo et facinerosissimo, Sex. Clodio, omne frumentum privatum et publicum, omnes provinciae frumentariae, omnes mancipes, omnes horreorum claves traderentur. Qua ex re primum caritas nata est, deinde inopia. Impendebat fames, incendia, caedes, direptio. 80. Mitto iam legem, quae omnia iura religionum, auspiciorum potestatem, omnes leges, quae sunt de iure et de tempore legum rogandarum, una rogatione dolevit: mitto omnem domesticam labem: etiam exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus. Lege tribunicia Matris Magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus et spoliatus sacerdotio est, famenque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum venditum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini atque indigno illa religione, praesertim quum ea sibi ille non colendi, sed violandi causa appetisset: appellati reges a populo, qui id numquam ne a senatu quidem postulassent: reducti exsules Byzantium condemnati tum, quum indemnati cives e civitate eiciebantur. 81. Rex Ptolemaeus, qui, si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater eius regis, qui, quum esset in eadem causa, iam erat a senatu honorem istum consecutus; erat eodem genere, iisdemque maioribus, eadem vetustate societatis; denique erat rex, si nondum socius, at non hostis; pacatus, quietus, fretus imperio populi Romani, regno paterno atque avito, regali otio perfruebatur. De hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus, est rogatum, ut sedens, cum purpura et sceptro et illis insignibus regiis,

[1]) pro Domo sua c. 10. § 25. — [1]) pro Sextio c. 26. § 56.

praeconi publice subiiceretur; et, imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus, nulla iniuria commemorata, nullis rebus repetitis, cum bonis omnibus publicaretur.

XXXIII. 82. At[1] etiam eo negotio M. Catonis splendorem maculare voluerunt. Non enim illi ornandum Catonem, sed relegandum, nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt, qui in concione palam dixerint, *linguam se evellisse M. Catoni, quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset.* Et[2], si isti Cypriae rogationi sceleratissimae non paruisset, haereret illa nihilominus in republica turpitudo. Regno enim iam publicato, de ipso Catone erat nominatim rogatum. Quod ille si repudiasset, quis dubitet, quin ei vis esset allata, quum omnia acta illius anni per illum unum labefactari viderentur? Sic[3] M. Cato, invitus, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. Eiiciuntur duo, quos improbi videre non poterant, alter per honorem turpissimum, alter per honestissimam calamitatem. Et[4] Cyprius ille miser, qui semper amicus, semper socius fuit; de quo nulla umquam suspicio durior aut ad senatum, aut ad imperatores nostros allata est; vivus (ut aiunt) est et videns cum victu ac vestitu suo publicatus. 83. Quae[5] porro promulgata illo anno fuerint, quae promissa multis, quae conscripta, quae sperata, quae cogitata, quid dicam? qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus? cuius negotii publici cogitari, optari, fingi curatio potuit, quae non esset attributa atque descripta? quod genus imperii, aut quae provincia, quae

---

[1]) Ibid. c. 28. § 60. — [2]) Ibid. c. 29. § 62. — [3]) pro Domo sua c. 25. § 65. — [4]) pro Sextio c. 27. § 59. — [5]) Ibid. c. 30. § 66.

ratio aut flandae aut conflandae pecuniae non reperiebatur? quae regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex erat, qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat? Damnatis de vi, restitutio; consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti comparabatur. Haec gemebant boni, sperabant improbi, agebat tribunus plebis, consules adiuvabant.

84. Atque[1] haec quidem hactenus. Nunc[2] enim venio ad illum discessum meum: cuius ego temporis rationem explicabo brevi, neque invitus. Nihil enim ex meis est temporibus, quod minus pervagatum, quodque minus aut mea commemoratione celebratum sit, aut hominibus auditum atque notum.

---

[1]) de Offic. I. c. 45. § 160. — [2]) pro Plancio c. 40. § 95.

LIBER QUINTUS.

I. 1. Ex[1] illo igitur, quod dixi, incendio legum, iuris, senatus, bonorum omnium, cedens, quum mea domus ardore suo deflagrationem Urbi atque Italiae toti minaretur, nisi quievissem; meam[2] salutem deserui, ne propter me civium vulneribus cruentaretur respublica. Vidi[3] enim, si vicissem, tenues reipublicae reliquias, si victus essem, nullas futuras: speravi autem, id quod accidit, me iacentem posse a vivis viris fortibus excitari: si una cum bonis interiissem, nullo modo posse recreari. 2. Sed accepi profecto magnum atque incredibilem dolorem: non nego: neque istam mihi ascisco sapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse atque afflicto loquebantur. An ego poteram, quum a tot rerum tanta caritate divellerer, (quas idcirco praetereo, quod ne nunc quidem sine fletu commemorare possum) infitiari, me esse hominem, et communem naturae sensum repudiare? Uno[4] enim eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat; bona ad vicinum consulem de Palatio, de Tusculano ad

---

[1]) pro Plancio c. 40. § 95. — [2]) Post redit. in Senatu c. 3. § 6. — [3]) pro Domo sua c. 36. § 96. — [4]) Post. redit. in Senatu c. 7. § 18.

item vicinum alterum consulem deferebantur: quum, iisdem operis suffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modo a bonis, sed etiam a liberis, atque inani foro, ignaro populo Romano quid ageretur, senatu vero oppresso et afflicto, duobus impiis nefariisque consulibus aerarium, provinciae, legiones, imperia donabantur.

II. 3. Converti[1] iter meum Vibonem. Cuius[2] itineris nostri caussa fuit, quod non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quam fundum Siccae, praesertim nondum rogatione correcta: et simul intelligebam, ex eo loco, si Atticum haberem, posse me Brundisium referre; sine ipso autem non esse nobis illas partes tentandas propter Antronium. Scripsi igitur ad Atticum a. d. VI. Id. Apr. in oris Lucaniae, nihil[3] mihi optatius cadere posse, quam ut me quam primum consequeretur; ut, quum ex Italia profecti essemus, sive per Epirum iter esset faciendum, ipsius praesidio uteremur; sive aliud quid agendum esset, certum consilium de eius sententia capere possemus. Quamobrem orabam ipsum, daret operam, ut me statim consequeretur. Plura[4] scribere non poteram, ita eram animo perculso et abiecto. 4. Mox[5] Siciliam petivi animo, quae et ipsa erat mihi, sicut domus una, coniuncta, et obtinebatur a C. Virgilio, quocum me uno vel maxime quum vetustas, tum amicitia, tum mei fratris collegia, tum respublica sociarat. Vide nunc caliginem temporum illorum. Quum ipsa paene insula mihi sese obviam ferre vellet; praeter ille, eiusdem tribuni plebis concionibus propter eamdem reipublicae caussam saepe vexatus, nihil amplius dico,

---

[1]) ad Att. III. 3. — [2]) ad Att. III. 2. — [3]) ad Att. III. 1. — [4]) ad Att. III. 2. — [5]) pro Plancio c. 40. § 95.

nisi, me in Siciliam venire noluit. Quid dicam? C. Virgilio, tali civi et viro, benevolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuisse? Nihil est eorum; sed, quam tempestatem nos non tulissemus, metuit, ut eam ipse posset opibus suis sustinere.

III. 5. Tum, consilio repente mutato, a Vibone[1] subito discessimus. Allata est enim nobis rogatio de pernicie mea; in qua, quod correctum esse audieramus, erat eiusmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse. Illo quum pervenire non liceret, statim iter Brundisium versus contuli ante diem rogationis; ne et Sicca, apud quem eram, periret; et quod Melitae esse non licebat. 6. Iter[2] a Vibone Brundisium terra petere contendi: nam maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo. Quum et Thurii[3] et Tarentum[4] et omnia[5] illa municipia, quae sunt a Vibone Brundisium, in fide mea essent; iter mihi tutum, multis ministrantibus, magno cum suo metu praestiterunt. Nec[6] erat mihi dubium, quin Atticum aut Tarenti aut Brundisii visurus essem: idque ad multa pertinuit; in eis, et ut in Epiro consisteremus, et de reliquis rebus ipsius consilio uteremur. Quoniam id autem non contigit, erat hoc quoque in magno numero nostrorum malorum.

IV. 7. Brundisium[7] veni a. d. XIV. Kal. Mai. Eo die pueri mihi ab Attico litteras reddiderunt: et alii pueri, post diem tertium eius diei, alias litteras attulerunt. In quibus quod Atticus me rogabat et hortabatur, ut apud se in

---

[1]) ad Att. III. 4. — [2]) pro Plancio c. 40. § 96. — [3]) ad Att. III. 5. — [4]) ad Att. III. 6. — [5]) pro Plancio c. 41. § 97. — [6]) ad Att. III. 6. — [7]) ad Att. III. 7. § 1.

Epiro essem, voluntas mihi valde grata erat huius et minime nova, sed ut consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere: oderam enim celebritatem; fugiebam homines; lucem aspicere vix poteram: (fuisset mihi ista solitudo, praesertim tam familiari in loco, non amara) sic itineris caussa ut deverterem, primum erat devium; deinde ab Autronio et ceteris quatridui. 6. Quod[1] autem me ad vitam vocabat, unum effecit, ut a me manus abstinerem; alterum non potuit, ut me non nostri consilii vitaeque paeniteret. Quid enim erat, quod me retineret, praesertim si spes ea non erat, quae nos proficiscentes prosequebatur? Non faciam, ut enumerem miserias omnes, in quas incideram per summam iniuriam, et scelus non tam inimicorum meorum, quam invidorum, ne et meum maerorem exagitem et alios in eumdem luctum vocem. Hoc affirmo, neminem unquam tanta calamitate esse affectum, nemini mortem magis optandam fuisse; cuius optandae tempus honestissimum praetermissum erat. Reliqua tempora non erant iam ad medicinam, sed ad finem doloris.

V. 9. Veni[2] igitur Brundisium, vel potius ad moenia accessi. Urbem unam mihi amicissimam declinavi, quae se vel potius exscindi, quam, e suo complexu ut eriperer, facile pateretur. In hortos me M. Laenii Flacci contuli: cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponeretur, haec perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere. Hic[3] enim vir optimus periculum fortunarum et capitis sui prae mea salute

---

[1]) Ibid. § 8. — [2]) pro Plancio c. 41. § 97. — [3]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 4. § 2.)

neglexit, neque legis improbissimae poena deductus est, quo minus hospitii et amicitiae ius officiumque praestaret. 10. Huius[1] ego, et parentis eius, prudentissimi atque optimi senis, et fratris, et utriusque filiorum manibus, in navi tuta ac fideli collocatus, eorumque preces et vota de meo reditu exaudiens, Brundisio[2] profectus sum prid. Kal. Mai. quum[3] ibi dies XIII fuerant. Sicca[4] autem, qui dixerat, se mecum fore, iam antea Brundisio discesserat: Tum[5] iter nobis erat in Asiam, maxime Cyzicum: quod si[6] vero ausus essem, Athenas petiissem. Sane ita cadebat, ut vellem. Sed et nostri hostes ibi erant, et verebamur, ne interpretarentur, illud quoque oppidum ab Italia non satis abesse.

VI. 11. Ergo[7] Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi. Quo quum venissem, cognovi, id quod audieram, refertam esse Graeciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum, quorum impium ferrum igniumque pestiferos meus ille consulatus e manibus exterserat: qui antequam de meo adventu audire potuissent, quum tamen abessent aliquot dierum viam, in Macedoniam ad Plancium[que] perrexi. Hic vero simulac me Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad me, lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata, profectus est. O acerbam mihi memoriam temporis illius et loci, quum hic in me incidit, quum complexus est, conspersitque lacrimis, nec loqui prae maerore potuit! O rem quum auditu crudelem, tum visu nefariam! e reliquos omnes dies noctes-

[1]) pro Plancio c. 41. § 97. — [2]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 4. § 3.) — [3]) Ibid. § 2. — [4]) Ibid. § 6. — [5]) ad Att. III. 6. — [6]) ad Att. III. 7. § 1. — [7]) pro Plancio c. 41. § 97.

que eas, quibus iste, a me non recedens, Thessalonicam me in quaestoriumque perduxit! 12. Brundisio[1] autem proficiscens scripseram ad Atticum, quas ab causas in Epirum non essemus profecti; quod et Achaia prope esset, plena audacissimorum inimicorum, et exitus difficiles haberet, quum inde proficisceremur. Accessit, quum Dyrrhachii essemus, ut duo nuntii afferrentur; unus, classe fratrem Epheso Athenas, alter, pedibus per Macedoniam venire. Itaque illi obviam misimus Athenas, ut inde Thessalonicam veniret.

VII. 13. Ipsi processimus, et Thessalonicam a. d. x. Kal. Iun. venimus; neque de fratris itinere quidquam certi habebamus, nisi eum ab Epheso ante aliquanto profectum. Itaque[2], quum meus me maeror quotidianus lacerabat et conficiebat, tum vero haec addita cura vix mihi vitam reliquam faciebat. Ita[3] eram perturbato animo de Quinto, ut nihil possem statuere. Quem[4] quidem ego nec quo modo visurus, nec uti dimissurus essem, sciebam. Id erat maximum et miserrimum mearum omnium miseriarum. Reliqua[5] quam mihi timenda essent, videbam; et omnia timebam; nec tam miserum erat quidquam, quod non in nostram fortunam cadere videretur. Equidem igitur miser; in maximis meis aerumnis et luctibus, hoc metu adiecto, manebam Thessalonicae suspensus, nec audebam quidquam. 14. Nolo[6] commemorare, quibus rebus essem spoliatus. Hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum quemquam, neque in tantas miserias incidisse. Dies autem non modo non levabat luctum hunc,

---

[1]) ad Att. III. 8. § 1. — [2]) Ibid. § 2. — [3]) Ibid. § 3. — [4]) ad Att. III. 7. § 3. — [5]) ad Att. III. 8. § 2. — [6]) ad Att. III. 15. § 2.

sed etiam augebat. Nam ceteri dolores mitigantur vetustate, hic non poterat non et sensu praesentis miseriae et recordatione praeteritae vitae quotidie augeri. Desiderabam enim non mea solum neque meos, sed me ipsum. Quid enim eram? Quaeso[1], ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non esset? ecquis umquam tam ex amplo statu, tam in bona caussa, tantis facultatibus ingenii, consilii, gratiae, tantis praesidiis bonorum omnium, concidit? poteram oblivisci, qui fuissem? non sentire, qui essem? quo carerem honore? qua gloria? 15. Quid[2], quod eodem tempore desiderabam filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio! effigiem oris, sermonis, animi mei! Quid filium venustissimum mihique dulcissimum? quem ego ferus ac ferreus e complexu dimiseram meo, sapientiorem puerum quam vellem. Sentiebat enim miser iam, quid ageretur. Quid vero fratris filium? imaginem patris! quem meus Cicero et amabat, ut fratrem, et iam, ut maiorem fratrem, verebatur. Quid? quod mulierem miserrimam, fidelissimam coniugem, me prosequi non eram passus, ut esset, quae reliquias communis calamitatis, communes liberos, tueretur? Mitto[3] cetera intolerabilia. Etenim fletu impedior.

VIII. 16. Quintus[4] autem frater quum ex Asia discessisset ante Kal. Mai. et Athenas venisset Idib., valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, si quis forte fuisset, qui contentus nostris malis non esset. Itaque eum malui properare Romam, quam ad me venire; et simul (dicam enim, quod verum est; ex quo magnitu-

---

[1]) ad Att. III. 10. § 2. — [2]) ad Q. fratrem I. 3. § 3. — [3]) ad Att. III. 10. § 2. — [4]) ad Att. III. 9. § 1.

dinem miseriarum mearum perspicere possis) animum inducere non potui, ut aut illum, amantissimum mei, mollissimo animo, tanto in maerore aspicerem, aut meas miserias luctu afflictas et perditam fortunam illi offerrem aut ab illo aspici paterer. Atque etiam illud timebam, quod profecto accidisset, ne a me digredi non posset. Versabatur mihi tempus illud ante oculos, quum ille aut lictores dimitteret aut vi avelleretur ex complexu meo. Huius acerbitatis eventum altera acerbitate non videndi fratris vitavi. 17. Sed[1] tamen, quoquo modo potui, scripsi et has ad fratrem dedi litteras:

» M. Cicero S. D. Q. Fratri.

» Mi frater[2], mi frater, mi frater, hortor[3] te et rogo, ut Romam protinus pergas et properes. Primum enim te praesidio esse volo, si qui sint inimici, quorum crudelitas nondum sit nostra calamitate satiata. Deinde congressus nostri lamentationem pertimesco: digressum vero non feram; atque etiam id metuo, ne a me distrahi non possis. His de caussis hoc maximum malum, quod te non videbo, quo nihil amantissimis et coniunctissimis fratribus acerbius ac miserius videtur accidere posse, minus acerbum, minus miserum erit, quam esset quum congressio, tum vero digressio nostra. 18. Noli[4] vereri, ne ego iracundia aliqua adductus te videre noluerim. Ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci? Scilicet. Tu enim me afflixisti: tui me inimici, tua me invidia, ac non ego te misere perdidi. Meus ille laudatus consulatus mihi te, liberos, patriam, fortunas, tibi velim ne quid eripuerit, praeter unum me. Sed

---

[1]) ad Q. fratrem I. 3. § 4. — [2]) Ibid. § 1. — [3]) Ibid. § 4. — [4]) Ibid. § 1.

certe a te mihi omnia semper honesta et iucunda cecide-runt; a me tibi luctus meae calamitatis, metus tuae, de-siderium, maeror, solitudo. Ego te videre noluerim? Im-mo vero me a te videri nolui. Non enim vidisses fratrem tuum: non eum, quem reliqueras: non eum, quem no-ras: non eum, quem flens flentem, prosequentem profi-ciscens dimiseras: ne vestigium quidem eius, nec simula-crum; sed quamdam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses aut audisses! uti-nam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae super-stitem reliquissem! 19. Sed testor omnes deos, me hac una voce a morte esse revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuae vitae repositam esse dicebant. Quare peccavi sceleratequeque feci. Nam si occidissem, mors ipsa meam pietatem amoremque in te facile defenderet. Nunc commisi, ut vivo me careres, vivo me aliis indige-res; mea vox in domesticis periculis potissimum occide-ret, quae saepe alienissimis praesidio fuisset. Haec [1] ipsa me quo fletu putas scripsisse? Eodem, quo te legere certo scio. An ego possum aut non cogitare aliquando de te, aut umquam sine lacrimis cogitare? Quum enim te de-sidero, fratrem solum desidero? Ego vero suavitate prope aequalem, obsequio filium, consilio parentem. Quid mihi sine te umquam aut tibi sine me iucundum fuit? 20. Nunc [2], si potes, — id quod ego, qui fortis tibi sem-per videbar, non possum — erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit. Spero, si quid mea spes ha-bet auctoritatis, tibi et integritatem tuam, et amorem in te civitatis, et aliquid etiam misericordiam nostri prae-sidii laturam. Sin eris ab isto periculo vacuus; ages

---

[1]) Ibid. § 3. — [2]) Ibid. § 5.

scilicet, si quid agi posse de nobis putabis. De quo scribunt ad me quidem multi multa, et se sperare demonstrant: sed ego, quid sperem, non dispicio, quum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint: qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescant. Sed ista qualia sint, tu velim perspicias mihique declares. 21. Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum videbis, vivam. Diutius in hac vita esse non possum. Neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere. Scio fuisse et honestius moriendi tempus, et utilius; sed non hoc solum, multa alia praetermisi: quae si queri velim praeterita, nihil agam, nisi ut augeam dolorem tuum, indicem stultitiam meam. Illud quidem nec faciendum est, nec fieri potest, me diutius, quam aut tuum tempus aut firma spes postulabit, in tam misera tamque turpi vita commorari, ut, qui modo fratre fuerim, liberis, coniuge, copiis, genere ipso pecuniae beatissimus, dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior, quam qui umquam fuerunt amplissimi; is nunc, in hac tam afflicta perditaque fortuna, neque me neque meos lugere diutius possim.

22. Filiam[1] meam et tuam, Ciceronemque nostrum, quid ego, mi frater, tibi commendem? Quin illud maereo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas afferet, quam mihi. Sed, te incolumi, orbi non erunt. Reliqua, ita mihi salus aliqua detur potestasque in patria moriendi, ut me lacrimae non sinunt scribere. Etiam Terentiam velim tueare, mihique de omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patietur. Idibus Iuniis, Thessalonicae."

---

[1]) Ibid. § 10.

IX. 23. Ad[1] haec Quintus frater, homo mirus, qui me tam valde amat, omnia mittebat spei plena, metuens, credo, defectionem animi mei. Attici autem litterae erant variae: neque enim me desperare volebat, nec temere sperare. Attamen[2] mea spes etiam tenuior semper fuit, quam huius litterae. Quoad[3] igitur eiusmodi mihi litterae afferebantur, ut aliquid ex iis esset exspectandum, spe et cupiditate Thessalonicae retentus sum. 24. Posteaquam omnis actio eius anni confecta nobis videbatur, in Asiam ire nolui, quod et celebritas mihi odio erat, et, si fieret aliquid a novis magistratibus, abesse longe nolebam. Itaque in Epirum ad Atticum statui me conferre, non quo mea interesset loci, qui lucem omnino fugerem; sed et ad salutem libentissime ex Attici portu proficisci cupiebam, et, si ea praecisa esset, nusquam facilius hanc miserrimam vitam vel sustentaturus mihi videbar, vel, quod multo melius erat, abiecturus. 25. Eram autem cum paucis; multitudinem dimiseram. E quibus[4] T. Agusius, unus de meis domesticis et maxime necessariis, et comes meus fuit illo miserrimo tempore et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius. Clodium Philetaerum[5], quod valetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remisi. Sallustius officio vincebat omnes. Pescennius erat perbenevolus nobis: quem semper spero nostri fore observantem. Erat[6] etiam in officio tum Orpheus. Denique[7] L. Livineius Trypho, L. Reguli, familiarissimi mei, libertus, ad[8] me a Regulo missus venit. Cuius[9] ego libertum per se ipsum dilexi: summa enim eius erga me

---

[1]) ad Att. III. 18. § 2. — [2]) ad Att. III. 19. § 2. — [3]) Ibid. § 1. — [4]) Epist. ad P. Servilium (ad Fam. XIII. 71.) — [5]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 4. § 6.) — [6]) Ibid. § 4. — [7]) Epist. ad Munat. (ad Fam. XIII. 60.) — [8]) ad Att. III. 17. § 1. — [9]) Epist. ad Munat. (ad Fam. XIII. 60.)

officia exstiterunt iis nostris temporibus, quibus facillime bonam benevolentiam hominum et fidem perspicere potui.

X. 26. Quid[1] ego nunc de praetore dicam Macedoniae? Nihil dicam ampliùs, nisi eum et civem optimum semper et mihi amicum fuisse: sed eadem timuisse, quae ceteros; Cn. Plancium fuisse unum, non, qui minus timeret, sed, si acciderent ea, quae timerentur, mecum ea subire et perpeti vellet. Qui, — quum ad me L. Tubero, meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia venisset, easque insidias, quas mihi paratas ab exsulibus coniuratis audierat, ad me animo amicissimo detulisset; — in Asiam me ire (propter eius provinciae mecum et cum meo fratre necessitudinem) comparantem, non est passus: vi me, vi me, inquam, Plancius, et complexu suo retinuit, multosque menses a capite meo non discessit, abiecta quaestoria persona, comitisque sumpta. 27. Deinde[2], quum volebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neque Piso veniret nec milites, Plancius me retinebat. Homo officiosissimus me cupiebat esse secum, et sperabat posse fieri, ut mecum in Italiam decederet: quam[3] rem sibi magno honori sperabat fore. Sed iam, quum adventare milites dicerentur, faciendum nobis erat, ut ab eo discederemus.

XI. 28. Extrudebamur[4] igitur Thessalonica, non a Plancio, — nam is quidem me retinebat liberalitate[5] sua, iam aliquoties conatum ire in Epirum — verum[6] ab ipso loco, minime apposite ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. Premebar[7] enim quum luctu et desiderio meo-

---

[1]) pro Plancio c. 41. § 99. — [2]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 1. § 3.) — [3]) ad Att. III. 22. § 1. — [4]) ad Att. III. 14. § 2. — [5]) ad Att. III. 22. § 1. — [6]) ad Att. III. 14. § 2. — [7]) ad Att. III. 22. § 3.

rum omnium, tum eorum, qui mihi me cariores semper fuerunt. Ergo, quod, per Thessaliam si irem in Epirum, perdiu nihil eram auditurus, et quod mei studiosos habebam Dyrrhachinos, ad eos perrexi: ut[1] quam celerrime, quid ageretur, audirem. Dyrrhachium[2] et libera civitas erat et in me officiosa et proxima Italiae. Eramque[3] ibi tuto: civitas enim haec semper a me defensa est. Inde autem, quum inimici nostri venire dicerentur, tum in Epirum iturus eram. 29. Thessalonicam[4] autem ad me P. Valerius, homo officiosus, scripserat, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum Terentia a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esset. Hem, mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant! te tunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrimis et sordibus! idque fieri mea culpa, qui ceteros servavi, ut nos periremus! Quare[5] quum dolore conficiebar, tum etiam pudore. Pudebat enim me uxori meae optimae, suavissimis liberis virtutem et diligentiam non praestitisse. Nam mî ante oculos dies noctesque versabatur squalor eorum et maeror et infirmitas valetudinis: spes autem salutis pertenuis ostendebatur. Inimici erant multi: invidi paene omnes. 30. Quae[6] si fato facta putassem, tulissem paullo facilius: sed omnia erant mea culpa commissa, qui ab iis me amari putabam, qui invidebant, eos non sequebar, qui petebant. Iis[7] enim, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum: qui, ut me paullulum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere et perfidia abuterentur ad exitium meum.

---

[1]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 3. § 4.) — [2]) Ibid. ad Fam. XIV. 1. § 7. — [3]) Ibid. ad Fam. XIV. 3. § 4. — [4]) Ibid. ad Fam. XIV. 2. § 2. — [5]) Ibid. XIV. 3. § 2. — [6]) Ibid. XIV. 1. § 1. — [7]) ad Att. III. 13. § 2.

Quod [1] si vero nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum aut improborum, beatissimi fuissemus. Res quanta esset, intelligebam, quantaeque fuisset facilius manere domi, quam redire. 51. Ad [2] Terentiam igitur et ad nostram Tulliolam non poteram sine plurimis lacrimis scribere. Has enim videbam esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui, idque praestare debui et, nisi tam timidi fuissemus, praestitissem. Meum [3] enim fuit officium vel legatione vitare periculum, vel diligentia et copiis resistere, vel cadere fortiter, ut [4] multi saepe fortes viri in eiusmodi dolore mortem sibi ipsi conscierunt. Quod [5] utinam minus vitae cupidi fuissemus! certe nihil, aut non multum in vita mali vidissemus. Caeci [6], caeci, inquam, fuimus, in vestitu mutando, in populo rogando. Hoc [7] miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit.

XII. 32. Sed [8], ut revertar ad illud, quod mihi in hac omni est oratione propositum, omnibus malis illo anno, scelere consulum, rempubliceam esse confectam: primum illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus, — quum ego me e complexu patriae, conspectuque civium eripuissem, et metu publici periculi, non mei, furori hominis, sceleri, perfidiae, telis minisque cessissem, patriamque, quae mihi erat carissima, propter ipsius patriae caritatem reliquissem: quum meum illum casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum, non solum homines, sed tecta Urbis ac templa lugerent: quum nemo

[1]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 1. § 2. — [2]) Ibid. XIV. 2. § 1. — [3]) Ibid. XIV. 3. § 1. — [4]) pro Cluentio c. 61. § 171. — [5]) Epist. ad Terent. (ad Fam. XIV. 4. § 1.) — [6]) Att. III. 15. § 6. — [7]) Epist. ad Terent. (ad Fam. XIV. 3. § 1.) — [8]) pro Sextio c. 24. § 53.

[illegible], nemo lucem aspicere vellet: — [illegible] immo hora, atque etiam puncto temporis reique publicae pernicies; Gabinio et [illegible] regula est. 33. Pro dii immortales, custodes [illegible] huius urbis atque imperii! quaenam [illegible] publica monstra, quae scelera vidistis! Civis erat [illegible] qui rempublicam ex senatus auctoritate cum [illegible] bonis defenderat, et expulsus non alio aliquo, sed [illegible] quo crimine. Erat autem expulsus sine iudicio, vi, [illegible], ferro, servitio denique concitato: lex erat lata, [illegible] relicto foro, et sicariis servisque tradito, et ea lex, quae ut ne ferretur, senatus fuerat veste mutata.

XIII. 34. Atque[1], ut manifestum sit, non hominibus Clodium, sed virtutibus hostem semper fuisse: me expulso, Catone amandato, non[2] sedabantur discordiae, sed etiam crescebat in eos odium, a quibus nos defendi putabamur. Non silet ista labes: eas habet conciones, ea miscet ac turbat, ut se modo his, modo vendat illis: nec tamen ita, ut se quisquam, si ab isto laudatus sit, laudatiorem putet; sed ut eos, quos non amant, ab eodem gaudeant vituperari. Atque ego hunc non miror. Quid enim faceret aliud? Illos homines sapientissimos gravissimosque miror: primum, quod quemquam clarum hominem atque optime de republica meritum impurissimi voce hominis violari facile patiebantur: deinde, quod existimabant, perditi hominis profligatique maledictis posse, id quod minime conducebat ipsis, cuiusquam gloriam dignitatemque violari: postremo, quod non sentiebant id, quod tamen mihi mox suspicati esse videntur, illius furentes ac volaticos impetus in se ipsos

---

[1]) pro Domo sua c. 25. § 66. — [2]) de Harusp. resp. c. 22. § 46.

posse converti. 35. Idem [1], posteaquam respirare bonos a metu caedis, emergere auctoritatem eorum e fluctibus illius servitutis, reviviscere memoriam ac desiderium mei vidit, his se coepit subito fallacissime venditare. Tum leges Iulias contra auspicia latas, et in senatu, et in conciouibus dicere: in quibus legibus inerat curiata illa lex, quae totum eius tribunatum continebat: quam caecus amentia non videbat. Producebat fortissimum virum, M. Bibulum: quaerebat ex eo, *C. Caesare leges ferente, de caelo semperne servasset?* Semper se ille servasse dicebat. Augures interrogabat, *quae ita lata essent, rectene lata essent?* Illi vitio lata esse dicebant. Ferebant in oculis hominem quidam boni viri et de me optime meriti, sed illius, ut ego arbitror, furoris ignari.

XIV. 36. Hic [2] aliquando, serius quam ipse vellet, Cn. Pompeius, invitissimis iis, qui mentem optimi ac fortissimi viri suis consiliis fictisque terroribus a defensione meae salutis averterant, excitavit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam consuetudinem reipublicae bene gerendae. Non est passus ille vir, qui sceleratissimos cives, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras atque inauditas, qui praedonum infinitam manum, qui etiam servitia virtute victoriaque domuisset, qui, omnibus bellis terra marique compressis, imperium populi Romani orbis terrarum terminis definisset, rempublicam everti scelere paucorum; quam ipse non solum consiliis, sed etiam sanguine suo saepe defendisset; accessit ad causam publicam: restitit auctoritate sua reliquis rebus: de praeteritis questus est. Fieri quaedam ad

[1]) Ibid. c. 23. § 48. — [2]) pro Sextio c. 31. § 67.

[illegible] est. 37. Decrevit senatus [illegible] Iun., dissentiente nullo, [illegible] mea caussa numquam fides vir- [illegible] Aelius, Ligur iste, nescio qui, [illegible] meorum. Res erat et caussa nostra [illegible] oculos, et vivere videretur. Quisquis [illegible] partem in meo luctu sceleris Clodiani [illegible] venerat, quod iudicium cumque sub- [illegible]. Inveniebatur nemo, qui se suffra- [illegible] esse confiteretur. 38. Decesserat ex Asia [illegible] magno squalore, sed multo etiam maiore maes- [illegible] ad Urbem venienti tota obviam civitas cum [illegible] gemituque processerat: loquebatur liberius sena- [illegible] concurrebant equites Romani: Piso ille, gener meus, [illegible] fructum pietatis suae neque ex me neque a populo [illegible]mano ferre licuit, a propinquo suo socerum suum fla- [illegible]itabat: omnia senatus reiiciebat, nisi de me primum consules retulissent.

XV. 39. Atque[1] hanc rem par illud simile, Piso et Gabinius, vidit. Homines legum iudiciorumque metuen- tes, quum frequentissimus senatus eos, ut de me refer- rent, quotidie flagitaret, non se rem improbare dicebant, sed lege Clodii impediri. Erat hoc verum. Nam impedie- bantur, verum ea lege, quam idem iste de Macedonia Sy- riaque tulerat. Sed[2] isti, qui Clodii leges timuerunt, quem- admodum ceteras observarunt? Senatus quidem, cuius est gravissimum iudicium de iure legum, quotiescumque de me consultus est, toties eam nullam esse iudicavit. 40. Quum[3] haec non possent iam diutius sustinere, initur con-

[1]) pro Domo sua c. 26. § 70. — [2]) Ibid. c. 27. § 71. — [3]) pro Sextio c. 32. § 69.

silium de interitu Cn. Pompeii. Pompeium[1] enim, quem omnium iudicio longe principem esse civitatis Clodius videbat, diutius furori suo veniam daturum non arbitrabatur. Tum[2] vero elatus est spe, posse se, quoniam togatum domestici belli exstinctorem nefario scelere foedasset, illum etiam, illum externorum bellorum hostiumque victorem, affligere. 41. Sed deprehensa est in templo Castoris illa scelerata et paene deletrix huius imperii sica. Comprehensus[3] est servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat; et extorta est confitenti sica de manibus. Caruit foro postea Cn. Pompeius, caruit senatu, caruit publico: et[4] ille, cui nulla hostium urbs umquam fuit clausa, qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium obiecta tela semper vi et virtute perfregit, obsessus est ipse domi et[5] ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit.

XVI. 42. A.[6] d. IV. Kal. Novembr. de[7] meo reditu octo tribuni promulgarunt. Ex quo intellectum est, mihi absenti non orevisse amicos, in ea praesertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos esse putaveram, non erant; sed eos voluntatem semper eamdem, libertatem non eamdem semper habuisse. Nam ex novem tribunis, quos tunc habueram, unus me absente defluxit Ligur iste; quod cognomen sibi ex fictorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius esse, quam generis, videretur. 43. Ea[8] veterum tribunorum plebis rogatio tria capita habuit; unum de reditu meo, scriptum incaute. Nihil enim restituitur praeter civitatem et ordi-

[1]) pro Domo sua c. 25. § 66. — [2]) de Haruspic. resp. c. 23. § 49. — [3]) pro Milone c. 7. § 18. — [4]) de Haruspic. respons. c. 23. § 49. — [5]) pro Milone c. 7. § 18. — [6]) ad Att. III. 23. § 1. — [7]) pro Sextio c. 32. § 69. — [8]) ad Att. III. 23. § 2.

meliorem spem inclinatio visa ... impunitate, si frequens de meo reditu Kal... ...rus sit. Tertium referente L. Ninnio, cuius in ...tam, ut vix aut ut tusque contremuit. Inter... nec per populum in additamentum inimicorum ...quam esse observatas eo iam loci, ut erigere ... abrogarentur. Nam si id erat, qui aliquam ... : (neque enim ulla est, attigisset, quo... ...te abrogationis) sed, quum ierat, damnab... abrogatur, quo non eam abrogium de me ... quum et re vera ita sit, et quum frater me... ...umque sit; octo nostri tribuni rore. I... hoc: SI QUID IN HAC ROGATIONE SCRIlacrim... ...ES PLEBISVE SCITA —, hoc est, quod tus: ... — PROMULGARE, ABROGARE, DEROGARE, cui ... SEA NON LICEAT, NON LICUERIT; QUODVE EI, P... ... ABROGAVIT, DEROGAVIT, OBROGAVIT, OB EAM REM ... SIT EIUS HAC LEGE NIHIL ROGATUM. Atque ... tribunis plebis non laedebat. Lege enim collegae ...ebantur. Quo maior est suspicio malitiae alicuius; ... id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem con... scripserunt: ut novi tribuni plebis, si essent timi... multo magis sibi eo capite utendum putarent. Neque ... Clodio praetermissum est. Dixit enim in concione a. d. ... Nov., hoc capite designatis tribunis plebis praescriptum esse, quid liceret: tamen, in lege nulla esse eiusmodi caput, neminem fallit. Quod si opus esset, omnes in abrogando uterentur.

XVII. 43. Hoc[1] igitur anno, magistratibus novis designatis, quum omnes boni omnem spem melioris status in

[1]) pro Sextio c. 32. § 70.

eorum fidem convertissent, princeps P. Lentulus, auctoritate ac sententia sua, Pisone et Gabinio repugnantibus, caussam suscepit, tribunisque plebis octo referentibus, praestantissimam de me sententiam dixit, et se [1] et republica dignam. Quum a tribuno plebis vetaretur, quum praeclarum caput recitaretur, NE QUIS AD SENATUM REFERRET, NE QUIS DECERNERET, NE DISPUTARET, NE LOQUERETUR, NE PEDIBUS IRET, NE SCRIBENDO ADESSET; totam illam proscriptionem, non legem, putavit, qua civis optime de republica meritus nominatim, sine iudicio, una cum senatu, reipublicae esset ereptus. 46. Qui [2] quum ad gloriam suam atque ad amplissimi beneficii gratiam magis pertinere videret, caussam illam integram ad suum consulatum reservari, tamen rem talem per alios citius, quam per se tardius confici malebat. Ut [3] vero iniit magistratum, non dicam, quid prius, sed quid omnino egit aliud, nisi ut, me conservato, senatus in posterum dignitatem auctoritatemque sanciret? Dii immortales, quantum mihi beneficium dediste videmini, quod hoc anno P. Lentulus consul fuit! quo quanto maius dedissetis, si superiore anno fuisset! nec enim eguissem medicina consulari, nisi consulari vulnere concidissem.

XVIII. 47. Abiit [4] ille annus. Respirasse homines videbantur, nondum re, sed spe reipublicae recuperandae. Exierunt malis ominibus atque exsecrationibus duo vulturii paludati: quibus utinam ipsis evenissent ea, quae tum homines precabantur! neque nos provinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syria et cohortes

---

[1]) post redit. in Senatu c. 4. § 8. — [2]) pro Sextio c. 32. § 70. — [3]) post redit. in Senatu c. 4. § 8. — [4]) pro Sextio c. 33. § 71.

optimas, perdidissemus. Istos[1] enim post hominum memoriam taeterrimos atque turpissimos consules esse, et illa principia et hi recentes rerum exitus declararunt. Etenim[2] nullum vitium taetrius est, quam avaritia, praesertim in principibus rempublicam gubernantibus: habere enim quaestui rempublicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. Vidimus[3] autem, duo illa reipublicae paene fata, Gabinium et Pisonem, alterum haurire quotidie ex pacatissimis atque opulentissimis Syriae gazis innumerabile pondus auri; bellum inferre quiescentibus, ut eorum veteres illibatasque divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profunderet: alterum[4] Thracibus ac Dardanis primum pacem maxima pecunia vendidisse; deinde, ut illi pecuniam conficere possent, vexandam his Macedoniam et spoliandam tradidisse. 48. Ineunt[5] magistratum tribuni plebis; T.[6] Annius Milo, P. Sextius, C. Cestilius, M. Cispius, T. Fadius, M'. Curtius, C. Messius, Q. Fabricius: qui[7] omnes se de me promulgaturos confirmarant. Ex his autem princeps emitur ab inimicis meis is, quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant: quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur arrodere. Alter vero, non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Ollii horto, calatis Gaviis, in Calatinos Attilios insitus, subito nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit. Sed[8] mitto iam Numerium et Serranum, quisqui-

---

[1]) pro Plancio c. 35. § 86. — [2]) de Off. II. c. 22. § 77. — [3]) pro Sextio c. 43. § 93. — [4]) Ibid. § 94. — [5]) Ibid. c. 33. § 72. — [6]) post redit. in Senatu c. 8. § 19—22. — [7]) pro Sextio c. 33. § 72. — [8]) Ibid. c. 43. § 94.

lias seditionis Clodianae, qui, dum cives de civibus aliquid timebant, numquam de se pertimuerunt.

XIX. 49. Veniunt [1] Kalendae Ianuarii; qui [2] dies post obitum occasumque nostrum reipublicae primus illuxit. Kalendis [3] igitur Ian. postea quam orba respublica consulis fidem, tamquam legitimi tutoris, imploravit, P. Lentulus consul, parens, deus salutis nostrae, vitae, fortunae, memoriae, nominis, simulac de solemni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicavit. Quae [4] tum frequentia senatus! quae exspectatio populi! qui concursus legatorum ex Italia cuncta! quae virtus, actio, gravitas P. Lentuli consulis fuit! a [5] quo non est ita latum, ut mihi Romam venire liceret, sed ut vellem. Non enim voluit id, quod licebat, ferre, ut liceret; sed me ita esse in republica, magis ut arcessitus imperio populi Romani viderer, quam ad administrandam civitatem restitutus. 50. Quae [6] etiam Q. Metelli, viri clarissimi, moderatio de me! qui, quum inimicitias sibi mecum ex reipublicae dissensione susceptas esse dixisset, eas se patribus conscriptis dixit e temporibus reipublicae permissurum: et [7], quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio iudicarent, Piso et Gabinius, eam nullam esse, frater P. Clodii, quum de me ad senatum retulit, iudicavit.

XX. 51. Tum [8] princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit id, quod dignissimum republica fuit, *nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non*

---

[1]) Ibid. c. 33. § 72. — [2]) in Pison. c. 15. § 34. — [3]) ad Quirites post redit. c. 5. § 11. — [4]) pro Sextio c. 33. § 72. — [5]) pro Domo sua c. 27. § 71. — [6]) pro Sextio c. 33. § 72. — [7]) pro Domo sua c. 27. § 70. — [8]) pro Sextio c. 34. § 73.

posse quemquam de civitate tolli sine iudicio; de capite non modo ferri, sed ne iudicari quidem posse, nisi comitiis centuriatis; vim fuisse illam, flammam quassatae reipublicae perturbatorumque temporum, iure iudiciisque sublatis; magna rerum perturbatione impendente, declinasse me paullulum et, ipse reliquae tranquillitatis, praesentes fluctus tempestatemque fugisse. Quare, quum absens rempublicam non minus magnis periculis, quam quodam tempore praesens liberassem, non restitui me solum, sed etiam ornari a senatu decere. 52. Disputavit etiam multa prudenter, ita de me illum amentissimum et profligatissimum hostem puderis et pudicitiae scripsisse quae scripserat, iis verbis, rebus, sententiis, ut, etiamsi iure esset rogatum, tamen vim habere non posset. Quare *me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed revocari senatus auctoritate oportere.* Hunc, nemo erat, quin verissime sentire diceret. Nam sententia[1] verior, gravior, utilior, melior reipublicae nulla esse potuit: hominis enim scelere et furore notato, similis a republica labes in posterum demovebatur.

XXI. 53. Post[2] eum rogatus Cn. Pompeius, approbata laudataque Cottae sententia, dixit, *sese otii mei causa, ut omni populari concitatione defungerer, censere, ut ad senatus auctoritatem, populi quoque Romani beneficium erga me adiungeretur.* Neque[3] hoc Cn. Pompeius non vidit, legem esse nullam, atque esse potius flammam temporis, interdictum sceleris, vocem furoris: sed prospexit, ne qua popularis in senatum aliquando invidia redundaret, si sine populi iudicio restituti videremur. Quum[4] omnes certa-

[1]) pro Domo sua c. 26. § 68. — [2]) pro Sextio c. 34. § 74. — [3]) pro Domo sua c. 26. § 69. — [4]) pro Sextio c. 34. § 74.

tim, aliusque alio gravius atque ornatius de mea salute dixisset, fieretque sine ulla varietate discessio; surrexit Attilius ille Gavianus: nec ausus est, quum esset emptus, intercedere; noctem sibi ad deliberandum postulavit. 54. Itaque[1] eo die confecta res esset, nisi is tribunus plebis, quem ego maximis beneficiis quaestorem consul ornaveram, noctem sibi ad deliberandum postulasset: quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, sed, ut patefactum est, in augenda mercede consumpta est. Quum et cunctus ordo, et nulli cum summi viri orarent, et Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret; ille[2] se affirmare, postero die moram nullam esse facturum. Creditum est: discessum est. Illi interea deliberatori merces, longa interposita nocte, duplicata est. Consecuti dies pauci omnino Ianuario mense, per quos senatum haberi liceret: sed tamen actum nihil, nisi de me.

XXII. 55. Quum omni mora, ludificatione, calumnia, senatus auctoritas impediretur, venit tandem consilio de me agendi dies, VIII. Kalendas Febr. Princeps rogationis, vir mihi amicissimus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupavit. Quietus eo die Sextius. Actor hic, defenserque causae meae nihil progreditur, consilia expectat inimicorum meorum. Quid illi? quo se pacto gerunt? Quum fora, comitium, curiam, multa de nocte, armatis hominibus ac servis plerisque occupavissent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, vulnerant multos. 56. Venientem in forum, virum optimum et constantissimum, M. Cispium, tribunum ple-

[1]) ad Quirit. post redit. c. 5. §. 12. — [2]) pro Sextio c. 34. § 74.

bis, vi depellant: caedem in foro maximam faciunt: universique destrictis gladiis et cruentis in omnibus fori partibus, fratrem meum, virum optimum, oculis quaerebant, voce poscebant. Quorum ille telis libenter corpus obtulisset suum, nisi suam vitam ad spem mei reditus reservasset. Subiit tamen vim illam nefariam conscelératorum latronum et, quum ad fratris salutem a populo Romano deprecandam venisset, pulsus e rostris in comitio iacuit, saepe servorum et libertorum corporibus obtexit, vitamque tum suam noctis et fugae praesidio, non iuris iudiciorumque defendit.

XXIII. 57. Ex[1] eo quidem tempore Sextius, freteus sanctitate tribunatus, quum se non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba atque interfationem legibus sacratis esse armatum putaret, venit in templum Castoris, obnuntiavit consuli: quum subito manus illa Clodiana, in caede civium saepe iam victrix, exclamat, incitatur, invadit: inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis sceptorum et fustibus: a quibus hic, multis vulneribus acceptis ac debilitato corpore et contrucidato, se abiecit exanimatus, neque ulla alia re ab se mortem, nisi opinione mortis depulit. Quem quum iacentem et conclsum pluribus vulneribus extremo spiritu exsanguem et confectum viderent, defatigatione magis et errore, quam misericordia et modo, aliquando caedere destiterunt. 58. Captum[2] erat forum, aede Castoris, tamquam arce aliqua, a fugitivis occupata: sibilatur. Omnia hominum, quum egestate, tum audacia perditorum, clamore,

---

[1]) Ibid. c. 37. § 79. — [2]) Ibid. c. 39. § 85.

concursu, vi, manu gerebantur: perferebatur. Magistratus templis pellebantur, alii omnino aditu ac foro prohibebantur: nemo resistebat. Gladiatores ex praetoris comitatu comprehensi, in senatum introducti, confessi, in vincla conjecti a Milone, emissi a Serrano: mentio nulla. Forum corporibus civium Romanorum constratum caede nocturna: non modo nulla nova quaestio, sed etiam vetera judicia sublata. Tribunus plebis plus vigiliis vulneribus acceptis ianitat moribundus: alterius tribuni plebis, divini hominis, (dicam enim quod sentio, et quod mecum sentiunt omnes) divini, insigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi, gravitate, fide praediti, domus est oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano. 59. Qua[1] strage nonnulli perculsi magistratus, partim metu mortis, partim desperatione reipublicae, paullulum a mea causa recesserunt: reliqui fuerunt, quos neque terror, neque vis, nec spes, nec metus, nec promissa, nec minae, nec tela, nec faces a sententia auctoritate, a populi Romani dignitate, a mea salute depulerent. In[2] quibus consules fuerunt, qui superiorum consulum ruinas virtute sua fulserunt, summa tribunorum plebis praetorumque fide et diligentia sublevati.

XXIV. 60. Quid ego de praestantissimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali civi satis digne umquam loquetur? Quem[3] enim umquam virum tam immortali virtute vidimus? qui, nullo praemio proposito, praeter hoc, quod iam contritum et contemptum putatur, judicium honorum, omnia pericula, summos labores, gravissimas contentiones inimicitiasque suscepit? qui mihi unus ex omnibus civibus

[1]) post redit. in Senatu c. 3. § 7. — [2]) Ibid. c. 8. § 18. — [3]) pro Sestio c. 40. § 86.

videtur te docuisse, non verbis, quid oporteret a praestantissimis viris in republica fieri, et quid necesse esset: oportere hominum audacium, eversorum reipublicae, scelleri legibus et iudiciis resistere. Si leges non valerent, iudicia non essent, si respublica vi consensuque audacium, armis oppressa teneretur, praesidio et copiis defendi vitam et libertatem necesse esse. Hoc sentire, prudentiae est: facere, fortitudinis: et sentire vero et facere, perfectae cumulataeque virtutis. §1. Adiit[1] igitur T. Annius ad caussam reipublicae sic, ut civem patriae recuperare vellet ereptum. Simplex causa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordiae. Collegas adiutores habebat: consulis alterius summum studium, alterius animus paene placatus. De praetoribus unus alienus: senatus incredibilis voluntas, equitum Romanorum animi ad caussam excitati, erecta Italia. Duo soli erant empti ad impediendum: qui si homines despecti et contempti tantam rem sustinere non potuissent: se caussam, quam susceperat, nullo labore peracturum videbat. Agebat auctoritate, agebat consilio, agebat per summum ordinem, agebat exemplo bonorum et fortium civium: quid respublica, quid se dignum esset, quis ipse esset, quid sperare, quid maioribus suis reddere deberet, diligentissime cogitabat.

XXV. §2. Huic gravitati hominis, videbat ille gladiator, se, si moribus ageret, parem esse non posse: ad ferrum, ad faces, ad quotidianam caedem, incendia, rapinas, se cum exercitu suo contulit: domum oppugnare, itineribus occurrere, vi lacessere et terrere coepit. Non movit hominem summa gravitate summaque constantia: sed

[1]) Ibid. § 87.

quamquam dolor animi, innata libertas, prompta excellensque virtus, fortissimum virum hortabatur, vi vim obtatam, praesertim saepius, ut frangeret et refutaret; tanta moderatio fuit hominis, tantum consilium, ut contineret dolorem, neque eadem se re ulciscereturque, qua esset lacessitus, sed illum, tot iam in funeribus reipublicae exsultantem ac tripudiantem, legum, si posset, laqueis constringeret. 63. Accedit[1] etiam, quod exspectatione omnium fortissimo et clarissimo viro, T. Annio, devota et constituta ista hostia esse videbatur. Etenim, ut P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Karthaginis, qui illam a multis imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam, paene captam aliquando, quasi fatali eventu, solus evertit; sic T. Annius ad illam pestem comprimendam, exstinguendam, funditus delendam natus esse videbatur, et quasi divino munere donatus reipublicae. Solus ille cognovit, quemadmodum armatum civem, qui lapidibus, qui ferro alios fugaret, alios domi contineret, qui Urbem totam, qui curiam, qui forum, qui templa omnia caede incendiisque terreret, non modo vincere, verum etiam vincire oporteret. 64. Hic[2] ergo, quum tribunus plebis, republica oppressa, senatui se dedisset, quem exstinctum acceperat, equitibus Romanis, quorum vires erant debiles, bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant: plebem[3] et infimam multitudinem, quae P. Clodio duce, fortunis omnium imminebat, eam, quo tutior esset vita civium, non modo virtute flexit, sed etiam tribus suis patrimoniis delinivit: nam[4] gladiatoribus em-

---

[1]) de Harusp. resp. c. 3. § 6. — [2]) pro Milone c. 34. § 94. — [3]) Ibid. c. 35. § 95. — [4]) de Offic. II. c. 17. § 58.

ptis reipublicae caussa, quae salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit.

XXVI. 65. Iam[1] ceterorum officia studiaque recordor: quam cupidus mei C. Cestilius, quam studiosus senatus, quam non varius fuerit in caussa. Quid M. Cispius? cui ego ipsi, parenti fratrique eius sentio quantum debeam: qui, quum a me voluntas eorum in private iudicio esset offensa, publici mei beneficii memoria privatam offensionem oblitteraverunt. Iam T. Fadius, qui mihi quaestor fuit, M'. Curtius, cuius ego patri quaestor fui, studio, amore, animo, huic necessitudini non defuerunt. Multa de me C. Messius, et amicitiae et reipublicae caussa, dixit: legem speciatim initio de salute mea promulgavit. Q. Fabricius, si, quae de me agere conatus est, ea contra vim et ferrum perficere potuisset, mense Ianuario nostrum statum recuperassemus: quem ad salutem meam voluntas impulit, vis retardavit, auctoritas senatus revocavit. 66. Iam vero praetores quo animo in me fuerint, inde existimari potuit, quod L. Caecilius privatim me suis omnibus copiis studuerit sustentare, publice promulgarit de mea salute cum collegis paene omnibus, direptoribus autem meorum bonorum in ius adeundi potestatem non fecerit. M. autem Calidius statim designatus sententia sua, quam esset cara sibi mea salus, declaravit. Omnia officia C. Septimii, Q. Valerii, P. Crassi, Sex. Quintilii, C. Cornuti, summa et in me, et in rempublicam constiterunt. Quae quum libenter commemoro, tum non invitus nonnullorum in me nefarie commissa praetereo.

---

[1]) post redit. in Senatu c. 8. § 21.

XXVII. 67. Habitae[1] sunt multae de me a gladiatore sceleratissimo conciones, ad quas nemo adibat incorruptus, nemo integer: nemo illum foedum vultum aspicere, nemo furialem vocem bonus audire poterat. Erant enim illae conciones perditorum hominum necessario turbulentae. Ad[2] meam vero salutem senatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rempublicam salvam esse vellent, consulis voce et litteris implorandum putavit. Mei capitis servandi caussa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenit. De mea salute, P. Lentuli, praestantissimi viri atque optimi consulis, Cn. Pompeii, clarissimi atque invictissimi civis, ceterorumque principum, celeberrimae et gratissimae conciones fuerunt. 68. Atqui[3] erat id temporis clarissimus et fortissimus consul, inimicus Clodio, ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor publicae voluntatis, patronus publici consensus, restitutor salutis meae: septem praetores, octo tribuni plebis, illius adversarii, defensores mei: Cn. Pompeius auctor et dux mei reditus, illius hostis; cuius sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam et ornatissimam secutus est; qui populum Romanum cohortatus est; qui, quum de me decretum Capuae fecit, ipse cunctae Italiae cupienti, et eius fidem imploranti, signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent: omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei. 69. Quid[4] iam magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam quod, Lentulo petente, decretum est, ut cuncti ex omni Italia, qui rempublicam salvam vellent, ad me unum restituendum et defendendum venirent? Quid[5] ego gloriosius meis posteris potui relinquere, quam, hoc sena-

[1]) pro Sextio c. 50. § 106. — [2]) in Pison. c. 15. § 34. — [3]) pro Milone c. 15. § 39. — [4]) post redit. in Sen. c. 9. § 24. — [5]) Ibid. c. 10. § 25.

tum iudicasse, qui civis me non defendisset, eum rempublicam salvam noluisse? Itaque tantum senatus auctoritas, tantum eximia consulis dignitas valuit, ut dedecus et flagitium se committere putaret, si quis non veniret.

XXVIII. 70. Idemque consul, quum illa incredibilis multitudo Romam, et paene Italia ipsa venisset, senatum frequentissimum in Capitolium convocavit. Quo tempore quantam vim naturae bonitas haberet et vera nobilitas, intelligi potuit. Nam Q. Metellus, et inimicus et frater inimici, perspecta reliquorum voluntate, omnia privata odia deposuit. Itaque [1] hic fuit non modo salutis defensor, qui ante hoc unum beneficium fuerat inimicus, verum etiam auctor dignitatis meae. 71. Quo quidem die, quum CCCCXVII ex senatu essent, magistratus autem omnes adessent, dissensit unus, is, qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Atque illo die, quum rempublicam meis consiliis conservatam gravissimis verbis et plurimis iudicatum esset, idem consul curavit, ut eadem a principibus civitatis in concione postero die dicerentur: quum quidem ipse egit ornatissime caussam meam, perfecitque, astante atque audiente Italia tota, ut nemo cuiusquam conducti aut perditi vocem acerbam atque inimicam bonis posset audire.

XXIX. 72. Habuit [2] igitur postridie de eodem me P. Lentulus consul concionem. Concursus est populi Romani factus: omnes ordines, tota in illa concione Italia constitit. Egit caussam summa cum gravitate copiaque dicendi, tanto silentio, tanta approbatione omnium, nihil ut umquam

[1]) Ibid. § 26. — [2]) pro Sestio c. 50. § 107.

videretur tam populare ad populi Romani aures accidisse. 73. Productus est ab eo Cn. Pompeius, qui non solum auctor meae salutis, sed etiam supplex populo Romano exstitit. Huius oratio, et pergravis et grata concioni, fuit [1], quemadmodum accepi, tripartita. Primum docuit, meis consiliis rempublicam esse servatam, caussamque meam cum communi salute coniunxit, hortatusque est, ut omnes auctoritatem senatus, statum civitatis, fortunas civis bene meriti defenderent: tum in perorando posuit, populum Romanum rogari a senatu, rogari ab equitibus Romanis, rogari ab Italia cuncta: denique ipse ad extremum pro mea salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit. 74. Eodem [2] tempore audivit ille conventus eodem ex loco summos viros, ornatissimos atque amplissimos homines, principes civitatis, omnes consulares, omnes praetorios eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum rempublicam conservatam esse constaret. Itaque quum P. Servilius, gravissimus vir et ornatissimus civis, dixisset, opera mea rempublicam incolumem magistratibus deinceps traditam, dixerunt in eamdem sententiam ceteri. Audivit eo quoque tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium, L. Gellii: qui, quia suam classem attentatam magno cum suo periculo paene sensit, dixit in concione: *si ego consul, quum fui, non fuissem, rempublicam funditus interituram fuisse.* 75. Quo [3] silentio sunt auditi de me ceteri principes civitatis? quos idcirco non appello hoc loco, ne mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata; si satis de omnibus, infinita esse videatur. Quamquam [4] mihi maiori curae est, quemadmo-

---

[1]) ad Quirit. post reditum c. 7. § 16. — [2]) Ibid. § 17. — [3]) pro Sextio c. 50. § 108. — [4]) ad Quirit. post redit. c. 9. § 22.

dum iis, qui de me sunt optime meriti, gratiam referam, quam, quemadmodum inimicorum iniurias crudelitatemque persequar. Etenim ulciscendae iniuriae facilior ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos minus est negotii, quam bonis exaequari: tum etiam ne tam necessarium quidem est, male meritis, quam optime meritis referre, quod debeas.

XXX. 76. De[1] me senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore et eius sententiae principe, ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur: iisque verbis ea de me senatus auctoritas declarata est, ut nemini sit triumphus honorificentius, quam mihi salus restitutioque perscripta. De me quum omnes magistratus promulgassent, praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emptos tribunos plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia: quem mecum eadem respublica, quae in tribunatu eius disiunxerat, in consulatu virtute optimi ac iustissimi viri sapientiaque coniunxit. Quo[2] referente optimo et clarissimo viro consule, in monumento Marii de meo reditu magnificentissimum senatusconsultum factum est, quo[3] mea salus omnibus est gentibus commendata, quum[4] in templo Honoris-Virtutis honos haberetur virtuti, Caiique Marii, conservatoris huius imperii, monumentum municipi eius et reipublicae defensori sedem ad salutem praeberet; idque[5] frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobatum est. 77. Nam hoc[6] quidem tempore, quid populus

[1]) in Pison. c. 15. § 35. — [2]) de Divinat. I. c. 28. § 59. — [3]) pro Plancio c. 32. § 78. — [4]) pro Sextio c. 54. § 116. — [5]) de Divinat. I. c. 28. § 59. — [6]) pro Sextio c. 55. § 117.

Romanus sentiret, ostendit in ludis, quos faciebat Lentulus. Et utroque in genere declaratum est. Primum, nondum audito senatusconsulto, rumori ipsi atque absenti senatui plausus est ab universis datus, deinde senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus: quum vero ipse, qui ludos faciebat, consul assedit, stantes et manibus passis gratias agentes et lacrimantes gaudio suam erga me benevolentiam ac misericordiam declararunt. At, quum ille furibundus incitata illa sua vecordi mente venisset, vix se populus Romanus tenuit; vix homines odium suum a corpore eius impuro atque infando represserunt. Voces quidem et palmarum intentus et maledictorum clamorem omnes profuderunt. 78. Et [1], quoniam facta mentio est ludorum, ne illud quidem praetermittam, in magna varietate sententiarum, numquam ullum fuisse locum, in quo aliquid a poeta dictum cadere in tempus nostrum videretur, quod aut populum universum fugeret, aut non exprimeret ipse actor. Quae [2] tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in caussa hominis non popularis, equidem audiebam: existimare facilius possunt, qui adfuerunt.

XXXI. 79. Et, quoniam me huc provexit oratio, histrio casum meum toties collacrimavit, quum ita dolenter ageret caussam meam, ut vox eius illa praeclara lacrimis impediretur. Neque poetae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eaque populus Romanus non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobavit. Utrum igitur haec Aesopum potius pro me aut Accium dicere oportuit, si populus Romanus liber esset, an principes

[1]) Ibid. § 118. — [2]) Ibid. c. 57. § 122.

civitatis? Nominatim sum appellatus in Bruto,

Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat.

Millies revocatum est. Parumne videbatur populus Romanus iudicare, id a me et a senatu esse constitutum, quod perditi cives sublatum per nos criminabantur? 80. Maxime vero populi Romani iudicium universi consessu gladiatorum declaratum est. Erat enim munus Scipionis dignum et eo ipso et illo Q. Metello, cui dabatur. Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur. In hunc consessum P. Sextius, tribunus plebis, quum ageret nihil aliud in eo magistratu, nisi meam caussam, venit, et se populo dedit, non plausus cupiditate, sed ut ipsi inimici nostri voluntatem universi populi viderent. Venit autem ad columnam Maeniam. Tantus est ex omnibus spectaculis usque a Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, ut numquam maior consensio aut apertior populi Romani universi fuisse ulla in caussa diceretur.

XXXII. 81. Hunc[1] ego reditum repudiarem, qui ita florens fuit, ut verear, ne quis me studio gloriae putet idcirco exisse, ut ita redirem? Quem enim umquam senatus civem, nisi me, nationibus exteris commendavit? cuius umquam propter salutem, nisi meam, senatus publice sociis populi Romani gratias egit? De me uno patres conscripti decreverunt, ut, qui provincias cum imperio obtinerent, qui quaestores legatique essent, salutem et vitam meam custodirent. In una mea caussa post Romam conditam factum est, ut litteris consularibus ex senatusconsulto, cuncta ex Italia, omnes,

1) Ibid. c. 60. § 128.

qui rempublicam salvam vellent, convocarentur. Quod numquam senatus in universae reipublicae periculo decrevit, id in unius mea salute conservanda decernendum putavit. 82. Proximus[1] est huic dignitati ordo equester. Omnes omnium publicanorum societates de meo consulatu ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima decreta fecerunt. Scribae, qui nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rempublicam beneficiis suum iudicium decretumque esse voluerunt. Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani, (quoniam plebei quoque urbanae maiores nostri conventicula et quasi consilia quaedam esse voluerunt) qui non amplissime, non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint. 83. Quid ego illa divina atque immortalia municipiorum et coloniarum et totius Italiae decreta commemorem, quibus tamquam gradibus mihi videor in caelum ascendisse, non solum in patriam revertisse? Omitto civitatum, nationum, provinciarum, regum, orbis denique terrarum de meis in omnes mortales meritis unum iudicium unumque consensum: quis[2] est Italiae locus, in quo non fixum sit in publicis monumentis studium salutis meae, testimonium dignitatis?

XXXIII. 84. Iam quid ego illa de me divina senatusconsulta commemorem? vel — quod in templo Iovis Optimi Maximi factum est, quum vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notavit, de scripto sententia dicta, mihi uni testimonium patriae conservatae dedit? cuius sententiam ita frequentissimus senatus secutus est, ut unus

[1]) pro Domo sua c. 28. § 74. — [2]) pro Sextio c. 60. § 128.

dissentiret hostis, idque ipsum tabulis publicis mandaretur, ad memoriam posteri temporis sempiternam: 85. vel — quod est postridie decretum in curia, populi ipsius Romani et eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de caelo servaret: ne quis moram ullam afferret: si quis aliter fecisset, eum plane eversorem reipublicae fore, idque senatum gravissime laturum: et ut statim de eius facto referretur? Qua gravitate sua quum frequens senatus nonnullorum scelus audaciamque tardasset, tamen illud addidit, si diebus quinque, quibus agi de me potuisset, non esset actum, redirem in patriam, dignitate omni recuperata.

XXXIV. 86. Decrevit[1] eodem tempore senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis meae caussa convenerant, agerentur gratiae, atque ut iidem, ad res redeuntes ut venirent, rogarentur. Haec erat studiorum in mea salute contentio: ut ii, qui a senatu de me rogabantur, iidem senatui pro me supplicarent. Atque ita in his rebus unus est solus inventus, qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palam dissideret, ut etiam Q. Metellus consul, qui mihi vel maxime ex magnis contentionibus reipublicae fuisset inimicus, de mea salute retulerit. Qui excitatus summa quum auctoritate P. Servilii, tum quadam gravitate dicendi, quum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos, et ad illius generis, quod sibi cum eo commune esset, dignitatem, propinqui sui mentem a Clodianis latrociniis reflexisset; quumque eum ad domestici exempli memoriam et ad Numidici illius Metelli casum,

[1]) Ibid c. 62. § 129.

vel gloriosum vel gravem convertisset; collacrimavit vir egregius ac vere Metellus, totumque se P. Servilio dicenti etiam tum tradidit, nec illam divinam gravitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere, et mecum absens beneficio suo rediit in gratiam. 87. Quid[1] denique de illo die dicam, quem P. Lentulus mihi fratrique meo, liberisque nostris natalem constituit, non modo ad nostram, verum etiam ad sempiterni memoriam temporis? quo die nos comitiis centuriatis, quae maxime maiores comitia iusta dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam, ut eaedem centuriae, quae me consulem fecerant, consulatum meum comprobarent. Quo die quis civis fuit, qui fas esse putaret, quacumque aut aetate aut valetudine esset, non se de salute mea sententiam ferre? Quando tanta frequentia in campo, tantus splendor Italiae totius ordinumque omnium, quando illa dignitate rogatores, diribitores custodesque visi sunt? Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino non reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives, sed equis insignibus et curru aurato reportati.

XXXV. 88. Itaque[2] pulsus ego civitate non sum, quae nulla erat: arcessitus in civitatem sum, quum esset in republica consul, qui tum nullus fuerat; esset senatus, qui tum occiderat; esset consensus populi liberi; esset iuris et aequitatis, quae vincula sunt civitatis, repetita memoria. Non[3] enim erat illa tum civitas, quum leges in ea nihil valebant; quum iudicia iacebant; quum mos patrius occiderat; quum, ferro pulsis magistratibus, senatus nomen in

---

[1]) post redit. in Senatu c. 11. § 27. — [2]) Paradox. IV. c. 1. §. 28. — [3]). Ibid. § 27.

republica inane erat. Praedonum ille concursus et, Clodio duce, latrocinium in foro constitutum et reliquiae coniurationis, a Catilinae furiis ad Clodii scelus furoremque conversae, non civitas erat. An [1] tum erant consules, quum, quacumque de re verbum facere coeperant aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat ostendebatque, nihil esse eos acturos, nisi prius de me retulissent? An [2], quum proficiscebantur paludati in provincias vel emptas, vel ereptas, consules eos quisquam putavit? 89. Ac [3] vide, Clodi, quam ista tui latrocinii tela contempserim. Iactam et immissam a te nefariam in me iniuriam semper duxi: pervenisse ad me numquam putavi: nisi forte, quum parietes disturbabas, aut quum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est neque cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus respublica te invitissimo stat; si huius aeterni beneficii immortalem memoriam delevisses; multo etiam magis si illam mentem, unde haec consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer iniuriam. Sed si haec nec fecisti, nec facere potuisti: reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitum calamitosum. 90. Ergo ego semper civis; et tum maxime, quum meam salutem senatus exteris nationibus, ut civis optimi, commendabat; tu, ne umquam quidem: nisi forte idem esse hostis et civis potest. An tu civem ab hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis? Caedem in foro fecisti: armatis latronibus templa tenuisti: privatorum domos, aedes sacras incendisti. Cur hostis Spartacus, si tu civis? Potes autem

---

[1]) in Pisonem c. 13. § 29. — [2]) Ibid. § 31. — [3]) Parad. IV. c. 1. § 28.

tu esse civis, propter quem aliquando civitas non fuit? et me tuo nomine appellas, quum omnes meo discessu exsulasse rempublicam putent? Numquamne, homo amentissime, te circumspicies? numquam, nec quid facias, considerabis, nec quid loquare? Nescis, exsilium scelerum esse poenam? meum illud iter ob praeclarissimas res a me gestas esse susceptum? 91. Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiam si solum non mutarunt. An quum omnes leges te exsulem esse iubeant, non eris tu exsul? Exsul non appelletur is, qui cum telo fuerit? ante senatum tua sica deprehensa est: qui hominem occiderit? tu plurimos occidisti: qui incendium fecerit? aedes Nymopharum manu tua deflagravit: qui templa occupaverit? in foro castra posuisti. 92. Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exsul? Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonae Deae accessisses, exsulares. At te id fecisse, etiam gloriari soles. Quomodo igitur, tot legibus in exsilium eiectus, nomen exsulis non perhorrescis? »Romae sum", inquis. Et quidem in operto fuisti. Non igitur, ubi quisque erit, eius loci ius tenebit, si ibi eum legibus esse non oportebit.

XXXVI. 93. Quod[1] si quis existimat, me aut voluntate esse mutata aut debilitata virtute aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis et iniuria et sceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit: quod viro forti adimi non potest, id mansit et permanebit. Vidi ego fortissimum virum, municipem meum, C. Marium, — quoniam nobis, quasi aliqua fatali

[1]) ad Quirites post red. c. 8. § 19.

necessitate, non solum cum his, qui haec delere voluissent, sed etiam cum fortuna belligerandum fuit: — eum tamen vidi, quum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato. 94. Quem egomet dicere audivi, tum se fuisse miserum, quum careret patria, quam obsidione liberavisset; quum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret; quum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis; quum, in paludibus demersus, concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conservasset; quum, parva navicula traiectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset: recuperata vero sua dignitate, se non commissurum, ut, quum ea, quae amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam numquam perdidisset. 95. Sed hoc inter me atque illum interest, quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis: ego, qua consuevi, utar pietate: quoniam illi arti in bello ac seditione locus est, huic in pace atque otio. Quamquam ille animo irato nihil nisi de inimicis ulciscendis agebat: ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi respublica permittet, cogitabo.

LIBER SEXTUS.

I. 1. Reditus[1] vero meus qui fuerit, quis ignorat? de[2] quo et populus Romanus non nunc primum audiet, et in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est. Sed[3], etsi omnia aut scripta esse ab aliis arbitror aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea scribam brevi, quae multos puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere, ut[4] videant me in pristinam meam dignitatem, brevi tempore doloris interiecto, reipublicae voce esse revocatum.

2. Pridie[5] Nonas Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisium veni Nonis Sext. quo[6] mihi advenienti tamquam totius Italiae atque ipsius patriae dexteram porrexerunt Brundisini. Ibi[7] mihi Tulliola mea fuit praesto — quam[8] ex gravissimo tum primum desiderio luctuque conspexi — natali[9] suo ipso die, qui casu idem natalis erat Brundisinae coloniae: quae

---

[1]) pro Sextio c. 63. § 131. — [2]) in Verrem Act. II. L. IV. c. 28. § 64. — [3]) ad Att. IV. 1. § 4. — [4]) pro Sextio c. 23. § 52. — [5]) ad Att. IV. 1. § 4. — [6]) pro Sextio c. 63. § 131. — [7]) ad Att. IV. 1. § 4. — [8]) pro Sextio c. 63. § 131. — [9]) ad Att. IV. 1. § 4.

[illegible] summa Brundisinorum [illegible] Quumque[1] me domus eadem [illegible] virorum, Laenii Flacci et [illegible] laetissima accepisset, quae proximo [illegible] et suo praesidio periculoque defen- [illegible] vi. Id. Sext. cognovi, quum Brundisii [illegible] fratris, mirifico studio omnium aeta- [illegible], incredibili concursu Italiae, legem co- [illegible] esse perlatam.

3. Inde, a Brundisinis honestissimis ornatus, iter ita [illegible] undique ad me cum gratulatione legati convene- [illegible] Ac[2] mens quidem is fuit reditus, ut a Brundisio [illegible] Romam agmen perpetuum totius Italiae viderem. Neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum. Quid dicam adventus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid concursus ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis? quid eos dies, qui, quasi deorum immortalium festi atque solemnes, sunt apud omnes adventu meo redituque celebrati? 4. Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, quum senatum egressum vidi populumque Romanum universum, quum mihi ipsa Roma, prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum procedere visa est. Quae me ita accepit, ut non modo omnium generum, aetatum, ordinum omnes viri ac mulieres omnis fortunae ac loci, sed etiam moenia ipsa viderentur et tecta Urbis ac templa laetari.

---

[1]) pro Sextio c. 63. § 131. — [2]) ad Att. IV. 1. § 4. — [3]) in Pison. c. 22. § 51.

III. 5. Ad[1] Urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, praeter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dissimulare aut negare. Quum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant: a qua plausu maximo quum esset mihi gratulatio significata, similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit: in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. 6. Domum[2] reditus erat eiusmodi, ut summa in laetitia illud dolerem, civitatem tam gratam tam miseram atque oppressam fuisse. Mecum[3] enim leges, mecum quaestiones, mecum iura magistratuum, mecum senatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas, mecum deorum et hominum sanctitates omnes et religiones abfuerunt: quum[4] nihil valeret senatus, omnis esset impunitas, nulla iudicia, vis et ferrum in foro versarentur; quum privati se parietum praesidio, non legum tuerentur; tribuni plebis vulnerarentur, ad magistratuum domos cum ferro et facibus iretur, consulis fasces frangerentur, deorum immortalium templa incenderentur.

IV. 7. Postridie[5] in senatu, qui fuit dies Non. Septemb. senatui gratias egimus; quae[6] oratio propter rei magnitudinem dicta de scripto est. In qua quum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri, statuissemque eos solum nominare, qui caussae nostrae duces et quasi signiferi fuissent; in his et Plancio gratias

[1]) ad Att. IV. 1. § 5. — [2]) pro Sextio c. 63. § 131. — [3]) post redit. in Senatu c. 14. § 34. — [4]) ad Quirit. post redit. c. 6. § 14. — [5]) ad Att. IV. 1. § 5. — [6]) pro Plancio c. 30. § 74.

egi, qui[1] custos mei capitis fuisset, qui, omnibus provincialibus ornamentis commodisque depositis, totam suam quaesturam in me sustentando et conservando collocasset; et[2] de privatis uni, Pompeio, qui pro salute mea municipia coloniasque adisset, populum Romanum supplex obsecrasset, sententiam dixisset eam, quam senatus secutus, mihi dignitatem meam reddidit. 8. Populo[3] autem in referenda gratia hoc repromisi, mihi neque in consiliis de republica capiendis diligentiam, neque in periculis a republica propulsandis animum, neque in sententia simpliciter referenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro republica laedendis libertatem, nec in perferendo labore industriam, nec in civium commodis augendis gratam animi benevolentiam defuturam. In[4] qua extrema oratione hoc scriptum exstat: *Atque*[5] *haec cura, Quirites, erit infixa animo meo sempiterna, ut quum vobis, qui apud me deorum immortalium vim et numen tenetis, tum posteris vestris cunctisque gentibus dignissimus ea civitate videar, quae suam dignitatem non posse tenere se, nisi me recuperasset, cunctis suffragiis iudicavit.*

Habes[6] reditum meum. Nunc[7] cognosce, postea quae sint acta.

V. 9. Eo[8] biduo quum esset annonae summa caritas, homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrebant impulsu Clodii, et mea opera frumenti inopiam esse clamabant. Me[9] frumentum flagitabant. Quasi vero ego

---

[1]) post redit. in Senatu c. 14. § 35. — [2]) Ibid. c. 12. § 31. — [3]) ad Quirit. post redit. c. 10. § 24. — [4]) ad Att. XIII. 45. § 1. — [5]) ad Quirit. post redit. c. 10. § 25. — [6]) in Pison. c. 22. §. 53. — [7]) ad Q. fratrem II. 3. § 1. — [8]) ad Att. IV. 1. § 6. — [9]) pro Domo sua c. 6. § 14.

aut rei frumentariae praefuissem, aut compressum aliquod frumentum tenerem, aut in isto genere omnino quidquam aut curatione aut potestate valuissem. Sed homo ad caedem imminens meum nomen operis ediderat, imperitis iniecerat. Quum [1] per eos dies senatus de annona haberetur, et ad eius procurationem sermone non solum plebis, verum etiam bonorum Pompeius vocaretur, idque ipse cuperet, multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet; feci, et accurate sententiam dixi, quum abessent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, praeter Messallam et Afranium. 10. Multis [2] enim sententiis iam dictis, rogatus, sententiam dixi reipublicae saluberrimam, mihi necessariam. Delegavi amico locupletiori, non quo illi, ita de me merito, onus illud imponerem (succubuissem enim potius ipse), sed quia videbam id, quod omnes: quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, consilio, virtute, auctoritate, felicitate denique sua facillime perfecturum. Itaque [3] factum est senatusconsultum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet lexque ferretur. Quo senatusconsulto recitato, quum continuo — more hoc insulso et novo — plausum meo nomine recitando dedissent; habui concionem: omnes magistratus praesentes, praeter unum praetorem et duos tribunos plebis, dederunt. 11. Postridie senatus frequens et omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille legatos quindecim quum postularet, me principem nominavit et ad omnia me alterum se fore dixit. Legem consules conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae to-

[1]) ad Att. IV. 1. § 6. — [2]) pro Domo sua c. 7. § 16. — [3]) ad Att. IV. 1. § 6.

to orbe terrarum daretur. Ego[1] me autem Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum, aut, si comitia censorum proximi consules haberent, petere, aut votivam legationem suscipere prope omnium fanorum, lucorum. Sic enim nostrae rationes postulabant. Sed volui meam potestatem esse vel petendi, vel ineunte aestate exeundi; et, interea me esse in oculis civium, de me optime meritorum, non alienum putavi.

VI. 12. Secuta est[2] summa contentio de domo nostra. Non[3] me bonorum direptio, non tectorum excisio, non depopulatio praediorum, non praeda consulum ex meis fortunis crudelissime capta permoverat: — caduca semper et mobilia haec esse duxi, non virtutis atque ingenii, sed fortunae et temporum munera; quorum ego non tam facultatem umquam et copiam expetendam putavi, quam et in utendo rationem et in carendo patientiam: — sed domo per scelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim sceleratius etiam aedificata, quam eversa, carere sine maxima ignominia reipublicae, meo dedecore ac dolore non poteram. An[4] ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, ut, cuius urbis servatorem me esse senatus omnium assensu toties iudicarit, in ea possim intueri domum meam eversam, non ab inimico meo, sed ab hoste communi, et ab eodem exstructam et positam in oculis civitatis, ne umquam conquiescere possit fletus bonorum? 13. Sp. Maelii, regnum appetentis, domus est complanata. Ecquid aliud? aequum acci-

---

[1]) ad Att. IV. 2. § 6. — [2]) Ibid. § 2. — [3]) pro Domo sua c. 58. § 146. — [4]) Ibid. c. 38. § 101.

disse Maelio populus Romanus iudicavit nomine ipso Aequimaelii: stultitiae poena comprobata est. Sp. Cassii domus eō eamdem caussam eversa: atque in eodem loco aedes posita Telluris. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quae publicata est et eversa, ut illius facinus memoria et nomine loci notaretur. M. Manlius, quum ab ascensu Capitolii Gallorum impetum repulisset, non fuit contentus beneficii sui gloria; regnum appetisse est iudicatus: ergo eius domus eversa duobus lucis convestita est. Quam igitur maiores nostri sceleratis ac nefariis civibus maximam poenam constitui posse arbitrati sunt; eamdem ego subire ac sustinere debebam, ut apud posteros nostros non exstinctor coniurationis et sceleris, sed auctor et dux fuisse viderer? 14. Hunc vero labem turpitudinis et inconstantiae posset populi Romani dignitas sustinere, vivo senatu; pontificibus principibus publici consilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci ad memoriam poenae publice constitutae coniuncta esse videretur! M. Flaccus, quia cum C. Gracchō contra salutem reipublicae fecerat, et senatus sententia est interfectus, et eius domus eversa et publicata est: in qua porticum post aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. Ista autem fax ac furia patriae, quum Urbem Pisone et Gabinio ducibus cepisset, occupasset, teneret, uno eodemque tempore et clarissimi viri mortui monumenta delerat, et meam domum cum M. Flacci domo coniunxerat: ut, qua poena senatus afficerat eversorem civitatis, eadem iste, oppresso senatu, afficeret eum, quem patres conscripti custodem patriae iudicassent.

VII. 15. Senatus [1], non quod dubia res esset, sed ut

[1]) de Haruspic. resp. c. 6. § 12.

huic furiae, si diutius in hac urbe, quam delere cuperet, maneret, vox interdiceretur, M. Bibuli [1], fortissimi viri, sententiam secutus, decrevit [2], ut de mearum aedium religione ad pontificum collegium referretur; non [3] quod dubitaret, quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil iure esset actum, sed ne quis oriretur aliquando in tanta ubertate improborum, qui in meis aedibus aliquam religionem residere diceret. 16. Sic [4] meus reditus pontificum iudicio continebatur. Nam si me in meis aedibus collocabant, id quod in omni mea causa semper studiis, consiliis, auctoritatibus sententiisque fecerant, videbam me plane ac sentiebam restitutum: sin mea domus non modo mihi non reddebatur, sed etiam monumentum praebebat inimico doloris mei, sceleris sui, publicae calamitatis, quis esset, qui hunc reditum potius, quam poenam sempiternam putaret? In conspectu praeterea totius Urbis domus erat mea: in qua si manebat illud, non monumentum Urbis, sed sepulcrum, inimico nomine inscriptum; demigrandum potius aliquo fuisset, quam habitandum in ea urbe, in qua tropaea et de me et de republica viderem constituta.

VIII. 17. Diximus [5] apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis, et, si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si numquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuventuti nostrae deberi non potest. Intelligo [6] autem me plura extra caussam dixisse, quam aut opinio tulerit, aut voluntas mea: sed quum me

[1]) pro Domo sua c. 26. § 69. — [2]) de Haruspic. resp. c. 6. § 12. — [3]) pro Domo sua c. 26. § 69. — [4]) Ibid. c. 37. § 100. — [5]) ad Att. IV. 2. § 2. — [6]) pro Domo sua c. 12. § 32.

purgatum pontificibus esse cuperem, tum etiam illorum in me attente audiendo benignitas provexit orationem meam. 18. Sed hoc compensavi brevitate eius orationis, quae pertinebat ad ipsam cognitionem eorum: quae quum esset in ius religionis, et in ius reipublicae distributa, religionis partem, quae multo erat verbosior, praetermittens, de iure reipublicae dixi. Quid est enim aut tam arrogans, quam de religione, de rebus divinis, caerimoniis, sacris pontificum collegium docere conari; aut tam stultum, quam, si quis quid in pontificum libris invenerit, id narrare ipsis; aut tam curiosum, quam ea scire velle, de quibus maiores nostri eos solos et consuli et scire voluerunt? 19. Negavi autem potuisse iure publico, legibus iis, quibus haec civitas utitur, quemquam civem ulla eiusmodi calamitate affici, sine iudicio: hoc iuris in hac civitate, etiam tum, quum reges essent, dixi fuisse: hoc nobis esse a maioribus traditum: hoc esse denique proprium liberae civitatis, ut nihil de capite civis aut de bonis, sine iudicio senatus aut populi aut eorum, qui de quaque re constituti iudices sint, detrahi possit. Deinde, ut radicitus evellerem omnes actiones Clodii, dixi[1] apud pontifices, istam adoptionem, nullo decreto huius collegii probatam, contra omne pontificium ius factam, pro nihilo esse habendam: qua sublata, intelligitur, totum tribunatum istius concidisse.

IX. 20. Quum[2] pontifices decressent ita, SI NEQUE POPULI IUSSU NEQUE PLEBIS SCITU IS, QUI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRAEFECTUS ESSET, NEQUE POPULI IUSSU AUT PLEBIS SCITU ID FACERE IUSSUS ESSET, VIDERI, POSSE SINE RELIGIONE EAM PAR-

[1]) Ibid. c. 14. § 38. — [2]) ad Att. IV. 2. § 2.

TEM AREAE M. T. RESTITUI; mihi facta statim est gratulatio: nemo enim dubitabat, quin domus nobis esset adiudicata. Tum subito ille in concionem ascendit, quam Appius ei dedit; nuntiat inani populo, *Pontifices secundum se decrevisse, me autem vi conari in possessionem venire;* hortatur, *ut se et Appium sequantur et suam Libertatem ut defendant.* Hic quum etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam, ego statueram illuc non accedere, nisi quum consules ex senatusconsulto porticum Catuli restituendam locassent. 21. Kal. Octob. habetur senatus frequens. Adhibentur omnes pontifices, qui erant senatores. A quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quaesivit, quid essent in decernendo secuti. Tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, *religionis iudices pontifices fuisse, legis senatum: se et collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege statuturos.* Quisque horum, loco sententiam rogatus, multa secundum caussam nostram disputavit. Quum ad Clodium ventum est, cupiit diem consumere, neque ei finis est factus: sed tamen, quum horas tris fere dixisset, odio et strepitu senatus coactus est aliquando perorare. 22. Quum fieret senatusconsultum in sententiam Marcellini, omnibus praeter unum assentientibus, Serranus intercessit. De intercessione statim ambo consules referre coeperunt. Quum sententiae gravissimae dicerentur: senatui placere, mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi; si quae vis esset facta, senatum existimaturum, eius opera factum esse, qui senatusconsulto intercessisset: Serranus pertimuit et Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit: abiecta toga, se ad generi pedes abiecit. Ille noctem sibi postulavit: non concede-

bant. Reminiscebantur enim Kal. Ianuar. Vix tamen id: ei de mea voluntate concessum est.

X. 23. Postero[1] die frequentissimus senatus, consule designato Cn. Lentulo, sententiae principe, P. Lentulo et Q. Metello consulibus referentibus, statuit, quum omnes pontifices, qui erant huius ordinis, adessent, quumque alii, qui honoribus populi Romani antecedebant, multa de collegii iudicio verba fecissent, omnesque iidem scribendo adessent, DOMUM MEAM IUDICIO PONTIFICUM RELIGIONE LIBERATAM VIDERI. Ergo[2] primum negotium iisdem magistratibus est datum, ut curarent, ut sine vi mihi aedificare liceret, quibus in maximis periculis universa respublica commendari solet: deinde, quum ille saxis et ignibus et ferro vastitatem meis aedibus intulisset, decrevit senatus, EOS, QUI ID FECISSENT, LEGE DE VI, QUAE EST IN EOS, QUI UNIVERSAM REMPUBLICAM OPPUGNASSENT, TENERI. Iisdem vero referentibus consulibus, decrevit idem senatus frequentissimus, QUI MEAM DOMUM VIOLASSET, CONTRA REMPUBLICAM ESSE FACTURUM. 24. Sic[3] me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua Clodius, Piso et Gabinius me expulerant, quam expilarant, quam incenderant, pontifices, consules, patres conscripti collocaverunt, mihique, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum censuerunt. Nego[4], ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot senatus exstare consulta, quot de mea domo, quam senatus unam, post hanc urbem constitutam, ex aerario aedificandam, a pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a iudicibus muniendam putarit. P. Valerio pro maximis in rem-

[1]) de Harusp. resp. c. 7. § 13. — [2]) Ibid. c. 8. § 15. — [3]) in Pison. c. 22. § 52. — [4]) de Harusp. resp. c. 8. § 15.

publicam beneficiis data domus est in Velia publice: at mihi in Palatio restituta; illi locus, at mihi etiam porticus atque tectum; illi, quam ipse privato iure tueretur: mihi, quam publice magistratus omnes defenderent.

XI. 25. Nego[1] umquam post sacra constituta, quorum eadem est antiquitas, quae ipsius Urbis, ulla de re, ne de capite quidem virginum Vestalium, tam frequens collegium iudicasse. Nam[2] de sacris publicis, de ludis maximis, de deorum penatium Vestaeque matris caerimoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit pro salute populi Romani, quod post Romam conditam huius unius casti tutoris religionum sceleris violatum est, quod tres pontifices statuissent, id semper populo Romano, semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est. 26. At vero meam domum P. Lentulus, consul et pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M'. Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus, flamen Martialis, P. Galba, Q. Metellus Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, rex sacrorum, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Caesar, flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, pontifices minores, causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium astente, omni religione, una mente, omnes liberaverunt.

XII. 27. Deinde[3] consules porticum Catuli restituendam locarunt: illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. Nobis superficiem aedium consules de consilii sententia aestimarunt H-S vicies; cetera

---

[1]) Ibid. c. 7. § 13. — [2]) Ibid. c. 6. § 12. — [3]) ad Att. IV. 2. § 5.

valde illiberaliter: Tusculanam villam quingentis milibus; Formianum H-S. ducentis quinquaginta milibus. Quae aestimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur. Dices, quid igitur causae fuit? Dicunt illi quidem, pudorem meum; quod neque negarim neque vehementius postularim. Sed non est id: nam hoc quidem etiam profuisset. Verum iidem illi, qui mihi pinnas inciderant, nolebant easdem renasci. 28. Ita[1] tum erant res nostrae, ut in secundis, fluxae, ut in adversis, hoc ipso. In[2] re autem familiari, quae quemadmodum fracta, dissipata, direpta esset, nemo ignorabat, valde laborabamus et Attici mei non tam facultatum, quas ego meas esse semper iudicavi, quam consiliorum ad colligendas et constituendas reliquias nostras indigebamus. Et tamen in nostro statu, quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem et in senatu auctoritatem et apud viros bonos gratiam, magis quam optaramus, consecuti sumus. Alterius[3] vitae quoddam initium ordiebamur. Et tamen quidam, qui nos absentes desiderant, incipiebant praesentibus occulte irasci, aperte invidere. 29. Ego[4] vero — qui, si loquebar de republica, quod oportebat, insanus; si, quod opus erat, servus existimabar; si tacebam, oppressus et captus — quantum[5] potui, me ab omnibus molestiis et angoribus abduxi transtulique animum ad ea, quibus secundae res ornantur, adversae adiuvantur. Angebar[6] enim, et maxime angebar, nullum esse rempublicam, nulla iudicia; nostrumque hoc tempus aetatis, quod in illa auctoritate senatoria florere debebat, aut forensi labore iactari, aut domesticis litteris

[1]) ad Att. IV. 1. § 3. — [2]) Ibid. § 3. — [3]) Ibid. § 8. — [4]) ad Att. IV. 6. § 2. — [5]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 13. § 5.) — [6]) ad Q. fratrem III. 5 & 6. § 4.

publicam
mihi in
atque
quam

N
ea
ca
in
c



a ceteris oblectationibus ut
propter rempublicam, sic litteris
Nam[2] ceterae neque temporum
omnium neque locorum; haec studia
senectutem oblectant, secundas res
perfugium ac solatium praebent; delectant
foris, pernoctant nobiscum, peregri-
Quod si ipsi haec neque attingere
gustare possemus, tamen ea mirari de-
quam in aliis videremus. Ego[3] vero fa-
studiis esse deditum; ceteros pudeat, si qui
abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad
afferre fructum, neque in aspectum lucemque
Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo,
ullius unquam me tempore aut commodo aut otium
abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique som-
retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut
mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res
, quantum ad festos dies ludorum celebrandos,
ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi

---

[1]) ad Att. IV. 10. § 1. — [2]) pro Archia c. 7. § 16. — [3]) ibid. c. 6. § 12.

et corporis, conceditur temporum; quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? 31. Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas, quae, quantacumque est in me, numquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur, illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magno opere expetendum, nisi laudem et honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda; numquam me pro salute reipublicae in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni sunt omnes libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt! quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

XIV. 32. Quamquam[1] nostri casus plus honoris habuerunt, quam laboris; neque tantum molestiae, quantum gloriae; maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus, quam ex laetitia improborum dolorem. Sed si aliter accidisset, qui possem queri? quum mihi nihil improviso, nec gravius quam exspectavissem, pro tantis

[1]) de Republ. I. c. 4. § 7.

meis factis evenisset. Is enim fueram, qui — quum liceret mihi aut maiores ex otio fructus capere, quam ceteris, propter variam suavitatem studiorum, in quibus a pueritia vixeram; aut si quid acciderat acerbius universis, non praeceptam, sed parem cum ceteris fortunae conditionem subire — non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac paene fulminibus ipsis obvium ferre conservandorum civium causa meisque propriis periculis parere communi reliquis otium. 35. Neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis, ac tantummodo, nostris ipsa commodis serviens, tutum perfugium otio nostro suppeditaret et tranquillum ad quietem locum; sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam pignoraretur; tantumque nobis in nostrum privatum usum, quantum ipsi superesse posset, remitteret. Nam[1] quum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est uni cuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam, et in ea funditus delenda occupati et sunt et fuerunt. Sed[2] summa ratio et sapientia boni civis est, commoda civium non divellere atque omnes aequitate eadem continere, quum[3] praesertim non recuset, quo minus, more patrio sedens in solio, consulentibus respondeat senectutisque non inertis grato atque honesto fungatur mu-

---

[1]) de Off. I. c. 17. § 57. — [2]) Ibid. II. c. 23. § 83. — [3]) de Legib. I. c. 3. § 10.

nere. Senectuti[1] enim celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam iuris interpretatio? 34. Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparavi, non solum ad causarum usum forensium, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut, quum me vires deficere coepissent, iste ab solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim praeclarius, quam honoribus et reipublicae muneribus perfunctum senem posse suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant,

Summarum rerum incertis quae ego ope mea
incertis certos compotesque consili
dimitto, ut me res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum civitatis.

XV. 35. Sed[2], quum sint plura causarum genera, quae eloquentiam desiderent, multique in nostra republica et apud iudices et apud senatum dicendo laudem assecuti sint, maxima admiratio est in iudiciis; quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et defensione constat; quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Nam L. quidem Crassus, quum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa, qua[4] C. Carbonem in iudicium vocavit, nobilissimum[5] hominem et eloquentissimum, annos natus unum et viginti. Idem[6] fecit adolescens M. Antonius. Etiam

---

[1]) de Orat. I. c. 45. § 199. — [2]) de Off. II. c. 14. § 49. — [3]) Ibid. c. 13. § 47. — [4]) in Verrem Act. II. L. III. c. 1. § 3. — [5]) de Orat. III. c. 20. § 74. — [6]) de Off. II. c. 14. § 49.

P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, quum seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocavit. 36. Quare[1] mecum omnes adolescentes, atque hoc meo iure praecipio, qui dignitatem, qui rempublicam, qui gloriam spectent, ne, si quo illos aliquando necessitas ad rempublicam contra improbos cives defendendam vocabit, segniores sint ex recordatione mei casus a consiliis fortibus refugiant. Sed[2] hoc quidem non est saepe faciendum, nec unquam, nisi aut reipublicae caussa, ut ii, quos ante dixi; aut ulciscendi, ut duo Luculli; aut patrocinii, ut nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius. Quamquam[3] in hac caussa multo plures partes mihi defensionis, quam accusationis, suscepisse videor; et[4] Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut nos ab Siculis, sic ille ab Sardis regatus ad caussam accesserat. 37. Semel[5] igitur aut non saepe certe. Sin erit, cui faciendum sit saepius, reipublicae tribuat hoc muneris, cuius inimicos ulcisci saepius non est reprehendendum. Modus tamen adsit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id quum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut *Accusator* nominere: quod contigit M. Brutо; qui[6], quum tanto nomine esset patremque optimum virum habuisset et iuris peritissimum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. Is magistratus non petivit, sed fuit accusator vehemens et molestus, ut facile cernores naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatae voluntatis.

---

[1]) pro Sestio c. 28. § 61. — [2]) de Off. II. c. 14. § 50. — [3]) in Verrem Act. II. L. II. c. 4. § 10. — [4]) Divinat. in Caec. c. 19. § 63. — [5]) de Off. II. c. 14. § 50. — [6]) Brut. c. 34. § 130.

XVI. 38. Sed [1] quam multa esse oportet in eo, qui alterum accuset! Primum integritatem atque innocentiam singularem. Nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere. Nam [2] qui sibi hoc sumpsit, ut corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit? Quapropter [3] hoc ita postulatur ab omnibus, ut ab iis se abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. Furem aliquem aut rapacem accusaris? vitanda tibi semper erit omnis avaritiae suspicio. Maleficum quempiam adduxeris aut crudelem? cavendum erit semper, ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videare. Corruptorem, adulterum? providendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo, quae vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur. 39. Deinde [4] accusatorem firmum verumque esse oportet: cui [5] in mentem veniat, quid negotii sit, causam publicam sustinere; vitam alterius totam explicare atque eam non modo in animis iudicum, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponere; sociorum salutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem iudiciorum defendere. Magna [6] sunt ea, quae dico. Dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia: causa non solum exponenda, sed etiam graviter copioseque agenda est. Perficiendum est, si quid agere aut perficere vis, ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter studioseque

[1]) Divinat. in Caec. c. 9. § 27. — [2]) in Verrem Act. II. L. III. c. 1. § 2. — [3]) Ibid. c. 2. § 4. — [4]) Divinat. in Caecil. c. 9. § 29. — [5]) Ibid. c. 8. § 27. — [6]) Ibid. c. 12. § 39.

audiant. Maxime[1] autem necessarium est, facere, ut, quae reus libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit, ea aeque acerba et indigna videantur esse iis, qui audient, atque illis visa sunt, qui senserunt. 40. Atque[2] etiam hoc praeceptum officii diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem iudicio capitis arcessas: id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum et ad conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, item est habendum religioni, nocentem aliquando — modo ne nefarium impiumque — defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est; semper in caussis verum sequi; patroni, nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere: quod scribere; praesertim quum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panaetio.

XVII. 41. Maxime autem et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur: ut nos et saepe alias, et adolescentes contra L. Sullae dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecimus; quae exstat oratio. Ieiunas[3] vero tum multiplicis et aequabiliter in omnia genera fusae orationis aures civitatis accepimus, easque nos primi, quicumque eramus et quantulumcumque dicebamus, ad huius generis dicendi audiendi incredibilia studia convertimus. Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum! quae nequaquam satis defervisse post aliquanto sentire coepimus.

---

[1]) Ibid. § 38. — [2]) de Off. II. 14. § 51. — [3]) Orator c. 30. § 106.

Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, *ut ducere animam de caelo non queant*: ita moriuntur, *ut eorum ossa terrem non tangant*: ita *natantium fluctibus, ut nunquam abluantur*: ita *postremo eiiciuntur, ut ne ad ea quidem mortui conquiescant*, et quae sequuntur. Sunt enim omnia sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudati. 43. Ab hac indole iam illa matura: *Uxor generi, soceros filii, filiae pallor*. Nec vero hic unus erat ardor in nobis, ut haec modo omnia diceremus. Ipsa enim illa pro Roscio juvenilis redundantia multa habet attenuata, quaedam etiam paullo illitiora: ut pro Avito, pro Cornelio, complurisque aliae. Mutavi[1] ergo me ipse, et aliud dicendi institui genus: et, quemadmodum Roscius Comoedus, familiaris meus, in exercitu numerum in cantu remiserat ipsasque tardiores fecerat tibias, sic ego e contentionibus, quibus summis uti solebam, quotidie relaxavi aliquid, ut iam oratio mea non multum a philosophorum lenitate abhorret. Quod sustinere quum vel summa consecutus posse videretur, nullam mihi a causis vacationem videbam dari.

XVIII. 45. Tametsi[2] fortasse me divers atque enumerare causas omnes oportebat, multa[3] mihi necessario praetermittenda sunt. Longum[4] est ea omnia dicere. Iam[5] vero accipite facinus nobile et multis locis saepe compraemunitum, et eiusmodi, ut in uno plura maleficia inesse videantur.

44. A. d. IV. Kalend. Marcellino et Philippo consulibus,

---

[1]) de Legib. I. c. 4. § 11. — [2]) pro Roscio Amer. c. 19. § 53. — [3]) in Verrem Act. II. L. II. c. 1. § 1. — [4]) pro Sextio c. 5. § 12. — [5]) in Verrem Act. II. L. II. c. 34. § 82. — [6]) ad Q. fratrem II. 3. § 5.

audi
qu
ea
a
l

[illegible], de ambitu est
M. Fullio Albinovano
cum multitudine in
fuisse. Quamquam[1] a
atque eloquentissimo, causam
ab eo praetermissam,
requirendum fuit, aut pro reo dis-
cendum ad dicendum, ne mea pro-
defuisse videretur, per quem erat
civibus dicturi. Atque ego sic statui, a
atque hoc extremo dicendi loco pietatis poti-
quam eloquentiae; doleris,
partes esse susceptas. 4. Sed[2], quoniam sin-
ceteri responderant, dixi ego de omni statu
de genere vitae, de natura, de moribus, de in-
amore in honor, de studio conservandae salutis com-
atque otii: contendique ut in hac confusa atque tui-
defensione nihil esse, quod ad iudicium quaestionem,
quod ad reum, nihil, quod ad rempublicam pertineret,
praetermissum esse videretur. Mihi[3] autem hoc propositum
fuit ostendere, omnia consilia P. Sextii mentemque totius
tribunatus hanc fuisse, ut afflictae et perditae reipublicae,
quantum posset, mederetur. Aut, si in exponendis vulne-
ribus illis de me ipso plura dixisse videbor, ignoscito.
Nam et illum meum eladem omnes boni maximum esse
reipublicae vulnus iudicabant; et P. Sextius erat reus, non
suo, sed meo nomine, qui quum omnem vim sui tribu-
natus in mea salute consumpsisset, necesse erat, meam
causam praeteriti temporis cum huius praesenti defensione
esse coniunctam.

[1]) pro Sextio c. 36. § 78. — [2]) Ibid. c. 2. § 3. — [3]) Ibid. § 5. — [4]) Ibid. c. 13. § 31.

XIX. 46. Scito[1] hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur. Nam in defendendo moroso homine cumulatissime satisfecimus; et (id quod ille maxime cupiebat) Vatinium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, diis hominibusque plaudentibus. Hunc[2] enim, cuius testimonium, propter turpitudinem vitae sordesque domesticas, nullius momenti putabatur, non tacitus dimisi: sed[3], quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putavit, ita interrogavi, ut ferocitatem eius compresserim, et audaciam fregerim, et loquacitatem paucissimis interrogationibus inretitam retardarim. 47. Nam[4] pro testimonio esse mendacium, quum affirmaret, nullum sibi omnino cum Albinovano sermonem, non modo de Sextio accusando, sed ullo unquam de re fuisse, ipse imprudens indicaverat: qui et T. Claudium secum communicasse, et a se consilium P. Sextii accusandi petisse, et Albinovanum, quem antea vix sibi notum esse dixerat, domum suam venisse, multa secum locutum dixisset; denique conciones P. Sextii scriptas, quas neque nosset, neque reperire posset, se Albinovano dedisse, easque in Sextii iudicio esse recitatas. In quarum altero confitebatur, a se accusatores esse instructos et subornatos: in altero inconstantiam suam, quum levitatis, tum etiam periurio implicatam, refellebat: quum, quem alienissimum a se esse dixisset, eum domi suae fuisse; quem praevaricatorem ab initio iudicasset, ei se, quos rogasset, ad accusandum libros diceret dedisse. . .

---

[1]) ad Q. fratrem II. 4. § 1. — [2]) in Vatinium c. 1. § 1. — [3]) Ibid. § 2. — [4]) Ibid. § 3.

interrogatio mea nihil habuit, in qua omnia dicta de vi, de auspiciis, de in Vatinium haec pauca

te vanitas, tanta levitas fuerit, iisdem verbis laudares, qui viri et boni cives consueverunt, nuper, ab eadem illa taeterrima furia, cupidissime falsum testimonium haec optio et potestas tua, ut, quum et facinorosorum hominum et perditorum Milonem dicas, id quod in concione di- ribus et bestiariis obsedisse rempublicam: quum tales viros veneris, non audeas civem singulari fide, constantia vituperare? Sed, quum T. An- tanto opere laudes, et clarissimo viro nonnullam tua labeculam aspergas, (in illorum enim numero mavult T. Annius esse, qui a te vituperantur) verum tamen quaero, quum in republica administranda T. Annio cum P. Sextio consiliorum omnium societas fuerit, (id quod non solum bonorum, verum etiam im- proborum iudicio declaratum est: est enim reus uterque ob eamdem caussam, et eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu unum improbiorem esse, quam te, non- numquam soles confiteri; alter tuis consiliis, illo tamen adiuvante) quaero, qui possis eos, quos crimine coniun- gis, testimonio disiungere. 49. Extremum illud est, quod mihi abs te responderi velim; quum multa in Albinova- num de praevaricatione diceres, dixerisne, nec tibi pla-

¹) Epist. ad Lentulum (ad Fam. I. 9. § 7.) — ²) in Vatinium c. 16. § 40.

cuisse, nec oportuisse Sextium de vi reum fieri? quavis lege, quovis crimine accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, caussam Milonis, fortissimi viri, coniunctam cum hoc existimari? quae pro me a Sextio facta sint, bonis esse grata? Non coarguo inconstantiam orationis ac testimonii tui. Quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas plurimis verbis testimonium dixisti: quicum autem huius caussam periculumque coniungas, eum summis laudibus extulisti. Sed hoc quaero, num P. Sextium, qua lege accusandum omnino fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? aut, si te in testimonio consuli nolis, ne quid tibi auctoritatis a me tributum esse videatur, dixerisne in eum testimonium de vi, quem negaris reum omnino de vi fieri debuisse?"

. . . . . .

XXI. 50. Quin[1] etiam Paulus noster quum testis productus esset in Sextium, confirmavit se nomen Vatinii delaturum, si Macer Licinius cunctaretur: et Macer a Sextii subselliis surrexit, ac se illi non defuturum affirmavit. Quid quaeris? homo petulans et audax, Vatinius, valde perturbatus debilitatusque discessit. Quo[2] facto Sextius noster absolutus est a. d. IV. Id. Mart., et, quod vehementer interfuit reipublicae, nullam videri in eiusmodi caussa dissensionem esse, omnibus sententiis absolutus est. 51. Sed[3] antea iam, a. d. III. Id. Febr. dixeram pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium in foro medio maximo conventu: incidensque in eum locum in dicendo, quum Sextius, multis in templo Castoris vulneribus acceptis, subsidio Bestiae servatus esset, προφωνουμένων quiddam εὐκαίρως de iis, quae in Sextium apparabantur

[1]) ad Q. fratrem II. 4. § 2. — [2]) Ibid. § 1. — [3]) Ibid. II. 3. § 6.

crimina, et eum ornaveram veris laudibus, magno assensu omnium. Quae res homini fuit vehementer grata.

XXII. 52. Eodem[1] praetore, Cn. Domitio, dicta[2] est a me causa pro M. Caelio. De vi quaerebant iudices: quae lex ad imperium, ad maiestatem; ad statum populi Romani, ad salutem omnium pertinet; quae[3] de seditiosis conscelleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quaeri iubet; quam[4] legem Q. Catulus armata dissensione civium reipublicae paene extremis temporibus tulit, quum[5] Caesar, praetor quum esset, Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere; quaeque[6] lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantes reliquias coniurationis exstinxit. 53. Animadverteram[7] autem, audiri a iudicibus meum familiarem, L. Herennium, perattente. In quo etsi magna ex parte ingenio eius et dicendi genere quodam tenebantur, tamen nonnumquam verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio animos eorum sensim ac leniter accenderet. Dixit enim multa de luxuria, multa de libidine, multa de vitiis iuventutis, multa de moribus; et, qui in reliqua vita mitis esset et in hac suavitate humanitatis, qua prope iam delectantur omnes, versari periucunde soleret, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister. Obiurgavit M. Caelium, sicut nemihem unquam parens. Multa de incontinentia intemperantiaque disseruit. 54. Duo[8] erant crimina, una in muliere, summorum facinorum: auri, quod sumptum a Clodia dicebatur, et veneni, quod eiusdem Clodiae necan-

[1]) pro Caelio c. 13. § 32. — [2]) Ibid. c. 29. § 70. — [3]) Ibid. c. 1. § 1. — [4]) Ibid. c. 29. § 70. — [5]) ad Att. II. 24. § 3. — [6]) pro Caelio c. 29. § 70. — [7]) Ibid. c. 11. § 25. — [8]) Ibid. c. 21. § 51.

das causa parasse Caelium criminabantur. Praeterea [1] Catilinae familiaritas obiecta Caelio est; aes [2] alienum obiectum est; sumptus reprehensi; tabulae flagitatae; triginta millibus dixerunt eum habitare; reprehenderunt [3] a patre quod semigrarit; aiebant [4], fore testem senatorem, qui se pontificiis comitiis pulsatum a Caelio diceret. Est [5] etiam dictum ab illis, fore qui dicerent, uxores suas a caena redeuntes attrectatas esse a Caelio. Haec [6] autem omnia non crimina erant, sed maledicta luxurii petulantis magis, quam publicae quaestionis. *Adulter*, *impudicus*, *sequester* convivium est, non accusatio: nullum erat enim fundamentum horum criminum, nulla sedes. Voces erant contumeliosae, tenere ab inerto accusatore, nullo auctore; emissae. Et [7] sunt ista maledicta pervulgata in omnes, quorum in adolescentia forma et species fuit liberalis. Sed aliud est maledicere, aliud accusare. *Accusatio* crimen decidunt, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet. Maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam; quae si petulantius iactetur, convicium, si facetius, urbanitas nominatur. 55. Quam quidem partem accusationis admiratus eum et moleste tuli potissimum esse Atratino datam. Neque enim decebat, neque actas illa postulabat, neque pudor patiebatur optimi adolescentis, in tali illum oratione versari. Vellem aliquis ex robustioribus hunc maledicendi locum suscepisset; aliquanto liberius et fortius et magis more nostro refutassem istam maledicendi licentiam. Cum Atratino agi lenius, quod et pudor adolescentis moderabatur orationi meae, et meum erga ipsum parentemque ipsius beneficium tueri

---

[1]) Ibid. c. 4. § 10. — [2]) Ibid. c. 7. § 17. — [3]) Ibid. § 18. — [4]) Ibid. c. 8. § 19. — [5]) Ibid. § 20. — [6]) Ibid. c. 13. § 30. — [7]) Ibid. c. 3. § 6.

debebam. Illud tamen hunc esse admonitum volebam: primum, qualis esset, talem se esse existimaret; ut, quantum a rerum turpitudine abesset, tantum se a verborum libertate seiungeret; deinde, ut ea in alterum ne diceret, quae quum ipsi falso responsa essent, erubesceret.

XXIII. 56. Deinde [1] L. Cornelii Balbi caussa quum defensa esset a viris amplissimis, peritissimis, eloquentissimis, eo [2] mihi difficilior fuit extremus perorandi locus. Nihil [3] enim mihi novi, nihil integri neque M. Crassus, qui totam caussam et pro facultate et pro fide sua diligentissime explicavit, neque Cn. Pompeius, cuius oratio omnibus ornamentis abundavit, ad dicendum reliquerat. Sed [4] mea gerendus erat non modo Cornelio, cuius ego voluntati in eius periculis nullo modo deesse potueram, sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudicii, sui beneficii volebat me esse et praedicatorem et auctorem, qui [5] pridie dixerat, quo nihil erat verius, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicasse, ut nullius in delicti crimen vocaretur. 57. Non enim furatus esse civitatem, non genus sumum commentitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum dicebatur: unum obiiciebatur, natum esse Gadibus; quod negabat nemo. Cetera accusator fatebatur, hunc in Hispania durissimo bello cum Q. Metello, cum C. Memmio, et in classe et in exercitu fuisse, et, ut Pompeius in Hispaniam venisset, Memmiumque habere quaestorem coepisset, numquam a Memmio discessisse, Karthaginem possessum isse, acerrimis illis praeliis et maximis, Sucronensi et Turiensi, in-

---

[1]) pro Balbo c. 1. § 1. — [2]) Ibid. § 4. — [3]) Ibid. c. 7. § 17. — [4]) Ibid. c. 2. § 4. — [5]) Ibid. § 5.

tenfuisse, cum Pompeio ad extremum belli tempus fuisse. Donatus[1] igitur est ob eas causas a Cn. Pompeio civitate: quod accusator non negabat, sed reprehendebat. 58. Ergo in iudicium, caput Cornelii, factum Pompeii vocabatur; ait[2] enim accusator, fecisse Pompeium, quod ei facere non licuerit. Nascebatur[3] caussa Cornelii ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt. Qua lege videmus satis esse sanctum, uti cives Romani sint ii, quos Cn. Pompeius de consilii sententia singillatim civitate donarit. Donatum esse L. Cornelium, praesens Pompeius dixerat; indicabant publicae tabulae; accusator fatebatur: sed negabat ex foederato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc civitatem venire. 59. Equidem[4], postaquam dixeram de lege, de foedere, de exemplis, de perpetua consuetudine civitatis nostrae, hospitium[5] multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice, dixi: protuli testes, protuli legatos: excitavi laudatores, quos ad hoc iudicium, summos homines ac nobilissimos, deprecatores huius periculi, miserant Gaditani: simulque[6] iudices admonui, quo de iure hoc iudicium constitutum esset, de eo nusquam omnino esse dubitatum.

XXIV. 60. Sic[7] autem habeto, numquam me a causis et iudiciis districtiorem fuisse, quam L. Domitio App. Claudio consulibus, atque id anni tempore gravissimo et caloribus maximis. Libenter[8] mehercule artem desiissem et cum M. Mario et cum similibus nostri vixissem, qui[9], in

[1]) Ibid. c. 3. § 6. — Ibid. § 8. — [2]) Ibid. c. 8. § 19. — [4]) Ibid. c. 7. § 17. — [5]) Ibid. c. 18. § 41. — [6]) Ibid. c. 19. § 44. — [7]) ad Q. fratrem II. 16. § 1. — [8]) Ep. ad M. Marium (ad Fam. VII. 1. § 4.) — [9]) Ibid. § 1.

amoenitate paene solus relictus, ex illo cubiculo suo, ex quo sibi Stalianum perforaverat et patefecerat Misenum, matutina tempora lectiunculis consumebat, reliquam vero partem diei consumebat iis delectationibus, quas sibi ipse ad arbitrium suum comparaverat. Num[1] me quum antea taedebat, quum et aetas et ambitio me hortabatur, et licebat denique, quem nolebam, non defendere; tum vero hoc tempore vita nulla erat. Neque enim fructum ullum laboris exspectabam, et cogebar nonnumquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti erant, defendere. 61. Sed[2] haec ferenda erant; neque conquirendum, ut aut spei, aut cogitationi amicorum ego viderer defuisse: praesertim quum, tametsi id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam magnamque dignitatem essem collecturus. Itaque, ut iis placebat, dabamus operam, ne cuius animum offenderemus, atque ut etiam ab iis ipsis, qui nos cum Caesare tum coniunctos dolebant, diligeremur, ab aequis vero, aut etiam a propensis in hanc partem, vehementer et coleremur et amaremur. Dixi[3] autem scito fuisse nullum, quo die non dixerim pro reo.

XXV. 62. Itaque[4] quum Reatini, qui essent in fide mea, me suam publicam caussam de Vettii cuniculis apud hos consules agere voluissent, non existimavi, me neque dignitati praefecturae gravissimae neque fidei meae satis esse facturum, nisi me causssam illam non soluni homines, sed etiam locus ipse locusque docuisset. Reatini[5] me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causssam

[1]) Ibid. § 4. — [2]) ad Q. fratrem II. 16. § 1. — [3]) Ibid. III. 3. § 1. — [4]) pro Scauro c. 2. § 27. (in edit. Nobbii p. 1299.) — [5]) ad Att. IV. 15. § 5.

contra Interamnates apud consulem et decem legatos; quod lacus Velinus, a M'. Curio emissus, interciso monte, in Nar defluit; ex quo est illa siccata, et humida tamen multa dies Rosea. 63. Quum redissem Romam, Messius[1] defendebatur a nobis, e legatione revocatus: nam eum Caesari legarat Appius. Servilius edixerat, ut adesset. Tribus habebat Pomptinam, Velinam, Maeciam. Pugnabatur acriter: agebatur tamen satis. Deinde me expedivi ad Drusum, qui[2] reus erat factus a Lucretio: inde[3] ad Scaurum, quem[4] beneficio defensionis valde obligavi. Erat[5] enim unum maximum totius Sardiniae frumentarium crimen, de quo Triarius omnes Sardos interrogaverat, quod genus uno testimonii foedere et consensu omnium erat confirmatum. Non[6] egi igitur cum ista Sardorum conspiratione et cum expresso, coacto sollicitatoque periurio subtiliter, nec acu quaedam enucleata argumenta conquisivi; sed contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurri atque conflixi. Non erat unus mihi quisque ex illorum acie protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum; tota erat acies illa uno impetu prosternenda. Dixi[7] igitur primum de ipso genere accusationis; postea de Sardis; tum etiam pauca de Scauro; quibus rebus explicatis, tum denique ad hoc horribile et formidolosum frumentarium crimen accessi.

XXVI. 64. Quo[8] die autem Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus, in summa, quattuor sententiis, quum senatores et equites damnassent; ego

---

[1]) Ibid. § 9. — [2]) ad Att. IV. 16 a. § 5. — [3]) ad Att. IV. 15. § 9. — [4]) ad Q. fratrem III. 1. c. 5. § 16. — [5]) pro Scauro c. 2. § 21. — [6]) Ibid. § 20. — [7]) Ibid. § 22. — [8]) ad Q. fratrem II. 16. § 3.

eodem die post meridiem Vatinium defendi. Quod[1] ut facerem, primum reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim ut ille praetor est factus, quum quidem ego eius petitionem gravissimis in senatu sententiis oppugnassem, neque tam illius laedendi caussa, quam defendendi atque ornandi Catonis: post autem Caesaris, ut illum defenderem, mira contentio est consecuta. 65. Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille stimulus, de quo in iudicio, quum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi:

Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
continuo. Si quando illa dicet: Phaedriam
intromittamus comissatum: Pamphilam
cantatum provocemus: si laudabit haec
illius formam; tu huius contra. Denique
tu par pari referta, quod eam mordeat.

Sic petivi a iudicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines et de me optime meriti nimis amarent inimicum meum, neque inspectante saepe eum in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur; quoniamque illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem illorum animos, mediocriter lacessitus, leviter repungere. Neque solum dixi, sed etiam saepe feci, diis hominibusque approbantibus.

Habes de Vatinio, cognosce de Crasso.

XXVII. 66. Ego, quum mihi cum Crasso magna iam gratia esset, quod eius omnes gravissimas iniurias communis concordiae caussa voluntaria quadam oblivione contriveram, repentinam eius defensionem Gabinii, quem pro-

[1]) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 19.)

ximis superioribus diebus acerrime oppugnassent, tamen, si sine ulla mea contumelia suscepisset, tulissem: sed, quum me disputantem, non lacessentem lacesisset, erraui, non solum praesenti, credo, iracundia, (nam ea tam vehemens fortasse non fuisset) sed, quum inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum, quod ego me effudisse omne arbitrabar, residuum tamen insciente me fuisset, omne repente apparuit. 67. Quo quidem tempore ipso quidam homines, et iidem illi, quos saepe nutu significationeque appello, quum se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, neque tum denique sibi esse visum reipublicae, qualis fuissem, restitutum, quumque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset; gaudere se dicebant, mihi et illum inimicum, et eos, qui in eadem caussa essent, numquam amicos futuros. Quorum iniqui sermones quum ad me per homines honestissimos perferrentur, quumque Pompeius ita contendisset, ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam, Caesarque per litteras maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet; habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturae, Crassusque, ut quasi testata populo Romano esset nostra gratia, paene a meis laribus in provinciam est profectus. Nam quum mihi condixisset, caenavit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Quantoperem eius caussam, magna illius commendatione susceptam, defendi in senatu, sicut mea fides postulabat. 68. Quae[1] autem a me suscepta defensio est illo absente, ostendit[2] quantum meum studium esset dignitatis huius vel tuendae vel etiam augendae. Non enim fuit aut mediocre aut obscurum aut eiusmodi, quod silentio posset praeteriri. Nam et cum

[1]) Epist. ad M. Licinium Crassum (ad Fam. V. 8. § 5.) — [2]) Ibid. §. 1.

consulibus, et cum multis consularibus tanta contentione decertavi, quanta numquam antea ulla in causa, susceptique mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis huius, veterique nostrae necessitudini iamdiu debitum, sed multa varietate temporum interruptum, officium cumulate reddidi. 69. Neque mehercule umquam mihi Crassi aut colendi aut ornandi voluntas defuit; sed quaedam pestes hominum, laudo aliena dolentium, et Crassum nonnumquam a me alienarunt, et me aliquando immutarunt Crasso. Sed exstitit tempus, optatum mihi magis, quam speratum, ut, florentissimis huius rebus, mea perspici posset et memoria nostrae voluntatis et amicitiae fides. Sum enim consecutus, non modo ut domus Crassi tota, sed ut cunctа civitas me huic amicissimum esse cognosceret. Itaque et praestantissima omnium feminarum, uxor Crassi, et eximia pietate, virtute, gratia, filii Crassi, meis consiliis, monitis, studiis actionibusque nitebantur: et senatus populusque Romanus intellexit, Crasso absenti nihil fuisse tam promptum aut tam paratum, quam in omnibus rebus, quae ad ipsum pertinerent, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam.

XXVIII. 70. Neque[1] vero me poenitet, mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. Ergo[2] et Gabinium, ex tantis inimicitiis receptum in gratiam, summo studio defendi: quocum stante si me Cn. Pompeii auctoritas in gratiam non reduxisset, certe iam ipsius fortuna reduxisset. Quam[3] enim ad Urbem accessisset a. d. XII. Kal. Octobr. et[4] quacumque veniebat, triumphum se postulare dixisset,

---

[1]) pro Rabirio Post. c. 12. § 32. — [2]) Ibid. c. 6. § 19. — [3]) ad Q. fratrem III. 1. c. 5. § 15. — [4]) ad Q. fratrem III. 2. § 2.

tres[1] eum factiones postularant: L. Lentulus, flaminis filius, qui eum de maiestate postulavit: Ti. Nero cum bonis subscriptoribus: C. Memmius, tribunus plebis, cum L. Capitone. Sed[2], maiestatis absolutus, videbatur reliquis iudiciis periturus, et maxime de pecuniis repetundis. Vociferabatur[3] enim Memmius, decem millia talentum Gabinio esse promissa, ut[4] Ptolemaeum regem reduceret; eumque[5] Postumi impulsu profectum esse Alexandriam. 71. Mihi[6] igitur caussa defendendi Gabinii fuit reconciliatio gratiae. Nam qui me invitum putet, ne Cn. Pompeii animum offenderem, defendisse caussam, et illum et me vehementer ignorat. Neque enim Pompeius me sua caussa quidquam facere voluisset invitum, neque ego, cui omnium civium libertas carissima fuisset, meam proiecissem. Ego[7] vero quum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitiis revocatae in gratiam: propterea, quod integris amicitiis officium praetermissum imprudentiae vel, ut gravius interpretemur, negligentiae excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet.

XXIX. 72. Quamquam[8] hoc quidem etiam magis eram, non dicam miser — nam hoc quidem abhorret a virtute verbum — sed certe exercitus: non quia multis debebam, (leve enim est onus, beneficii gratia) sed quia saepe concurrebant aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore in omnes vererer ne vix

---

[1]) ad Q. fratrem III. 1. c. 5. § 15. — [2]) ad Q. fratrem III. 4. § 1. — [3]) pro Rabirio Post. c. 8. § 21. — [4]) Ibid. § 19. — [5]) Ibid. § 20. — [6]) Ibid. c. 12. § 32. — [7]) Fragm. Orat. pro A. Gabinio (in edit. Nobbii p. 1294, n. 155.) — [8]) pro Plancio c. 32. § 78.

possem gratus videri. Itaque[1] evenit aliquoties, ut aut amicissimi hominis existimatio offendenda esset, si accusationis conditionem sequerer, aut optime de me meriti salus deserenda. Sed[2] ego hoc meis ponderibus examinabam; non solum quid cuique deberem, sed etiam quid cuiusque interesset et quid a me cuiusque tempus postularet. 75. Quum[3] igitur M. Laterensis continentiam suam et industriam, animumque in rempublicam, et virtutem, et innocentiam, et fidem, et labores suos, quod aedilis non esset factus, fractos esse et abiectos et repudiatos putaret; homo[4] studiosissimus et dignitatis et salutis meae reum sibi delegit Cn. Plancium, et[5] nomine legis Licinniae, quae est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus est. In[6] caussa facili atque explicata perdifficilis mihi et lubrica defensionis ratio proponebatur. Nam, si tantummodo mihi necesse fuisset contra Laterensem dicere, tamen id ipsum fuisset in tanto usu nostro tantaque amicitia molestum. Vetus est enim lex illa iustae veraeque amicitiae, quae mihi cum illo iam diu erat, ut idem amici semper velint: neque est ullum certius amicitiae vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. Mihi autem non id erat in hac re molestissimum, contra illum dicere, sed multo illud magis, quod in ea caussa contra dicendum erat, in qua quaedam hominum ipsorum videbatur facienda esse contentio. Quaerebat enim Laterensis, atque hoc uno maxime urgebat, qua se virtute, qua laude Plancius, qua dignitate superasset. Agebatur[7] Laterensis studium, vel etiam, si vis, existimatio, laus aedilitatis: at Cn. Plancii salus,

---

[1]) Ibid. c. 2. § 6. — [2]) Ibid. c. 32. § 79. — [3]) Ibid. c. 4. § 9. — [4]) Ibid. c. 1. § 2. — [5]) Ibid. c. 15. § 36. — [6]) Ibid. c. 2. § 5. — [7]) Ibid. 33. § 79.

patria, fortunae. Alter salvum me esse cupiit: alter fecit etiam, ut esse possem. 74. Equidem [1] ad reliquos labores, quos in hac caussa maiores suscepi, quam in ceteris, etiam hanc molestiam assumsi, quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendum erat, cuius ego salutem non secus, ac meam tueri debebam, sed etiam pro me ipso, de quo accusatores plura paene quam de re eoque dixerant. Quamquam, quod erat in me ipso ita reprehensum, ut id a Plancio seiunctum esset, non me id magno opere conturbabat: non enim timebam, ne, quia perraro grati homines reperiantur, ideireo, quum me nimium gratum illi esse dicerent, id mihi criminosum esse posset.

. . . . . .

XXX. 75. Etenim [2] quum omnibus me virtutibus affectum esse cupio, tum nihil est, quod malim, quam me et gratum esse, et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam iustis honoribus et memori mente persolvunt? Quae potest esse iucunditas vitae, sublatis amicitiis? quae porro amicitia potest esse inter ingratos? 76. Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus ipse, ubi altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cuius opes tantae esse possunt, aut umquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint? quae certe, sublata memoria et gratia, nulla exstare pos-

[1]) Ibid. c. 1. § 3. — [2]) Ibid. c. 33. § 80.

sunt. Equidem nil tam proprium hominis existimo, quam non modo beneficio, sed etiam benevolentiae significatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. 77. Quae quum ita sint, et [1] Cispium, quem ego de me bene meritum cognoveram, defendi; et, quum in Cispiano iudicio nihil profecissem, non [2] modo lacrimulam, sed multas lacrimas, et fletum cum singultu videre potuerunt inimici. An ego, qui meorum lacrimis, me absente, commotus simultates, quas mecum habebat, deposuisset, meaeque salutis non modo non oppugnator, (ut inimici mei putarant) sed etiam defensor fuisset, huius in periculo non dolorem meum significarem?

XXXI. 78. Omitto [3] iam plura exempla caussarum amplissimarum, quae sunt innumerabilia. De [4] omnibus enim longum est mihi dicere, praesertim ad alia properanti. Et [5] dixi iam antea, me non omnia, quae in hoc genere essent, enumeraturum: sed electurum ea, quae maxime excellerent. Sed [6] hoc breve dicam, quod [7] paene praeterii.

79. Condemnato [8] Gabinio, C. Rabirius Postumus [9] reus factus est lege Iulia de pecuniis repetundis. Idem [10] erat accusator, C. Memmius: iidem [11] erant, qui in Gabinium sederant, iudices: eratque [12] haec caussa, QUO RA PECUNIA PERVENISSET, quasi quaedam appendicula caussae iudicatae atque damnatae. Primum [13] crimen erat, sena-

---

[1]) pro Plancio c. 31. § 75. — [2]) Ibid. § 76. — [3]) de Orat. I. c. 40. § 181. — [4]) pro Cluentio c. 13. § 36. — [5]) in Verrem Act. II. L. II. c. 33. § 82. — [6]) pro Sextio c. 5. § 12. — [7]) ad Q. fratrem III. 2. § 3. — [8]) pro Rabir. Post. c. 13. c. 38. — [9]) Ibid. c. 5. § 12. — [10]) Ibid. c. 3. § 7. — [11]) Ibid. c. 5. § 10. — [12]) Ibid. c. 4. § 8. — [13]) Ibid. c. 3. § 6.

tum corruptum esse; deinde [1], Postumi impulsu Gabinium profectum Alexandriam, ut [2] regem reduceret; magnam [3] ad Postumum ab eo pecuniam pervenisse; quum [4] Gabinio pecuniam Postumus cogeret ex decumis imperatorum, pecuniam sibi coegisse; pecuniam [5], a Ptolemaeo Gabinio datam, habere et celare; dominatum [6] esse Alexandriae; palliatum [7] fuisse, aliaque habuisse non Romani hominis insignia; dioecesin [8] fuisse regium: hoc [9] enim nomine utitur, qui, a rege constitutus, curationem et quasi dispensationem regium suscepit. 80. Ego [10] autem Postumi caussam, quae cumque esset, ostendi sejunctam esse a senatu, item a Gabinio sejunctam. Non [11] enim reus, ex ea caussa, quae iudicata erat, redundabat Postumus, sed arreptus erat unus eques Romanus de pecuniis repetundis reus ea [12] lege, qua non modo ipse, sed totus etiam ordo solutus erat ac liber. Equites [13] enim senatus liberos hac lege esse voluit, populus numquam alligavit. Quid [14] multa? Pulsus regno Ptolemaeus dolosis consiliis Romam venit. Huic egenti et roganti hic infelix pecuniam credidit: nec tum primum; nam regnanti crediderat absens: nec temere se credere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in regnum restitueretur a senatu populoque Romano. Non [15] igitur latroni, sed regi credidit: nec regi inimico populi Romani, sed ei, cuius reditui consultum a senatu videbat: nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum foedus ferirt in Capitolio viderat. Quod si creditor in culpa sit, non qui improbe est credita pecunia usus: damnetur is, qui

---

[1]) Ibid. c. 8. § 20. — [2]) Ibid. c. 8. § 19. — [3]) Ibid. c. 13. § 37. — [4]) Ibid. c. 11. § 30. — [5]) Ibid. c. 13. § 38. — [6]) Ibid. c. 14. § 39. — [7]) Ibid. c. 9. § 25. — [8]) Ibid. c. 8. § 22. — [9]) Ibid. c. 10. § 28. — [10]) Ibid. c. 3. § 7. — [11]) Ibid. c. 5. § 11. — [12]) Ibid. c. 5. § 12. — [13]) Ibid. c. 7. § 18. — [14]) Ibid. c. 2. § 4. — [15]) Ibid. c. 3. § 6.

fabricatus gladium est et vendidit, non is, qui illo gladio eisem aliquem interemit. 81. In[1] dando autem et credendo processit longius: nec suam solum pecuniam credidit, sed etiam amicorum. Stulte: quis negat? aut quis iam non admonet? Quod male cecidit, bene consultum putasne? Hoc[2] enim plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus, et, cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus. Si exstitisset in rege fides, nihil sapientius Postumo; quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur: ut iam nihil esse videatur, nisi divinare, sapientia. Sed[3] est difficile etiam, quod cum spe magna sis ingressus, id non exsequi usque ad extremum. Supplex erat rex; multa rogabat; omnia pollicebatur: ut iam metuere Postumus cogeretur, ne, quod credidisset, perderet, si credendi constituisset modum. Nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius: ut magis poenitéret coepisse, quam liceret desistere. 82. Sed[4] tamen, si qui iudices illam Postumi sive inanem spem, sive inconsultam rationem sive (ut gravissimo verbo utar) temeritatem, vituperandam putarent, ego eorum opinioni non repugnavi: illud tamen deprecatus sum, ut, quum ab ipsa fortuna crudelissime viderent huius consilia esse multata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppressus erat, addendum acerbitatis putarent. Sio[5] ego fidem, quam potui, praestiti Postumo et reddidi lacrimas, quas debebam: cuius ego in meo casu plurimas videram. Versabatur enim ante oculos luctuosa nox meis omnibus, quum hic totum se cum suis copiis ad me detulit. Quum comitibus, quum praesidio, quum etiam tanto pondere auri,

---

[1]) Ibid. c. 2. § 5. — [2]) Ibid. c. 1. § 1. — [3]) Ibid. c. 2. § 5. — [4]) Ibid. c. 1. § 2. — [5]) Ibid. c. 17. § 47.

quantum tempus illud postulabat, discessum illum sustentasset; numquam hic meis, me absente, liberis, numquam coniugi meae defuit.

XXXII. 83. Accepisti[1], quibus rebus adductus, quamque rem caussamque defenderim: quique meus in republica fuerit pro mea parte capessenda status. De quo sic velim statuas, me haec eadem sensurum fuisse, si mihi integra omnia ac libera fuissent. Nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes, neque delendum, etiamsi id fieri posset, summorum civium principatum, neque permanendum in una sententia, conversis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis, sed temporibus assentiendum. Numquam enim praestantibus in republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio: sed, ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas; quum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem coeperis, potius quam, eo commutato, quo velis, tandem pervenire: sic, quum omnibus nobis in administranda republica propositum esse debeat id, quod a me saepissime dictum est, cum dignitate etiam, non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. 84. Quamobrem, ut paullo ante posui, si fuissent omnia mihi solutissima, tamen in republica non alius fuissem, atque tunc eram. Quum vero in hunc sensum et allicerer beneficiis hominum, et compellerer iniuriis; facile patiebar, ea me de republica sentire ac dicere, quae maxime quum mihi, tum etiam reipublicae rationibus putarem conducere. Nec mihi aliter posse videbar hominum perditorum de me consilia

[1]) Epist. ad Lentulum (ad Fam. I. 9. § 21.)

frangere, nisi cum praesidiis iis, quae semper habui, etiam potentium benevolentiam coniunxissem.

XXXIII. 85. Sed[1] commutata quum esset tota ratio senatus, iudiciorum, rei totius publicae, otium mihi exoptandum erat: nam dignitatem quidem illam consularem fortis et constantis senatoris, nihil erat quod cogitaremus. Amissa erat culpa eorum, qui a senatu et ordinem coniunctissimum et hominem clarissimum abalienarant. Quibus[2] in rebus tenui me, ut puto, egregie, tantum ut facerem, quantum omnes boni probarent. Et in omni summa valde me ad otium pacemque converti. Nam[3] cogitanti mihi saepenumero et memoria vetera repetenti perbeati fuisse illi videri solebant, qui in optima republica, quum et honoribus et rerum gestarum gloria florerent, eum vitae cursum tenere potuerant, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. 86. Ac fuit quidem, quum mihi quoque initium requiescendi atque animum ad praeclara studia referendi fore iustum et prope ab omnibus concessum arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum etiam aetatis flexu constitisset. Quum spem cogitationum et consiliorum meorum quum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. Nam, qui locus quietis et tranquillitatis pleniissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum et turbulentissimae tempestates exstiterunt. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas et recolendas. Nam prima aetate incidimus in ipsam per-

---

[1]) Epist. ad Lentulum (ad Fam. I. 8. § 4.) — [2]) ad Q. fratrem III. 5 & 6. § 5. — [3]) de Orat. I. 1. § 1.

turbationem disciplinae veteris, et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen; et hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi in nosmetipsos redundarant.

XXXIV. 87. Sed tamen in eis vel asperitatibus rerum vel angustiis temporis obsequebar studiis nostris et, quantum mihi vel fraus inimicorum vel caussae amicorum vel respublica tribuebat otii, ad scribendum potissimum conferebam. Scripsi[1] igitur (nam ab orationibus diiungebam me fere, referebamque ad mansuetiores Musas, quae me maxime, sicut iam a prima adolescentia, delectabant) scripsi igitur Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore; qui[2] diu multumque in manibus fuerunt; sed[3] quos arbitror Romanae iuventuti fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum et Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam complectuntur. 88. In[4] his libris eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. Puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. Sed[5] eo feci libentius, ut eum sermonem, quem Crassus et Antonius quondam inter se de his rebus habuissent, mandarem litteris; vel ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse; vel ut ea, quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem litteris, si ullo modo assequi

[1]) Epist. ad Lentulum (ad Fam. I. 9. § 23.) — [2]) ad Att. IV. 13. § 2. — [3]) Epist. ad Lentulum (ad Fam. I. 9. § 23.) — [4]) ad Att. XIII. 19. § 4. — [5]) de Orat. II. 2. § 7.

complectique potuissem; vel mehercule etiam, ut laudem eorum iam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum: sed quum alter non multum, (quod quidem exstaret) et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset; deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem rederem, si possem. 89. Scaevolae [1] autem personam, quam Atticus meus in iis libris desiderabat, non temere dimovi; sed feci idem, quod in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. Quum in Piraeeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde quum ipse quoque commodissime locatus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego satius hoc mihi cavendum putavi in Scaevola; qui et aetate et valetudine erat ea et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus a Scaevolae studiis. Reliqui libri τεχνολογίαν habent. Huic ieculatorem senem illum interesse sane nolui.

XXXV. 90. Scripsi [2] etiam versibus tres libros de temporibus meis, qui testes sunt, et erunt, sempiterni quum Lentuli erga me meritorum, tum meae pietatis. Tanta [3]

---

[1]) ad Att. IV. 16. a. § 3. — [2]) Epist. ad Lentulum (ad Fam. I. 9. § 23.) — [3]) Ibid. I. 1. § 1.

enim magnitudo est huius erga me meritorum, ut, si [1] vitam pro ipsius dignitate profundam, nullam partem videar meritorum eius assecutus. Ergo [2] istam partem vitae consuetudinisque nostrae totam ad hunc detuli: et, quantum litteris, quantum studiis, veteribus nostris delectationibus, consequi poterimus, id omne ad arbitrium huius libentissime conferemus, qui haec semper amavit, et [3] qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis est cognitus. Quamobrem [4] huius quidem caussa, hunc esse imperatorem provinciamque bene gestis rebus cum exercitu victore obtinere, ut debui, laetatus sum. 91. Atque [5] hos quidem libros iam pridem ad ipsum misissem, si esse edendos putassem: sed verebar, non eos, qui se laesos arbitrarentur, (etenim id feci parce et molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. Quamquam [6] facile me consolabatur recordatio meorum temporum; quorum imaginem videbam in rebus Lentuli. Nam etsi minore in re violabatur huius dignitas, quam mea afflicta erat, tamen magna erat similitudo. In [7] hoc enim, homine omnium nobilissimo, similia invidorum vitia perspexi, similimamque [8] in re dissimili, utriusque nostrum temporis rationem: ut, quos ipse reipublicae caussa laeserat, palam ipsum oppugnarent; quorum auctoritatem, dignitatem voluntatemque defenderat, non tam memores essent virtutis, quam laudis inimici. Gaudebam [9] tamen dissimilem fuisse fortunam: multum enim interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur.

XXXVI. 92. Itaque [10], ex republica quoniam nihil iam

---

[1]) Ibid. I. 4. § 3. — [2]) Ibid. I. 9. § 23. — [3]) Ibid. I. 6. § 2. — [4]) Ibid. I. 9. § 2. — [5]) Ibid. § 23. — [6]) Ibid. I. 6. § 2. — [7]) Ibid. I. 7. § 8. — [8]) Ibid. § 2. — [9]) Ibid. § 8. — [10]) ad Q. fratrem III. 9. § 2.

voluptatis capi poterat, litterae me et studia nostra et otium villaeque delectabant. Et[1] quum essem in Cumano, scribere institui illa[2] πολιτικά: spissum sane opus et operosum; nam[3] quae de optima republica sentiremus, in sex libris diximus: in[4] quibus persuadet Africanus, omnium rerumpublicarum nostram veterem illam fuisse optimam, quae[5] ex tribus generibus illis, regali et optimati et populari confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia praetermittendo, licentia cives deteriores reddat. 95. Saepe[6] autem scribendi totum consilium rationemque mutavi. Nam iam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis, quae fuerunt Tuditano et Aquilio consulibus, sermo est a me institutus Africani, paullo ante mortem, et Laelii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis et Laelii generorum, Fannii et Scaevolae; sermo autem in novem et dies et libros distributus de optimo statu civitatis et de optimo cive; sane texebatur opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. Hi libri quum in Tusculano mihi legerentur audiente Salustio, admonitus sum ab illo, multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de republica, praesertim quum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus in republica rebus essem. Quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse. Oratorium sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse; ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem: Aristotelem denique, quae de republica et praestante viro

---

1) ad Q. fratrem III. 5 & 6. § 1. — 2) Ibid. II. 14. § 1. — 3) de Legib. III. c. 2. § 4. — 4) Ibid. II. c. 10. § 23. — 5) de Rep. II. c. 23. § 41. — 6) ad Q. fratrem III. 5 & 6. § 1.

scribat, ipsum loqui. 94. Commovit me quidem Salustius, et eo magis, quod maximos motus nostrae civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum aetas, qui loquebantur: ut [1] in oratoriis dialogis non mentio potuit fieri cuiusquam ab iis, qui disputant, nisi eius, qui illis notus aut auditus esset. Et [2] tamen illa, quae institueram, non reliqui; sed id ipsum secutus sum, ne, in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam.

XXXVII. 95. Et [3], quoniam scriptum erat a me de optimo Reipublicae statu, consequens esse videbatur, ut scriberem ego idem de Legibus: sic enim fecisse video Platonem illum meum, quem admiror, quem omnibus antepono, quem maxime diligo. Igitur, ut ille Crete cum Clinia et cum Lacedaemonio Megillo, aestivo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Cnosiorum et spatiis silvestribus, crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerumpublicarum ac de optimis legibus disputat; sic nos cum Quinto fratre et Attico inter procerissimas Arpini populos, in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes, quaesivimus iisdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat. Et recte quidem: nam sic habetote, nullo in genere disputandi, nisi hoc, patefieri, quid sit homini tributum natura; quantam vim rerum optimarum mens humana contineat; cuius muneris colendi efficiendique caussa nati et in lucem editi simus; quae sit coniunctio hominum; quae naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis, fons legum et iuris inveniri potest. 96. Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc,

---

[1]) ad Att. IV. 16. a. § 2. — [2]) ad Q. fratrem III. 5 & 6. § 2. — [3]) de Legib. I. 5. § 15.

neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putavi. Non enim id quaerebamus hoc sermone, quemadmodum caveamus in iure, aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est; quae quondam a multis claris viris, nunc ab uno Servio Sulpicio summa auctoritate et scientia sustinetur: sed nobis ita complectenda erat in hac disputatione tota caussa universi iuris ac legum, ut hoc civile, quod dicimus, in parvum quemdam et angustum locum concluderetur. Natura enim iuris explicanda erat nobis, eaque ab hominis repetenda natura; considerandae leges, quibus civitates regi debeant; tum haec tractanda, quae composita sunt et descripta, iura et iussa populorum; in quibus ne nostri quidem populi latebant quae vocantur iura civilia. 97. Quoniam[1] vero eius reipublicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus erat nobis et servandus status, omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus, serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda; repetendam putavi stirpem iuris a natura, qua duce errari nullo pacto potest. Etenim[2] certe res ita se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui; aut naturam sequi et eius quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur. Quamobrem[3] igitur equidem nec Lycurgi leges, nec Solonis, neque Charondae, neque Zaleuci, nec nostras XII tabulas, nec plebiscita desiderabam: sed existimavi quum populis, tum etiam singulis hoc sermone leges vivendi et disciplinam dari oportere. Leges[4] autem a me editae sunt

---

[1]) Ibid. I. c. 6. § 20. — [2]) Ibid. c. 21. § 56. — [3]) Ibid. c. 22. § 57. — [4]) Ibid. II. c. 7. § 18.

non perfectae; nam esset infinitum; sed ipsae summae rerum atque sententiae.

Sed[1], si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus, nunc[2] id agamus, quod coepimus. Itaque[3] pergam ad cetera; de[4] quibus dicere aggrediar, si pauca prius de sacerdotio meo dixero.

XXXVIII. 98. Quo[5] tempore M. Crassus, interfecto Publio filio exercituque delecto, trans Euphratem cum ignominia et dedecore periit, me[6] augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt: neque enim licebat a pluribus nominari. In[7] quo amplissimi sacerdotii collegio non modo amicitiam violari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. 99. Sed[8] omnes magistratus sine repulsa me assecutum, licet mihi vere cum gloria praedicare. Omnes enim honores populus Romanus mihi ipsi, homini novo, detulit. Me quum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum omnibus suffragiis populus Romanus faciebat; homini illo honorem, non generi; moribus, non maioribus meis; virtuti perspectae, non auditae nobilitati deferebat. Nam quid ego de consulatu loquar? In[9] quo, sicut in reliqua vita fateor, ea me studiose secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se numquam putavi expetendam. Itaque et provinciam ornatam et spem non dubiam triumphi neglexi. Sacerdotium denique, quum non difficillime consequi possem, non appetivi. 100. Idem,

---

[1]) Ibid. I. c. 21. § 56. — [2]) Ibid. c. 22. § 57. — [3]) ad Att. IV. 16. a. § 1. — [4]) de Offic. II. c. 1. § 1. — [5]) de Divinat. II. c. 9. § 22. — [6]) Phil. II. c. 2. § 4. — [7]) Epist. ad App. Pulchrum (ad Fam. III. 10. § 9.) — [8]) in Pison. c. 1. § 2. — [9]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 13.)

[illegible] meus reipublicae ca-
[illegible] meam non modo non
[illegible] studui quam ornatissima
[illegible] me iudicia intercedere. Ita-
[illegible], quod antea neglexeram.
[illegible] maiori fructui gloriaeque
[illegible] ex omnibus rebus humanis est
[illegible], quam de republica bene me-
[illegible] auguris, meminisse, se maximis
[illegible] praesto esse debere; Iovique Optimo
[illegible] atque administrum datum, ut sibi
[illegible] esse iusserit; caelique partes sibi divinitus
[illegible], e quibus saepe opem reipublicae ferre possit.

[illegible] 101. Maximum[3] igitur et praestantissimum [illegible]publica ius est augurum et cum auctoritate coniunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, [illegible] quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur ALIO DIE dixerit? quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare aut non dare? quid? legem, si non iure rogata est, tollere? — ut Titiam de decreto collegii; ut Livias, consilio Philippi, consulis et auguris: — nihil domi, nihil militiae per magistratus gestum sine eorum auctoritate posse comprobari?

---

1) Epist. ad Plancum (ad Fam. X. 5. § 2.) — 2) de Legib. III. c. 19. § 43. — 3) de Legib. II. c. 12. § 31.

102. Quis[1] porro non videt, in optima quaque republica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse? Quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur praedictione divina? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis, quo maius erat certamen et discrimen salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi. Externa videamus. Namque et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις vocant, adhibuerunt: et Lacedaemonii regibus suis augurem assessorem dederunt; itemque senibus (sic enim consilium publicum appellant) augurem interesse voluerunt: iidemque de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Ammone aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum rempublicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Quas quum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam, qui praerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaae fano, quod est in agro propter urbem, somniandi caussa incubabant, quia vera quietis oracula dabebant.

XL. 105. Ad nostra iam redeo. Quoties senatus decemviros ad libros ire iussit! quantis in rebus, quamque saepe responsis haruspicum paruit! Nam et quum duo visi soles essent, et quum tres lunae, et quum faces, et quum sol nocte visus esset, et quum e caelo fremitus auditus, et quum caelum discessisse visum esset atque in eo animadversi globi. Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaque maximis terrae motibus conquassata esset: quibus porten-

[1]) de Divinat. I. c. 43. § 95.

tis magna populo Romano bella perniciosaeque seditiones denuntiabantur. Inque his omnibus responsa haruspicum cum Sibyllae versibus congruebant. 104. Quid? quum Cumis Apollo sudavit, Capuae Victoria? quid? ortus androgyni, nonne fatale quoddam monstrum fuit? quid? quum fluvius atratus sanguine fluxit? quid? quum saepe lapidum, sanguinis nonnumquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber defluxit? quid? quum in Capitolio ictus Centaurus de caelo est, in Aventino pertae et homines? Tusculi aedes Castoris et Pollucis, Romaeque Pietatis? nonne et haruspices ea responderunt, quae evenerunt, et in Sibyllae libris eaedem repertae praedictiones sunt?

XLI. 105. Iam[1] vero permultorum exemplorum et nostra est plena respublica et omnia regna omnesque populi omnetaeque gentes, augurum praedictis multa incredibiliter vera cecidisse. Quis[2] enim est, quem non moveant clarissimis monumentis testata consignataque antiquitas? Calchantem augurem scribit Homerus longe optimum, eumque ducem classis fuisse ad Ilium, auspiciorum credo scientia, non locorum. Amphilochus et Mopsus Argivorum reges fuerunt, sed iidem augures: iique urbes in ora maritima Ciliciae Graecas condiderunt. Atque etiam ante hos Amphiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri, neque eorum similes, at apud Ennium est,

qui sui quaestus causa ficta sascitant sententias,

sed clari et praestantes viri, qui avibus et signis admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam apud inferos Homerus ait, solum sapere, ceteros umbrarum vagari modo. Amphiaraum autem sic honoravit fama Graeciae,

---

[1]) de Legib. II. c. 13. § 33. — [2]) de Divinat. I. c. 40. § 87.

deus ut haberetur, atque ut ab eius solo, in quo est natus, oracula peterentur. 106. Quid? Asiae rex Priamus nonne et Helenum filium et Cassandram filiam divinantes habebat, alterum augurio, alteram mentis incitatione et permotione divina? Quo in genere Marcios quosdam fratres, nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse peritos videmus. Quid? Polyidum Corinthium nonne Homerus et aliis multa, et filio ad Troiam proficiscenti mortem praedixisse commemorat? Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. Ut enim sapere, sic divinare regale ducebant. Testis est postea civitas, in qua et reges augures, et postea privati eadem sacerdotio praediti rempublicam religionum auctoritate rexerunt. 107. Eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est: si quidem et in Gallia Druidae sunt, qui et naturae rationem, quam physiologiam Graeci appellant, notam esse sibi profitentur, et partim auguriis, partim coniectura, quae sint futura, dicunt; et in Perside reguntur et divinant Magi, qui congregantur in fano commentandae causae atque inter se colloquendi: quod etiam ipsum nos quondam facere Nonis solebamus. Nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam sapientiamque perceperit. 108. Licet autem videre et genera quaedam et nationes huic scientiae dedita. Telmessus in Caria est: qua in urbe excellit haruspicum disciplina. Iemque Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Clytiadarum; haruspicinae nobilitate praestantes. In Syria Chaldaei cognitione astrorum solertiaque ingeniorum antecellunt. Etruria autem de caelo tacta scientissime animadvertit; eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus, tum, quum flo-

[illegible] principum filiis sex sin-[illegible] traderentur, ne ars [illegible] a religionis auctoritate [illegible] quaestum. Phryges autem [illegible] natio avium significationi-[illegible]: quod idem factitatum in Um-[illegible]

[illegible] dubium non est, quin haec disciplina [illegible] iam et vetustate et negligentia [illegible], qui hanc scientiam negant umquam [illegible] fuisse, neque illis, qui esse etiam nunc [illegible] mihi videtur apud maiores fuisse duplex, ut [illegible] tempus nonnunquam, ad agendi consi-[illegible] pertineret. Ego² vero habeo auctores ac [illegible] religionum colendarum eosdem maiores nostros: [illegible] mihi tanta fuisse sapientia videtur, ut satis super-[illegible] prudentes sint, qui illorum prudentiam non dicam [illegible], sed quanta fuerit, perspicere possint: qui statas [illegible]que caerimonias pontificatu, rerum bene gerenda-rum auctoritates augurio, fatorum veteres praedictiones Apollinis vatum libris, portentorum explanationes Etrusco-rum disciplina contineri putarunt: quae quidem tanta est, ut nostra memoria primum Italici belli funesta illa prin-cipia, post Sullani Cinnanique temporis extremum paene discrimen, tum hanc recentem Urbis inflammandae delen-dique imperii coniurationem non obscure nobis paullo ante praedixerint. 110. Nam³ mihi quidem App. Claudius augur consuli nuntiavit, addubitato Salutis augurio, bellum do-

¹) de Legib. II. c. 13. § 33. — ²) de Harusp. resp. c. 9. § 18. — ³) de Divinat. I. c. 47. § 105.

mesticum triste ac turbulentum fore: quod, paucis post mensibus exortum, paucioribus a me est diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer assentior. Solus enim multorum annorum memoria, non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam. Quem irridebant collegae sui, eumque tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant: quibus nulla videbatur in auguriis aut auspiciis praesensio aut scientia veritatis futurae; sapienter, aiebant, ad opinionem imperitorum esse fictas religiones. Quod longe secus est: neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus praefuit, nec in ipso Romulo haec calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudinis religionis simulacra fingerent. Sed difficultas laborque discendi disertam neglegentiam reddidit. Malunt enim disserere, nihil esse in auspiciis, quam, quid sit, ediscere.

Sed [1] haec hactenus. Pluribus enim fortasse verbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quae in Officia a me facta quaeque instituta sunt, cognosces

[1]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 10. § 11.)

LIBER SEPTIMUS.

1. Quum[1] et contra voluntatem meam et praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset, Sulpicio et Marcello consulibus[2], scripsi ad Appium Pulchrum, maximo[3] opere, pro nostra summa coniunctione ipsiusque singulari humanitate, etiam atque etiam ab eo petens, ut, quibuscumque rebus posset, prospiceret et consuleret rationibus meis; et[4] quae successori coniunctissimo et amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit, ut ea, pro nostra consociatissima voluntate, cura ac diligentia sua complecteretur: ut omnes intelligerent, nec me benevolentiori cuiquam succedere, nec ipsum amiciori potuisse provinciam tradere. 2. Sed[5] est incredibile, quam me negotii taederet. Non habebat satis magnum campum ille meus non ignotus cursus animi, et industriae meae praeclara opera cessabat. Quippe; ius Laodiceae me dicere, quum Romae A. Plotius diceret? et quum exercitum Cassius haberet tantum, me nomen habere

[1]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 2. § 1.) — [2]) ad Att. V. 21. § 9. — [3]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 2. § 1.) — [4]) Ibid. III. 3. § 1. — [5]) ad Att. V. 15. § 1.

duarum legionum exilitatem? Denique haec non desiderantur; lucem, forum, Urbem, domum, amicos desiderabam. Dici [1] non potest, quam invitus ab his abessem. Clitellae [2] bovi erant impositae, plane non erat nostrum onus. O [3] rem minime aptam meis moribus! O illud verum, ἔρδοι τις —! Bene [4] enim illo proverbio Graecorum praecipitur,

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat!

3. Omnis [5] igitur peregrinatio (quod ego ab adolescentia iudicavi) obscura et sordida est iis, quorum industria Romae potest illustris esse. Quod quum probe scirem, utinam in sententia permansissem! Non [6] dicam plura. Illud tamen dicam, ut sentio, quod [7] non modo mihi, ad quem pertinebat, sed universo senatui venerat in mentem, praesidio firmiori opus esse ad istam provinciam. Censebant enim omnes fere, ut in Italia supplementum meis et Bibuli legionibus scriberetur. Id quum Sulpicius consul passurum se negaret, multa nos quidem questi sumus: sed tantus consensus senatus fuit, ut mature proficisceremur, parendum ut fuerit. Itaque fecimus.

II. 4. In [8] multis autem et variis molestiis cogitationibusque meis haec una consolatio occurrebat, quod [9] sperabam non longiorem annua fore hanc ingentem molestiam; quamquam hoc me ita velle multi non credebant ex consuetudine aliorum. Quare [10] in Cumano quum essem, venissetque ad me, quod mihi pergratum fuit, noster Hortensius, ei deposcenti mea mandata, cetera universe mandavi, illud proprie, ne pateretur, quantum esset in ipso,

---

1) ad Att. V. 17. § 5. — 2) Ibid. V. 15. § 3. — 3) Ibid. V. 10. § 3. — 4) Tusc. I. c. 18. § 41. — 5) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 12. § 2.) — 6) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 2. § 6.) — 7) Ibid. III. 3. § 1. — 8) Ibid. III. 2. § 1. — 9) ad Att. V. 2. § 3. — 10) Ibid. § 1.

[illegible] diligentissime [illegible] se,
[illegible] Confirmavi [illegible] ad
[illegible]i, quem ad annum
[illegible] minimam praeterea mul-
[illegible] o quasi pusillam. Re-
[illegible]
[illegible] in eo contenderent, ne quid
[illegible] senatus et populus
[illegible] prorogaretur [illegible]
[illegible] locis positus putarem.

[illegible] facere institui a. d. VI. Id.
[illegible] proficiscens [illegible] in
[illegible] Nondum enim satis mihi erat
[illegible] de auctoritate perscripta
[illegible] de Transpadanis [illegible]
[illegible] magnos motus timebat. In oppidis
[illegible] timorem propter [illegible]
[illegible] multa inania. Beneventum veni a. d. VIII. Id.
[illegible] binas accepi Attici litteras: quarum alteras Fu-
[illegible] mihi dedit, alteras [illegible] Tullius.
[illegible] erat mihi Attici [illegible] primo [illegible]
[illegible] quid novi [illegible]
[illegible] ne plus [illegible] Nec dici [illegible]
[illegible] quam [illegible] desiderio Urbis, [illegible]
[illegible] Idibus [illegible]
[illegible] profectus, Ferentinum veni a. d. XV. Kalend. Iun.

1) ad Att. V. 17. § 5. — 2) Ibid. V. 2. § 1. — 3) Epist. ad C. Cassium (ad Fam. XV. 14. § 5.) — 4) Epist. ad Senatum (ad Fam. XV. 2. § 8.) — 5) ad Att. VI. 2. § 1. — 6) Ibid. § 3. — 7) Ibid. V. 3. § 1. — 8) Ibid. V. 4. § 1. — 9) Ibid. V. 1. § 1. — 10) Ibid. V. 11. § 1. — 11) Ibid. V. 5. § 1. — 12) Ibid. V. 6. § 1.

Quod Pomptinum statueram exspectare, commodissimum duxi, dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere: eoque magis, quod ei gratum esse id videbam, qui etiam a me petierit, ut secum et apud se essem quotidie; quod concessi libenter. Multos enim eius praeclaros de republica sermones accepi; instruebar etiam consiliis idoneis ad hoc nostrum negotium. Sed quum triduum cum Pompeio et apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brundisium a. d. [illegible] Kal. Iunias, civemque illum egregium relinquebam, et ad ea, quae timebantur, propulsanda paratissimum.

IV. 9. A.[2] d. xi. Kalendas Iunias Brundisium quum venissem, Q. Fabius mihi praesto fuit, legatus Appii Pulchri, qui[3] eius litteris, quarum ad me exemplum miserat, quas in senatu recitari volebat, ego intellexeram, permultos esse milites dimissos. Sed mihi Fabius demonstravit, Appium id cogitasse facere, sed, quum ipse ab hoc discederet, integrum militum numerum fuisse. Scripsi igitur, pergratum mihi futurum esse, Appium si istas exiguas copias, quas haberet, quam minime imminueret.[4] 10. Sed me et incommoda valetudo et Pomptini exspectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenuit multos dies Brundisii. Quibus[5] diebus quum loquerer cum Phania, Appii liberto, veni in eum sermonem, ut dicerem, libenter me ad eam partem provinciae primum esse venturum, quo ipsum maxime velle arbitrarer. Tunc mihi ille dixit, quod classe vellet decedere, per fore accommodatum ipsi, si ad Sidam navibus accessissem. Dixi me esse facturum: itaque fecissem, nisi mihi L. Clodius noster postea Corcyrae dixisset,

---

[1]) ad Att. V. 7. — [2]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 3. § 1.) — [3]) Ibid. § 2. — [4]) ad Att. V. 8. § 1. — [5]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 5. § 3.)

minime id esse faciendum: Appium Laodiceae fore ad meum adventum. Erat id mihi multo brevius multoque commodius, quum praesertim ipsum ita malle arbitrarer. 11. Actium [1] venimus a. d. XVII. Kal. Quint., quum quidem et Corcyrae et Sybotis, muneribus Attici, quae et Areus et meus amicus Eutychides opipare et φιλοπροσηνέστατα nobis congesserant, epulati essemus Saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissime navigassemus: et Leucatam flectere molestum videbatur. Actuariis autem minutis Patras accedere sine his impedimentis, non satis visum erat decorum.

V. 12. Ut [2] Athenas a. d. VI. Kal. Quint. veneram, exspectabam ibi iam quartum diem Pomptinium; neque de eius adventu certi quidquam habebam. Valde [3] me Athenae delectarunt; urbs dumtaxat, et urbis ornamentum, et hominum amores in Atticum nostrum, et in nos quaedam benevolentia. Sed multum et philosophia. Eram autem apud Aristum: nam Xenonem nostrum Quinto concesseram. Et tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus iunctim. 13. Nos [4] adhuc iter per Graeciam summa cum admiratione fecerunt; nec mehercule habuerant, quod adhuc quem accusarem meorum. Videbantur mihi nosse nos, nostram causam et conditionem profectionis suae. Plane serviebant existimationi meae. Nam [5] adhuc sumptus nec in me aut publice aut privatim, nec in quemquam comitum: nihil acceptum lege Iulia, nihil ab hospite: persuasum erat omnibus meis, serviendum esse famae meae. Belle adhuc. Hoc animadversum, Graecorum laude et multo

[1]) ad Att. V. 9. § 1. — [2]) Ibid. V. 10. § 1. — [3]) Ibid. § 5. — [4]) Ibid. V. 11. § 5. — [5]) Ibid. V. 10. § 2.

sermone celebrabatur. Ego[1] autem, ut saepe Atticus me currentem hortatus erat, quotidie meditabar, praecipiebam meis, faciebam denique, ut summa modestia et summa abstinentia munus hoc extraordinarium traduceremus. 14. Pridie[2] Nonas Quint. proficiscebar Athenis, quum ibi decem ipsos fuissem dies. Venerat Pomptinus; una Cn. Volusius; aderat quaestor; unus Tullius aberat. Ἄφρακτα Rhodiorum, et δίκροτα Mytilenaeorum habebam, et aliquid ἐπιβατικόν. Negotium[3] magnum erat navigare, atque id mense Quintili. Igitur sexto decimo die Delum Athenis venimus: nam pridie Nonas Quint. a Piraeeo ad Zostera, vento molesto, qui nos ibidem Nonis tenuit. A. d. VIII. Idus ad Ceo incolumes. Inde Gyarum saevo vento, non adverso: hinc Scyrum, inde Delum, utroque citius, quam vellemus, cursum confecimus. Imbecilla sunt ἄφρακτα Rhodiorum: et nihil, quod minus fluctum ferre possit. Itaque erat in animo nihil festinare, Delo nec movere, nisi omnia ἀκρω-[illegible] [illegible] vidissem.

VI. 15. Ephesum[4] venimus a. d. XI. Kal. Sext. Navigavimus sine timore et sine nausea; sed tardius, propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. Concursus legationum, privatorum et incredibilis multitudo mihi iam Sami, sed mirabilem in modum Ephesi praesto fuit. Decumani, ac si venissem cum imperio, Graeci quasi Ephesio praetori se obviam obtulerunt; qua[5] celebritate nihil me umquam delectavit magis. Tum[6] triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum, familiariter mecum fuit Q. Mucius P. F. Scaevola, is, a quo Appius petierat, ut, dum ipse abesset,

[1]) Ibid. V. 9. § 1. — [2]) Ibid. V. 11. § 4. — [3]) Ibid. V. 12. § 1. — [4]) Ibid. V. 13. § 1. — [5]) Ibid. V. 20. § 1. — [6]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 5. § 5.)

ante adventum meum provinciae praesset: nec tamen ex eo quidquam audivi, quod sibi ab Appio mandatum diceret. Ac sane velim potuisset obsequi voluntati huius: non enim arbitror soluisse. Cui[1] quidem Scaevolae hoc contigit, ut soles novem menses Asiae praefuerit. Ex[2] huius autem edicto Asiatico multa sum secutus; in iis illud, in quo mihi libertatem concedebant Graeci, datum, ut Graeci inter se disceptarent suis legibus. 16. Eodem[3] die cum Thermo propraetore, de re M. Annaei, legati mei, locutus sum, quem cum Sardianis habere controversiam sciebam. Quum enim me non fugeret, quanta esset in praetore auctoritas, praesertim ista integritate, gravitate, clementia, qua ipsum esse inter omnes constabat; petii ab eo, pro nostra coniunctissima necessitudine plurimisque officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, studio suo omnibus in rebus M. Annaeio commodaret. Haec[5] enim tanti faciebam, ut mihi nihil putarem praetermittendum, quod illius interesset. Nam quum iam diu diligerem M. Annaeum, deque eo sic existimarem, ut res declarat, quod ultro ei detulerim legationem, quam multis potentibus denegassem; tum vero, postquam mecum in bello atque in re militari fuit, cognitum in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem plurис faciam.

VII. 17. Ephesi[6] quoque quum me in Ciliciam proficiscentem exspectavisset P. Nigidius, Romam ex legatione ipse decedens, venissetque eodem Mitylenis mei salutandi et visendi causa Cratippus, Peripateticorum eruditissimus,

---

[1]) ad Att. V. 17. § 5. — [2]) Ibid. VI. 1. § 15. — [3]) Epist. ad Thermum (ad Fam. XIII. 55. § 1.) — [4]) Ibid. § 2. — [5]) Ibid. § 1. — [6]) Timaeus s. de Universo c. 1. § 2.

quos quidem ego audiverim, meo iudicio facile princeps; perhibentur et Nigidium vidi, et Cratippum cognovi. Ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percontatione consumpsimus. Fuit[1] enim Nigidius quum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur. Denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodammodo, quum aliquot secula in Italia Siciliaque viguisset, hunc exstitisse, qui illam renovaret. 18. Nullo[2] tamen aeque[3] ex provincia mea Ciliciensi familiariter usus sum, quam Andronico Artemonis filio, Laodicensi, eumque habui in eo itinere quasi hospitem, hominem vehementer ad meae vitae rationem et consuetudinem accommodatum. Quem quidem multo etiam pluris postea, quam decessi, feci saepius, quod multis rebus expertus sum gratum hominem meique memorem. Itaque eum Romae libentissime vidi.

VIII. 19. Laboriose iter aestuosa et pulverulenta via, Tralles veni a. d. VI. Kalend. Sextiles. Ibi mihi praesto fuit L. Lucilius cum litteris mandatisque Appii; quo quidem homine neminem potuit idoneum mihi amiciorem, nec (ut arbitror) ad ea cognoscenda, quae scire volebam, aptiorem prudentioremve mittere. Ego autem et Appii litteras legi libenter et audivi Lucilium diligenter. Scripserat enim hisce litteris Appius, se omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi succederet praestitueretque et praepararet quodammodo omnia, quo mea ratio facilior et solutior esse posset. Praeterea[5] haec, quae vellem, mihi affere-

---

[1]) Ibid. § 1. — [2]) Epist. ad P. Servilium (ad Fam. XIII. 67. § 1.) — [3]) ad Att. V. 14. 1. — [4]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 5. § 1.) — [5]) ad Att. V. 14. § 1.

bantur: primum otium Parthicum, dein confectae pactiones publicanorum, postremo seditio militum sedata ab Appio, stipendiumque eis usque ad Idus Quint. persolutum. 20. Inde[1] oppidis iis, qua iter erat, mirabiliter acceptus, Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus: ut[2] nimis me Asia accepit admirabiliter. Adventus noster nemini ne minimo quidem fuit sumptui. Sperabam meos omnes servire laudi meae. Tamen magno timore eram: sed bene sperabamus. Omnes iam nostri praeter Tullium venerant. Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, aestivos menses reliquos rei militari dare, hibernos iurisdictioni. 21. Cicerones[3] autem interea nostros Deiotarus filius, qui rex ab senatu appellatus est, secum in regnum. Dum in aestivis nos essemus, illum pueris locum esse bellissimum duximus, unde[4] quum opus esset, deducerentur Rhodum. Pueri[5] amabant inter se, discebant, exercebantur; sed alter, uti dixit Isocrates in Ephoro et Theopompo, frenis egebat, alter calcaribus. Dionysius, magister[6] Ciceronum, mihi[7] quidem tum adhuc in amoribus erat, pueri autem aiebant, eum furenter irasci. Sed homo nec doctior, nec sanctior fieri poterat, nec mei amantior: quem[8] quidem cognovi quum doctum, quod mihi iam ante erat notum, tum sane plenum officii, studiosum etiam meae laudis, frugi hominem, ac, ne libertinum laudare videar, plane virum bonum.

IX. 22. Maxima[9] igitur exspectatione in perditam et plane eversam in perpetuum provinciam venimus pridie Kal. Sextiles. Laodiceae[10] morati biduum, perillustres

---

1) ad Att. V. 20. § 1. — 2) Ibid. V. 14. § 2. — 3) Ibid. V. 17. 3. — 4) Ibid. V. 18. § 4. — 5) Ibid. VI. 1. § 12. — 6) Ibid. VIII. 10. — 7) Ibid. VI. 1. § 12. — 8) Ibid. VII. 4. § 1. — 9) Ibid. V. 16. § 2. — 10) Ibid. V. 20. § 1.

fuimus, honorificisque verbis omnes iniurias revellimus superiores. Quod idem, dein Apameae quinque dies morati, et Synnadis triduum, Philomelii quinque dies, Iconii decem, fecimus. Quibus [3] in oppidis quum magni conventus fuissent, multas civitates acerbissimis tributis et gravissimis usuris et falso aere alieno liberavi. Nihil [4] ex iurisdictione aequabilius, nihil lenius, nihil gravius. Audivimus [5] nihil aliud, nisi imperata ἐπικεφάλια solvere non posse, ὠνὰς omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monstra quaedam non hominis, sed ferae nescio cuius immanis. Quid quaeris? taedebat omnino eos vitae. §. 23. Levabantur tamen miserae civitates, quod nullus fiebat sumptus in nos, neque in legatos, neque in quaestorem, neque in quemquam. Scito, non modo nos foenum, aut quod lege Iulia dari solet, non accepisse, sed ne ligna quidem, nec praeter quattuor lectos et tectum quemquam accepisse quidquam, multis locis ne tectum quidem, et in tabernaculo mansisse plerumque. Itaque incredibilem in modum concursus fiebant ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. Nihil exspectatius adventu meo, nihil carius.

§. 24. Haec quaedam amici Appii ridicule interpretabantur, qui me idcirco putarent bene audire velle, ut ille male audiret, et recte facere non meae laudis, sed illius contumeliae caussa. Quibusdam [6] etiam visum est, edictum meum quasi consulto ad istius legationes impediendas esse accommodatum. Nam non tam mihi videbantur iniuriam facere, si qui haec disputabant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patebant. Breve [7] autem edictum erat

---

1) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 2.) — 2) ad Att. V. 20. § 1. — 3) Ibid. V. 16. § 2. — 4) Ibid. V. 15. § 1. — 5) Ibid. VI. 1. § 2. — 6) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 8. § 3.) — 7) ad Att. VI. 1. § 15.

propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putavi: quorum unum erat provinciale, in quo fuit de rationibus civitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis: alterum, quod sine edicto satis commode transigi non poterat, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, (magistris faciendis) vendundis; quae ex edicto et postulari et fieri solent. Tertium, de reliquo iure dicundo, δεύτερον reliqui. Dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum; itaque curabam et satisfaciebam omnibus. Graeci vero exsultabant, quod peregrinis iudicibus utebantur. 25. Romae [1] composueram edictum: in provincia nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, quum Sicyonem ad me venissent, ut de Appii edicto tabellam verbis tralatis ferrem in meum. Diligentissime scriptum erat caput, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum: quo in capite erant quaedam nova, salutaria civitatibus, quibus ego magno opere delectabar. Haec vero, ex quo suspicio nata erat, me exquisisse aliquid, in quo Appium offenderem, tralatitium erat. Genus [2] institutorum et rationum meorum dissimilitudinem nonnullam habebat cum illius administratione provinciae. Ex eo quidam suspicati fortasse sunt, animorum contentiones, non opinionum dissensione, me ab eo discrepare. Nihil autem feci unquam neque dixi, quod contra illius existimationem esse vellem. 26. Nam [3], quod ad legatos attinet, quid a me fieri potuit aut elegantius aut iustius, quam ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem, sine ulla imminutione dignitatis Appii, praesertim ipsis civitatibus postulantibus?

---

[1]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 8. § 4.) — [2]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 13. § 2.) — [3]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 8. § 2.)

Nam mihi totum genus legationum, Appii nomine profiscentium, notum non erat. Apuleae quum essem, multarum civitatum principes ad me detulerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos, quam solvendo civitates non essent: quibus[1] ego cum tum imperavi, quam equsi, sumptus legatis, quam maxime ad legem Corneliam decernendos. Atque[2] hoc tamen sciri volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo aut remittendo decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum a me postulassent: me in venditionem tributorum et illam acerbissimam exactionem capitum atque ostiorum inducerentur sumptus minime necessarii. Ego autem, quum haec suscepissem, non solum iustitia, sed etiam misericordia adductus, ut levarem miseriis perditas civitates et perditas maxime per magistratus suos, non potui in illo sumptu non necessario negligens esse.

XI. Ille Appius[3] autem, quum me advenire videret, profectus est Tarsum usque Laodicea. Ibi forum agebat, quum ego essem in provincia. Quum eius iniurias non insectatus nunc satis animi habebam negoti in sanandis vulneribus, quae impressa erant provinciae. Quod, scilicet operam, ut facerem quam minima illius contumelia. Sed quam celerrime potui hisce litteris feci, ut ipsi nota esset omnis ratio dierum atque itinerum meorum; quod utriusque nostrum magni interesset, ut illum videremem ante, quam decederet.

28. M. T. Cicero S. D. Appio Pulchro.

Quum[5] meum factum cum tuo comparo, etsi non magis

---

[1]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 10. § 6.) — [2]) Ibid. III. 8. § 5. — [3]) ad Att. V. 17. § 6. — [4]) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 5. § 4.) — [5]) ad Fam. III. 6.

mihi faveo in nostra amicitia tuenda, quam tibi; tamen multo magis meo facto delector, quam tuo. Ego enim Brundisii quaesivi ex Phania, cuius mihi videbar et fidelitatem erga te perspexisse et meae laetum, quem apud te is teneret, quam in partem provinciae maxime putaret te velle ut in succedendo primum venirem. Quum ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam navigassem, etsi minus dignitatis haberet ille adventus, et ad multas res mihi minus esset aptus, tamen id me dixi facturum. 29. Idem ego quum L. Clodium Corcyrae convenissem, hominem ita tibi coniunctum, ut mihi, cum illo quam loquerer, tecum loqui viderer; dixi ei, me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania negasset, primum venirem. Tum ille, mihi quum gratias egisset, magno opere a me petivit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima provincia velle esse, ut quam primum decederes: quin, nisi ego successor essem, quem tu cupere videre, te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse: quod quidem erat consentaneum cum iis litteris, quas ego Romae acceperam; ex quibus perspexisse mihi videbar, quam festinares decedere. Respondi Clodio, me ita esse facturum, ac multo quidem libentius, quam si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniae itaque ei consilium mutavi, et ad te statim meis manu scriptas litteras misi. 30. Hoc ego meo facto valde delector. Nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc vicissim tuum. Non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum videre posses, sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent: ut tuum factum iis, qui, quo animo inter nos simus, ignorent, alieni hominis (ut lenissime dicam) et fugientis congressum, meum

vero, coniunctissimi et amicissimi esse videatur. 31. Ac mihi tamen ante, quam in provinciam venirem, redditae sunt a te litterae, quibus etsi te Tarsum profecisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conveniendi adferebas: quum interea, credo equidem, malevoli homines, (late enim patet hoc vitium,) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis, iguari meae constantiae, conabantur alienare a te voluntatem meam: qui te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, iudicare, dicerent, quum posses iam suspicari, tibi esse successum: quae ne ab his quidem fieri solerent, qui breve tempore sibi succedi putarent. 32. Horum ego sermone non movebar: quin etiam, (credas mihi velim,) si quid tu ageres, levari me putabam molestia; et ex annua provincia, quae mihi longa videretur, propemodum undecim mensium provinciam factam esse gaudebam, si absenti mihi unius mensis labor detractus esset. Illud (vere dicam) me movet, in tanta militum paucitate abesse tres cohortes, quae sunt plenissimae: nec me scire, ubi sint. Molestissime autem fero, quod, te ubi visurus sim, non habeo: eoque ad te tardius scripsi, quod quotidie te ipsum exspectabam; quum interea ne litteras quidem ullas accepi, quae me docerent, quid ageres, aut ubi te visurus essem. Itaque virum fortem mihique in primis probatum, Antonium, praefectum evocatorum, misi ad te, cui, si tibi videretur, cohortes traderes: ut, dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotii gerere possem. In quo tuo consilio ut me sperarem esse usurum, et amicitia nostra et litterae tuae fecerant: quod ne nunc quidem desperem. Sed plane, quando aut ubi te visurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. 33. Ego, ut me tibi amicissimum esse et aequi et iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis secus existimandi

mi' ... curaveris, mihi valde
m ... possis, quo loco me
B. ... in provinciam veni pri-
d ... iacio per Cappadociam;
... Kalendas Sept. Nunc tu et
... is, si putabis me esse con-
... ubi id commodissime fieri pos-

... ad me ex itinere bis terve ὑπο-
... esit, quod quaedam a se constituta
... medicus, quum aegrotus alii medico
... velit ei medico, qui sibi successerit,
... curando constituerit, mutet ille; sic Ap-
... provinciam curasset, sanguinem
... quod poterat, detraxisset, mihi tradidisset
... eam a me non libenter vide-
... succensebat, modo gratias agebat. Nihil
... iebat cum ulla illius contumelia: tantummodo
... meae rationis offendebat hominem. 35. Quid
... esse tam dissimile, quam illo imperante ex-
... sumptibus et iacturis provinciam; nobis eam
... nummum nullum esse erogatum nec privatim,
... publice? Ac [2] mihi quidem videntur huc omnia esse
... iis, qui praesunt aliis, ut ii, qui erunt eorum in
... sint quam beatissimi. Est autem non modo eius,
... sociis et civibus, sed etiam eius, qui servis, qui mutis
... pecudibus praeesit, eorum, quibus praesit, commodis utili-
... que servire. Sed [3] tamen parvi refert abs te ipso ius

[1]) ad Att. VI. 1. § 2. — [2]) ad Q. fratrem I. 1. c. 8. § 24. — [3]) Ibid.
c. 7. § 20.

dici aequabiliter et diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. 36. Quid[1] dicam de illius praefectis, comitibus, legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? Quid[2] ante adventum meum non fecerunt? Inclusum in curia senatum habuerunt Salaminium ita multos dies, ut interierint nonnulli fame. P. Matinius, M. Scaptius, qui erat praefectus Appii et habebat turmas ab Appio, merae[3] nugae. Itaque[4] ego, quo die provinciam tetigi, quum mihi Cyprii legati Ephesum obviam venissent, litteras misi, ut equites ex insula statim decederent; ob[5] eamque causam, tum ob ceteras, Salaminii nos in caelum decretis suis sustulerunt.

XIII. 37. Quumque[6] ante adventum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione ullo apud Philomelium consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia; M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. 38. Quod quum ab illo diligenter esset actum, ego in castra a. d. VII. Kal. Septemb. veni: quum interea superioribus diebus, ex senatusconsulto, et evocatorum firmam manum, et equitatum sane idoneum, et populorum liberorum regumque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. Dum[7] nos in castra properabamus, de Partho silentium erat; sed tamen concisos equites nostros a barbaris nuntiabant ii, qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam

---

[1]) ad Att. VI. 1. § 2. — [2]) Ibid. VI. 2. § 8. — [3]) Ibid. VI. 3. § 5. — [4]) Ibid. VI. 1. § 6. — [5]) Ibid. VI. 2. § 9. — [6]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 4. § 2.) — [7]) ad Att. V. 16. § 4.

[illegible] mendare. Id autem facere ob [illegible] quod tardius vellet decedere.

[illegible][1] me castra veni a. d. VII. Kal. Septemb.; [illegible] lustravi apud Iconium. Interim[2] quum, [illegible], iter in Ciliciam facere coepissem Kal. [illegible], legati, missi[3] ab Antiocho Commageno, venerunt [illegible] castra ad Iconium a. d. III. Non. Septembres, [illegible] nuntiarunt, regis Parthorum filium, quocum [illegible] regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis multarumque praeterea gentium magna manu venisse, Euphratemque iam transire coepisse, dicique Armenium regem in Cappadociam impetum esse facturum. Quo[4] nuntio allato, quum essent nonnulli, qui eò regi minorem fidem habendam putarent, statui exspectandum esse, si quid certius afferretur. 40. His[5] de rebus publice propter duas causas nihil scripsi; quod et ipsum Commagenum legati dicebant ad senatum statim nuntios litterasque misisse, et existimabam, M. Bibulum proconsulem, qui circiter Idus Sextiles ab Epheso in Syriam navibus profectus erat, quod secundos ventos habuisset, iam in provinciam suam pervenisse; cuius litteris omnia certiora perlatum iri ad senatum putabam. Ad[6] Catonem vero putavi, pro nostra necessitudine, me hoc scribere oportere; cuius[7] summa auctoritas fecit, meumque perpetuum de eius singulari virtute iudicium, ut magni mea interesse putarem, et res eas, quas gessissem, ipsi notas esse, et

---

[1]) ad Att. V. 20. § 2. — [2]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 4. § 3.) — [3]) Ibid. XV. 3. § 1. — [4]) Epist. ad Senatum (ad Fam. XV. 1. § 2.) — [5]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 3. § 2.) — [6]) Ibid. § 1. — [7]) Ibid. XV. 4. § 1.

non ignorari ab ipso, qua aequitate et continentia tuerer socios provinciamque administrarem.

XV. 41. A.[1] d. XIII. Kalendas Octobr. quum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniae et Cappadociae mihi litterae redditae sunt a Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum amicissimusque populi Romani existimabatur: Pacorum, Orodi, regis Parthorum, filium, cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem et castra posuisse Tybae, magnumque tumultum esse in provincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblicho, phylarcho Arabum, quem homines opinabantur bene sentire amicumque esse reipublicae nostrae, litterae de eisdem rebus mihi redditae sunt. 42. His rebus allatis, etsi intelligebam socios infirme animatos esse et novarum rerum exspectatione suspensos, sperabam tamen, eos, ad quos iam accesseram, quique nostram mansuetudinem integritatemque perspexerant, amiciores populo Romano esse factos; Ciliciam autem firmiorem fore, si aequitatis nostrae particeps facta esset. Et ob eam causam, et ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis essent; et ut hostis is, qui esset in Syria, sciret, exercitum populi Romani non modo non cedere his nuntiis allatis, sed etiam propius accedere, exercitum ad Taurum institui ducere per[2] Cappadociae partem eam, quae Ciliciam attingit, eo consilio, ut Armenius Artavasdes et ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent.

XVI. 43. Itaque[3] exercitum mihi ducendum per Cappadociae regionem eam, quae Ciliciam attingeret, putavi.

---

[1]) Epist. ad Senatum (ad Fam. XV. 1. § 2.) — [2]) ad Att. V. 20. § 2. — [3]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 4. § 4.)

Nam si nec in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facile tenuissem: (duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria; quorum uterque parvis praesidiis propter angustias intercludi potest, nec est quidquam Cilicia contra Syriam munitius) sed me Cappadocia movebat, quae patet a Syria regésque habet finitimos, qui, etiamsi sunt amici nobis, tamen aperte Parthis inimici esse non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut et Ciliciam tuerer et, Cappadociam tenens, nova finitimorum consilia impedirem. 44. Hic [1] tuto consedimus, copioso a frumento, Ciliciam prope conspiciente, expedito ad mutandum, loco; parvo exercitu, sed, ut sperabam, ad benevolentiam erga nos consentiente: quem nos, Deiotari adventu cum suis omnibus copiis, duplicaturi eramus. Sociis multo fidelioribus utebamur, quam quisquam usus esset: quibus incredibilis videbatur et nostra mansuetudo et abstinentia. Delectus habitus civium Romanorum: frumentum ex agris in loca tuta comportatum. Hostis [2] erat in Cyrrhestica, quae Syriae pars proxima est provinciae meae.

XVII. 45. Interea [3] in hoc tanto motu tantaque exspectatione maximi belli rex Deiotarus, cui non sine causa plurimum semper et meo et Catonis et senatus iudicio tribuitur est, vir quum benevolentia et fide erga populum Romanum singulari, tum praesentia et magnitudine et animi et consilii, legatos ad me misit, se cum omnibus suis copiis in mea castra esse venturum. Cuius ego studio officioque commotus egi ei per litteras gratias: idque ut

---

[1]) ad Att. V. 18. § 2. — [2]) Ibid. § 1. — [3]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 4. § 5.)

maturaret, hortatus sum. Deiotari [1] regis, et patris et filii, et magnus et nostro more instructus exercitus; summa in filio spes, summa ingenii indoles, summaque virtus. Quid de patre dicam? cuius benevolentia in populum Romanum est ipsius aequalis aetati: qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum. Quae de illo viro Sulla, quae Murena, quae Servilius, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe in senatu praedicaverunt! Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum vereque benevolum, unum fidelem populo Romano iudicavit. Mihi [2] igitur cum Deiotaro convenit, ut ille in meis castris esset cum suis copiis omnibus. Habebat autem cohortes quadringenarias nostra armatura XXX, equitum CIↃ.CIↃ. 46. Quum [3] autem ad Cybistra propter rationem belli quinque dies essem commoratus, regem Ariobarzanem, cuius salutem a senatu, auctore Catone, commendatam habebam, praesentibus insidiis nec opinantem liberavi: neque solum ei saluti fui, sed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Metram, et eum, quem Cato mihi diligenter commendarat, Athenaeum, importunitate Athenaidis exsilio multatos, maxima apud regem auctoritate gratiaque constitui. Quumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens et equitatu et peditatu et pecunia paratus actutum iis, qui novari aliquid volebant; perfeci, ut e regno ille discederet, rexque sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate aulae communita, regnum cum dignitate obtineret.

---

[1]) Philipp. XI. c. 13. § 33. — [2]) ad Att. VI. 1. § 14. — [3]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 4. § 6.)

XVIII. 47. His[1] de rebus, propter casum navigandi, per binos tabellarios has misi Romam litteras publice:

M.[2] Tullius M. F. Cicero Procos.

S. P. D.

Coss. Praett. Tribb. Pl. Senat.

»S. V. V. B. E. E. Q. V. Quum pridie Kalend. Sext. in provinciam venissem, neque maturius propter itinerum et navigationum difficultatem venire potuissem; maxime convenire officio meo reique publicae conducere putavi, parare ea, quae ad exercitum, quaeque ad rem militarem pertinerent. Quae quum essent a me, cura magis et diligentia, quam facultate et copia, constituta, nuntiique et litterae de bello a Parthis in provinciam Syriam illato quotidie fere afferrentur; iter mihi faciendum per Lycaoniam et per Isauros et per Cappadociam arbitratus sum: erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quod ea maxime pateret, esse facturos. 48. Itaque cum exercitu per Cappadociae partem eam, quae cum Cilicia continens est, iter feci, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi: ut Artavasdes, rex Armenius, quocumque animo esset, sciret, non procul a suis finibus exercitum populi Romani esse; et Deiotarum, fidelissimum regem atque amicissimum reipublicae nostrae, maxime coniunctum haberem, cuius et consilio et opibus adiuvari posset respublica. Quo quum in loco castra haberem equitatumque in Ciliciam misissem, ut et meus adventus, iis civitatibus, quae in ea parte essent, nuntiatus,

---

[1]) ad Att. VI. 1. §. 9. — [2]) ad Fam. XV. 2.

firmiores animos omnium faceret, et ego mature, quid ageretur in Syria, scire possem, tempus eius tridui, quod in his castris morabar, in magno officio et necessario mihi ponendum putavi. 49. Quum enim vestra auctoritas intercessisset, ut ego regem Ariobarzanem Euseben et Philoromaeum tuerer, eiusque regis salutem, incolumitatem regnumque defenderem; regi regnoque praesidio essem; adiunxissetisque, salutem eius regis populo senatuique magnae curae esse, quod nullo umquam de rege decretum esset a nostro ordine: existimavi, me iudicium vestrum ad regem deferre debere eique praesidium meum et fidem et diligentiam polliceri, ut, quum salus ipsius, incolumitas regni mihi commendata esset a vobis, diceret, si quid vellet. Quae quum essem in consilio meo cum rege locutus, initio ille orationis suae vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit, quod ei permagnum et perhonorificum videbatur, S. P. Q. R. tantae curae esse salutem suam; neque tantam diligentiam adhibere, ut et mea fides et commendationis vestrae auctoritas perspici posset. Atque ille primo, quod mihi maximae laetitiae fuit, ita mecum locutus est, ut nullas insidias neque vitae suae neque regno diceret se aut intelligere fieri, aut etiam suspicari. Quum ego ei gratulatus essem, idque me gaudere dixissem; cohortatus, ut recordaretur casum illum interitus paterni, et vigilanter se tueretur, atque admonitu senatus consuleret saluti suae; tum a me discessit in oppidum Cybistra. 50. Postero autem die cum Ariarathe, fratre suo, et cum paternis amicis, maioribus natu, ad me in castra venit; perturbatusque et flens, quum idem et frater faceret, et amici, meam fidem, vestram commendationem implorare coepit. Quum admirarer, quid accidisset novi, dixit ad se indicia manifestarum insidiarum

esse delata, quae essent ante adventum meum occultata, quod ii, qui ea patefacere possent, propter metum reticuissent: eo autem tempore, spe mei praesidii, complures ea, quae scirent, audacter ad se detulisse; in his amantissimum sui, summa pietate praeditum, fratrem dicere ea, quae is me quoque audiente dicebat, se sollicitatum esse, ut regnare vellet: id vivo fratre suo accidere non potuisse: se tamen ante illud tempus eam rem numquam in medium, propter periculi metum, protulisse. Quae quum essent locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad se conservandum adhiberet; amicosque, patris eius atque avi iudicio probatos, hortatus sum, regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris eius, omni cura custodiaque defenderent. 51. Quum rex a me equitatum cohortesque de exercitu meo postularet; etsi intelligebam, vestro senatusconsulto non modo posse me id facere, sed etiam debere; tamen, quum respublica postularet, propter quotidianos ex Syria nuntios, ut quam primum exercitum ad Ciliciae fines adducerem; quumque mihi rex, patefactis iam insidiis, non egere exercitu populi Romani, sed posse se suis opibus defendere videretur; illum cohortatus sum, ut in sua vita conservanda primum regnare disceret: a quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur iure regio; poena afficeret eos, quos necesse esset; reliquos metu liberaret: praesidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius, quam ad contentionem uteretur: fore autem, ut omnes, quum senatusconsultum nossent, intelligerent, me regi, si opus esset, ex auctoritate vestra praesidio futurum. 52. Ita confirmato illo, ex eo loco castra movi, iter in Ciliciam facere institui: quum hac opinione e Cappadocia discederem, ut consilio vestro, casu incredibili ac paene divino, regem, quem vos honorificentissime appellassetis, nullo postulante,

quemque meae fidei commendassetis, et cuius salutem magnae vobis curae esse decrevissetis, meus adventus praesentibus insidiis liberarit. Quod ad vos a me scribi non alienum putavi, ut intelligeretis ex iis, quae paene acciderunt, vos multo ante, ne ea acciderent, providisse: eoque vos studiosius feci certiores, quod in rege Ariobarzane ea mihi signa videor virtutis, ingenii, fidei, benevolentiaeque erga vos perspexisse, ut non sine caussa tantam curam diligentiamque in eius vos salutem videamini contulisse."

XIX. 53. Sed [1] Parthico bello impendente C. Cassius ineptas litteras ad senatum misit, quibus [2] per se scripsit confectum esse Parthicum bellum. Recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli adventum, sed nullo nostro εὐημερήματι. Hiemabant vero in Cyrrhestica, maximumque bellum impendebat. Nam et Orodi, regis Parthorum, filius in provincia nostra erat; nec dubitabat Deiotaras, (cuius filio pacta erat Artavasdis filia, ex quo sciri poterat) quin cum omnibus copiis ipse prima aestate Euphratem transiturus esset. Quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt, id est, Nonis Octobribus, eodem meae tumultum nuntiantes. Sed Axius mihi noster narravit, nostras auctoritatis plenas fuisse; illis negavit creditum. Bibuli nondum erant allatae; quas certo sciebam plenas timoris esse: quibus [3] recitatis, putabam fore, ut aliquando commoveretur senatus.

XX. 54. Quum [4] igitur dies quinque, ut dixi, ad Cybistra Cappadociae castra habuissem, certior sum factus,

---

[1]) ad Att. VI. 1. § 14. — [2]) Ibid. V. 21. § 2. — [3]) Ibid. VI. 1. § 14. — [4]) Ibid. V. 20. § 2.

longe abesse, Ciliciae
multorum litteris atque
et Arabum ad oppidum
eorum equitatum, qui
equitum meorum turmis et a
erat Epiphaniae praesidii caussa,
quum viderem a Cappadocia Par-
non longe a finibus esse Ciliciae,
in Ciliciam feci per Tauri pylas, et Tar-
Non. Octobr. 55. Tarso[6] Nonis Octobr.
profectus sum. Postridie eius diei, quum
in agro Mopsuhestiae, quam[4] potui maxi-
ad Amanum exercitum duxi, qui[5] Syriam
aquarum divortio dividit; qui mons erat ho-
plenus sempiternorum. Quo[6] ut veni, hostem ab
recessisse, Bibulum Antiochiae esse cognovi:
confestim, iam ad me venientem cum magno
equitatu et peditatu, et cum omnibus suis copiis,
feci, non videri esse caussam, cur abesset a
, neque ad eum, si quid novi forte accidisset, sta-
litteras nuntiosque missurum esse. 56. Quumque eo
animo veniissem, ut utrique provinciae, si ita tempus fer-
ret, subvenirem; tum id, quod iam ante statueram vehe-
menter interesse utriusque provinciae, pacare Amanum et
perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi.
Quumque me discedere ab eo monte simulassem et alias
partes Ciliciae petere, abessemque ab Amano iter unius
diei et castra apud Epiphaniam fecissem; a. d. quartum

---

[1]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 7.) — [2]) ad Att. V. 20. § 2. — [3]) Epist. ad App. Pulchrum (ad Fam. III. 8. § 10.) — [4]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 7.) — [5]) ad Att. V. 20. § 3. — [6]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 7.)

Idus Octobres, quum advesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut a. d. tertium Idus Octobres, quum lucisceret, in Amanum ascenderem; distributisque cohortibus et auxiliis, (quum aliis Q. frater, legatus, mecum simul, aliis C. Pomptinius legatus, reliquis M. Anneius et L. Tullius, legati, praeessent) plerosque nec opinantes oppressimus, qui occisi captique sunt, interclusi fuga. 57. Eranam autem, quae fuit non vici instar, sed urbis, quod erat Amani caput, itemque Sepyram et Commorin, acriter et diu repugnantibus, Pomptinio illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore usque ad horam diei decimam, magna multitudine hostium occisa, cepimus: castellaque sex capta; complura incendimus. Ita [1] victoria iusta Imperator appellatus sum apud Issum.

XXI. 58. His [2] rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuimus, ea ipsa [3], quae contra Darium habuerat apud Issum Alexander. Ibi dies quinque morati, direpto et vastato Amano, inde discessimus. Rumore adventus nostri, et Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, et Parthis timor iniectus est. Itaque eos, cedentes ab oppido, Cassius insecutus, rem bene gessit. Qua in fuga, magna auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus. Erat in Syria nostrum nomen in gratia; multumque [4] erat in his locis: »Hiccine est ille, qui Urbem? quem senatus?" 59. Venit [5] interim Bibulus. Credo, voluit appellatione hac inani nobis esse par. In eodem Amano coepit laureolam in mustaceo quaerere. At ille cohortem primam totam perdidit

[1]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 10. § 3.) — [2]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 9.) — [3]) ad Att. V. 20. § 3. — [4]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 10. § 2.) — [5]) ad Att. V. 20. § 4.

[illegible] principibus, nobilem sui generis, Asinium [illegible], et reliquas cohortis eiusdem, et Sex. Lucilium. T. Cassii Carpinatis, locupletis et splendidi hominis, filium, tribunum militum. Sane plagam odiosam acceperat quum re, tum tempore.

XXII. 60. Confectis[1] his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum Pindenissum exercitum adduxi: quod quum esset altissimo et munitissimo loco, ab iisque incoleretur, qui ne regibus quidem umquam paruissent; quum et fugitivos reciperent, et Parthorum adventum acerrime exspectarent: ad existimationem imperii pertinere arbitratus sum, comprimere eorum audaciam; quo facilius etiam ceterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangerentur. Vallo et fossa circumdedi: sex castellis castrisque maximis sepsi: aggere, vineis, turribus oppugnavi: ususque tormentis multis, multis sagittariis, magno labore meo, sine ulla molestia sumptuve sociorum, rem confeci: ut, omnibus partibus urbis disturbatis aut incensis, compulsi in potestatem meam pervenirent. Hilara[2] sane Saturnalia! Saturnalibus[3] enim mane se mihi Pindenissitae dediderunt, septimo et quadragesimo die, postquam oppugnare eos coepimus. Militibus[4] quoque, equis exceptis, reliquam praedam concessimus. 61. His[5] erant finitimi pari scelere et audacia Tibarani: ab his, Pindenisso capto, obsides accepi: exercitum in hiberna dimisi. Q. fratrem negotio praeposui, ut in vicis aut captis aut male pacatis exercitus collocaretur. Ipse[6] me Laodiceam recepi; nam[7] Deiotarus ad me, ut scripserat, cum Ciceronibus Laodiceam

---

1) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 10. — 2) ad Att. V. 20. § 5. — 3) Ibid. § 1. — 4) Ibid. § 5. — 5) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 10.) — 6) ad Att. V. 20. § 5. — 7) Ibid. § 9.

venturus erat, et [1] Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare. Mandaverat enim pater. 62. Quoniam [2] sane feliciter et ex mea sententia rem gesseram, unis litteris totius aestatis res gestas ad senatum perscripsi, ut [3] supplicatio nobis quam honorificentissime quam primumque decerneretur. Omnino serius misi litteras, quam vellem: in quo quum difficultas navigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatus incidisse credo litteras meas. Sed id recte a me factum putabam, quod non statim, ut appellatus Imperator essem, sed aliis rebus additis aestivisque confectis litteras misissem.

XXIII. 63. De [4] Supplicatione non potuit accuratius agi nec prudentius, quam est actum a Caelio cum Curione: et, hercule, confecta res ex sententia mea est, quum celeritate, tum quod Hirrus, qui erat iratus, competitor Caelii et idem meus, assensus est Catoni, qui ornavit res nostras divinis laudibus. Qua [5] de re Caelius libertum ad me misit et has litteras, accurate scriptas:

Caelius Ciceroni S.

Non [6] diu, sed acriter nos tuae supplicationes torserunt; incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes, ne, quod furore Paulli adeptus esset boni, sua culpa videretur amisisse et praevaricator caussae publicae existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus: et confirmarunt consules, se his supplicationibus in hunc annum non usuros. Plane,

[1]) ad Att. VI. 1. § 12. — [2]) Epist. ad C. Curionem (ad Fam. II. 7. § 3.) — [3]) Epist. ad App. Pulchrum (ad Fam. III. 9. § 4.) — [4]) Epist. ad M. Cael. (ad Fam. II. 15. § 1.) — [5]) ad Att. VI. 1. § 21. — [6]) ad Fam. VIII. 11.

centurionem
Dentonem,
T. Gavii Ca
tribunum
re, tu

X
ro
a

est: Paullo magis
se spem in istis sup-
se omnino in hunc annum
nobis erat, Hirrum diutius
modo non fecit, sed, quum
rem impedire, si, ut nunc
Tantum Catoni assensus est,
non decrerat supplicationes.
Quare pro cuiusque natura
egendae: his, quod tantum voluntа-
sententia, quum impedire possent, non
vero, quod de suarum actionum cursu
Nam Furnius et Lentulus, ut debue-
res esset, una nobiscum circumierunt et
quoque Cornelii operam et sedulitatem
Nam cum Curione vehementer locutus est,
facisset, iniuriam Caesari faturum dixit:
in suspicionem adduxit. Decrerant, qui
volebant, Domitii, Scipiones: quibus hac re
evocandam interpellantibus venustissime
respondit, se eo libentius non intercedere, quod quos-
decernerent, videret confici nolle.

XXIV. 65. Sed[1] ad rem redeo. Ego[2], aestivis confe-
tum fratrem hibernis et Ciliciae praefeci: Q. Vo-
Tiberii generum, certum hominem, sed mirifice
abstinentem, misi in Cyprum, ut ibi pauculos dies
esset; ne cives Romani pauci, qui illic negotiantur, ius
sibi dictum negarent; nam evocari ex insula Cyprios non
licebat. Ipse in Asiam profectus sum Tarso Nonis Ianuariis;

[1]) ad Att. V. 21. § 13. — [2]) Ibid. § 6.

non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciae civitatum maximeque Tarsensium. 66. Postea vero quam Taurum transgressus sum, mirifica exspectatio Asiae nostrarum dioecesium, quae sex mensibus imperii mei nullas meas acceperat litteras, numquam hospitem viderat. Illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quaestu: civitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant: Cyprii talenta Attica cc. Qua ex insula (non ὑποφορτικῶς, sed verissime loquor) numnus nullus, me obtinente erogabatur. Ob haec beneficia, quibus illi obstupescebant, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sinebam: statuas, fana, θέατρα prohibebam: nec eram in ulla re alia molestus civitatibus. 67. Praeclarum[1] vero est, summo cum imperio fuisse in provincia sic, ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniae ab summa integritate continentiaque deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium aut tam expetendum potest, quam istam virtutem, moderationem animi, temperantiam, non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiae, in oculis clarissimae provinciae, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam? non itineribus tuis perterreri homines? non sumptu exhauriri? non adventu commoveri? esse, quocumque veneris, et publice et privatim maximam laetitiam, quum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem, recepisse videatur?

XXV. 68. Iter[2] igitur ita per Asiam feci, ut etiam fames, qua nihil miserius est, quae tum erat in hac mea

[1]) ad Q. fratrem I. 1. c. 2. § 8. — [2]) ad Att. V. 21. § 8.

quod utrisque consu[illegible] mihi optanda fuerit. *certe. Nam Marcello* [illegible] indicio, nulla contu- *plicationibus non ha*[illegible] perfeci, ut et Graeci et *non edicturum.* [illegible] compresserant, magnum *dicturum: pre*[illegible] Denique[1] domus meher- *de hostiis a*[illegible] tanta disciplina gubernatur, *raretur,* [illegible] nostra tota provincia fuit. *qui etsi* [illegible] sponte bene firmi; et mehercule *Tertius* [illegible], vicimus omnes quum abstinen- *et insi* [illegible]te, clementia. Cave putes quid- *tem* [illegible] unquam esse miratos, quam nullum *pug* [illegible]te provinciam, sumptus factum *tu* [illegible]publicam, nec in quemquam meorum, [illegible] Tullium legatum. Is, ceteroqui absti- [illegible] lego transitans, semel tamen in diem, [illegible]bant, omnibus vicis, facit, ut mihi exci- [illegible] quam terentinum nego sumptus factum. Prae- [illegible] nemo.

70. Idibus[2] Februariis forum institui agere Laodiceae Syraticum et Apameense; ex Idibus Mart. ibidem [illegible]se, Pamphylium, Lycaonium, Isauricum. Atque[4] [illegible] ero, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceae ad Kalend. [illegible] omnium dioecesium praeter Ciliciae, mirabilia quae- [illegible] effecimus: ita multae civitates omni aere alieno libe- [illegible], multae valde levatae sunt: omnes, suis legibus et [illegible] usae, *αὐτονομίαν* adeptae, revixerunt. His ego [illegible] generibus facultatem ad se aere alieno liberandas [illegible] levandas dedi; uno, quod omnino nullus in imperio

---

[1]) ad Att. VI. 1. § 2. — [2]) Ibid. V. 21. § 5. — [3]) Ibid. § 9. — [4]) Ibid. VI. 2. § 4.

meo sumptus factus est, (nullum quem dico, non loquor ὑπερβολικῶς) nullus, inquam, ne terruncius quidem. Hac autem re, incredibile est, quantum civitates emerserint. 71. Accessit altera. Mira erant in civitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus sui fecerant. Quaesivi ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant. Aperte fatebantur. Itaque, sine ulla ignominia, suis humeris pecunias populis retulerunt. Populi autem, nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderunt. Itaque publicanis in oculis fuimus. Iam cetera iurisdictio nec impedita et clemens cum admirabili facilitate. Aditus autem ad me minime provinciales; nihil per cubicularium. Ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus. Grata haec et magna, mihique non laboriosa ex illa vetere militia.

XXVII. 72. Ac[1] mihi quidem videtur non sane magna varietas esse negotiorum in administranda provincia, sed ea tota iurisdictione maxime sustineri. In qua scientiae praesertim provincialis ratio ipsa expedita est: constantia est adhibenda et gravitas, quae resistat non solum gratiae, verum etiam suspicioni. Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper C. Octavius iucundissimus fuit: apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus, quoties quisque voluit, dixit, et quam voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi haec lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur Sullani homines, quae per vim et metum abstulerant, reddere. Qui in magistratibus iniuriose decreverant, eodem ipsis priva-

[1]) ad Q. fratrem l. 1. c. 7. § 20.

Asia, (messis enim ... severitas acerba vide-
Quacumque iter feci, ... [illegible]tatis mitigaretur. 73.
melia; auctoritate ... est, ubi tanta arrogan-
cives Romani, q... tam infinita hominum
numerum populis ..., tot auxilia, tanta vis
... nulla ...; quam iucunda tandem
est tam ... potest esse, in qua tanta
... Nos ... sociorum, tot urbes, tot civitates
auctorit... ...tur? ubi nullum auxilium est,
tia, ... senatus, nulla concio? Quare
quam ... et quum ipsa natura moderati, tum
ter... atque optimarum artium studiis era-
es... in tanta potestate, ut nulla alia pote-
l... ipse praesit, desideretur. 74. Caput[1] ... procuratione negotii et muneris publici, ...tur etiam minima suspicio. Nullum[2] enim ... est, quam avaritia, praesertim in prin- ... rempublicam gubernantibus. Habere enim quaestui ... non modo turpe est, sed sceleratum etiam et ... Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam ... possunt ii, qui reipublicae praesunt, quam ... et continentia.

... nescio quo pacto, ad praecipiendi rationem delapsa ... mea, quum id mihi propositum initio non fuisset. ...[4] nunc cetera.

XXVIII. 75. Nonis[5] Mai. in Ciliciam profectus sum, ut[6] ibi Iunius consumeretur: Quintilis enim in itinere erat, per provinciam redeuntibus, consumendus. Mihi[7] erat in

[1]) de Off. II. c. 21. § 75. — [2]) Ibid. c. 22. § 77. — [3]) ad Q. fratrem I. 1. c. 6. § 18. — [4]) ad Att. VI. 2. § 10. — [5]) Ibid. § 6. — [6]) Ibid. V. 21. § 9. — [7]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 13. § 4.)

animo, quoniam iurisdictionem confeceram, civitates locupletaram, publicanis etiam superioris lustri reliqua, sine sociorum ulla querela, conservaram, privatis, summis, infimis fueram iucundus, quum prima aestiva attigissem militemque collocassem, decedere ex senatusconsulto. 76. Mirum[1] enim me desiderium tenebat Urbis, incredibile meorum, satietas autem provinciae; vel, quia videbamur eam famam consecuti, ut non tam accessio quaerenda, quam fortuna metuenda esset; vel, quia totum negotium non erat dignum viribus nostris, qui maiora onera in re publica sustinere et possem et solerem; vel, quia belli magni timor impendebat, quod videbamur effugere, si ad constitutam diem decederemus. Venimus[2] autem in provinciam, Laeliicano, Sulpicio et Marcello consulibus, pridie Kal. Sextiles. Inde nos oportebat decedere a. d. III. Kal. Sext. L. Paulo C. Marcello consulibus.

XXIX. 77. Equidem[3] omnia loci, quae potui aut in mea provincia perficere aut in regno experiri. Nam[4] Parthico bello nuntiato, locorum quibusdam angustiis et natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, satis probe ornatum auxiliis, et quadam etiam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri. Quum venissem ad Amanum, cum[5] meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempiternos. Multi occisi, capti; reliqui dissipati; castella munita improviso adventu capta et incensa. Adduxi exercitum ad infestissimam Ciliciae partem. Ibi aggeribus, vineis, turribus oppugnavi oppidum munitissimum, Pindenissum, tantis opibus tantoque negotio, ut

---

[1]) Ibid. II. 11. § 1. — [2]) ad Att. V. 21. § 9. — [3]) Ibid. VI. 2. § 7. — [4]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 10. § 2.) — [5]) Ibid. § 3.

tis erat iure parendum. Haec illi[illegible], nisi nomen oppidi. retur, nisi multis condimentis h[illegible]qua plena et laudis et Quod si haec lenitas grata R[illegible]onorifice in quemquam tis est, tam immoderata l[illegible]. Conservatae[3] civitates; licentia, denique tot m[illegible]: offensus contumelia nemo, populi, tanta senatus [illegible]: nec tamen quisquam, ut proconsulis comitas i[illegible]ugnae triumpho; de quo ipse multitudo civium, [illegible] de rebus gravissimos homiutilius hominis nu[illegible] regari sciebam. Quae[6] causa nulla conquestio[illegible] dicam cupiditatis, in qua[6] inpermagni hom[illegible] ad sanandum vulnus iniuriae, vero etiam [illegible] nationem, non ut nimis concupiscenditi; sic s[illegible], si deferretur a senatu, minime aspernstas ab[illegible]. Sperabam autem, illum ordinem, aute[illegible] rempublicam susceptis laboribus, me non ut [illegible], usitato praesertim, existimaturum. In[illegible] virtutis multi etiam sine virtute assecuti [illegible] etiam mihi illud animum advertisse [illegible] non tam res gestas, quam mores, instituta [illegible] imperatorum spectare solere in habendis aut [illegible] honoribus. Quod si in mea causa considerabat, reperiebat, me exercitu imbecillo, contra metum maximi belli, firmissimum praesidium habuisse aequitatem et [illegible]. His ego subsidiis ea sum consecutus, quae nullis hominibus consequi potuissem, ut ex alienissimis [illegible] amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderem, animosque novarum rerum exspectatione suspensos ad veteris imperii benevolentiam traducerem.

---

[1]) ad Att. VI. 3. § 3. — [2]) Ibid. VII. 1. § 6. — [3]) Ibid. VI. 3. § 3. — [4]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 4. § 11.) — [5]) Ibid. XV. 6. § 2. — [6]) Ibid. XV. 4. § 14. — [7]) Ibid. XV. 6. § 2. — [8]) Epist. ad App. Pulchr. (ad Fam. III. 13. § 1.) — [9]) Epist. ad M. Caton. (ad Fam. XV. 4. § 14.)

80. Sed nimis haec multa de me, praesertim [1] triumpho nulla me cupiditas umquam tenuerit Bibuli impudentissimas litteras, quas amplissime supplicatio consecuta est. A quo si ea gesta essent, quae scripsit, gauderem, et honori faverem: nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non exululerit, honore augeri, me, in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi, dedecus erat nostrum. Permulti [2] enim ad me detulerunt, quum magnus Antiochiae metus esset et magna spes in me atque in exercitu meo, solitum dicere, quidvis se perpeti malle, quam videri equitum auxilio meo. 81. Ille autem, quum ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me litteram numquam misit; ad quem intelligebat eius belli periculum pertinere. Et [3] ad senatum quas Bibulus litteras misit, in iis, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit: se ait curasse, ut cum quaestu populi pecunia permutaretur; quod autem meum erat proprium, ut alariis Transpadanis uti neganem, id etiam populo se remisisse scripsit: quod vero illius erat solius, id mecum communicavit: *Equitibus auxiliariis*, inquit, *quum amplius frumenti postularemus.* Illud vero pusilli animi et ipsa malevolentia ieiuni atque inanis, quod Ariobarzanem, quia senatus per me regem appellavit mihique commendavit, iste in litteris non regem, sed regis Ariobarzanis filium appellat.

XXXI. 82. Sed [4] amicorum litterae me ad triumphum vocabant, — rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc

---

[1]) ad Att. VII. 2. § 6. — [2]) Epist. ad Canin. Salustium (ad Fam. II. 17. § 6.) — [3]) Ibid. § 7. — [4]) ad Att. VI. 6. § 4.

mihi ad summam gloriam … : — quem [1] vide-
78. Hoc [1] est igitur eius … ent, εὐπόριστον. Iu-
gratiae. Nec [2] enim … erum, tum ex sup-
fieri potuit, quod prae … , quibus mihi gratu-
cumulate publicanis … modo exsultavit Cato-
decreto iusto et s … quamquam [3] non scripsit,
queri audeat: … , sed tantum, supplicationem
nihil cupide … Cato [4] igitur in me turpiter
nes et … tatis, iustitiae, clementiae,
meae volu … quod non quaerebam; quod postu-
erat ali … porro assensus est, unus, familiaris
hanc [7] … iratus, Hirrus. Cato autem et scri-
dus … ad me de sententia sua litteras misit:

nan … S. P. D. M. T. CICERONI IMP.

pr…

i … me et nostra amicitia hortatur, libenter … , innocentiam, diligentiam, cognitam … , domi togati; armati foris, pari industria … Itaque, quod pro meo iudicio facere … consilioque tuo defensam provinciam, … cum ipso rege regnum, sociorum revo- … imperii nostri voluntatem, sententia mea … laudarem, feci. 84. Supplicationem decretam, … in re nihil fortuito, sed summa tua ratione et … reipublicae provisum est, diis immortalibus gra- … quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. … triumphi praerogativam putas supplicationem, et … potius, quam te laudari mavis; neque sup- … sequitur semper triumphus, et triumpho multo

…

… — [4]) Ibid. VII. 2. § 7. — [5]) Ibid. VII. 1. § 7. —
… — Ibid. VII. 1. § 7. — [6]) ad Fam. XV. 5.

clarius est, senatum iudicare, potius mansuetudine et innocentia imperatoris provinciam, quam vi militum aut benignitate deorum retentam atque conservatam esse: quod ego mea sententia censebam. Atque haec ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maxime vola, existimes, me laborare, ut tibi persuadeam, me ut voluisse de tua maiestate, quod amplissimum sim arbitratus, et quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, et nos dilige, et instituto itinere severitatem diligentiamque socii et reipublicae praesta.

XXXII. 85. Sed [1], ut sedeam ad Parthos; nos [2] quum maxime tempus prope iam exercitum habebamus, (dies enim XXXIII erant reliqui) sollicitudine provinciae tamen vel maxime urgebamur. Quum enim arderet Syria bello et Bibulus, in tanto maerore suo, maximam curam belli sustineret, ad meque legati eius et quaestor et amici litteras mitterent, ut subsidio venirem; etsi exercitum infirmum habebam, (auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum; haec enim erant nostra robora) tamen esse officium meum putavi, exercitum habere quam proxime hostem, quoad mihi praesse provinciae per senatusconsultum liceret. Sed, quo ego maxime delectabar, Bibulus molestus mihi non erat: de omnibus rebus scribebat ad me potius. 86. Interim mihi decessionis dies λελῃθώς obrepebat. Erat igitur ἄλλο πρόβλημα, quem praeficerem, nisi Caldus quaestor venisset; de quo nihil certi habebamus. Clausula [3] erat difficilis in tradenda provincia, quem [4] relinquerem, qui provinciae praeesset. Ratio quidem et

---

[1]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 10. § 4.) — [2]) ad Att. VI. 5. § 3. — [3]) Ibid. VI 3. § 3. — [4]) Ibid. § 1.

παλιγγενεσίαν nostram, non negl[ ]m, quod videbam, nisi reipublicae tempora [ ]nde, quod solum dicabam autem quum ex litt[ ]m ex pacto et complicatione. Itaque[2] Caesar [ ]me discesserat. Quae labatur et omnia polliceb[ ]tenim erat levis, libidinis, in me ingratissimi. [ ]fratrem nemo erat, quem quid ille sententiae d[ ]li praesertim, anteferrem. eum mihi non decre[ ]is videbantur, statueram fra- fuit malevolus. [ ]reipublicae caussa contra sena- fidei mihi testi[ ]re. 87. Accepi[2] autem a Caelio labam, id nega[ ]a Cilicia, quum essem in castris, meus, Favo[ ]scriptas humanissime, quibus facile hendo adfu[ ]. Et[4] quum optatissimum nuntium [ ]mihi quaestorem obtigisse, eo iucundio- [ ]sperabam fore, quo diutius in provincia *Quo* [ ]Magni enim videbatur interesse, ad eam *fa* [ ]quam nobis sors tribuisset, consuetudinem [ ]

[ ]Ergo[5] de provincia decedens quaestorem [ ]reposui provinciae. Puerum[6], inquies, et far- [ ]et non gravem et non continentem. Assecu- [ ]non potuit aliter. At[7] quaestorem; at nobilem [ ]eum; at omnium fere exemplo; neque erat supe- [ ]honore usus, quem praeficerem. Pomptinius multo [ ]discesserat. Rapuerat[8] hominem Postumius Romam, [ ]etiam Postumia. Nihil[9] autem minus probari pot-

---

1) ad Att. VI. 6. § 3. — 2) Epist. ad Caelium Caldum (ad Fam. II. [ ] § 1.) — 3) ad Att. VI. 6. § 3. — 4) Epist. ad Caelium Caldum (ad [ ]am. II. 19. § 1.) — 5) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 15. § 4.) — [ ]) ad Att. VI. 6. § 3. — 7) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 15. § 4.) — [ ]) ad Att. V. 21. § 9. — 9) Ibid. VI. 4. § 1.

·m quaestor Mescinius. 89. A[1] Quinto fratre
·ri non poterat; oderat[2] enim provinciam:
. odiosius, nihil molestius. Quem[3] tamen
.i, dixissent iniqui, non me plane post annum,
· voluisset, de provincia decessisse, quoniam al-
me reliquissem. Fortasse etiam illud addidissent,
itum eos voluisse provinciis praeesse, qui antea non praefuissent; fratrem meum triennium Asiae praefuisse. Denique, si fratrem reliquissem, omnia timuissem; numquam[4] fuissem sine cura, si quid iracundius aut contumeliosius aut negligentius; quae fert vita hominum. Quid, si quid filius puer et puer bene sibi fidens? qui fuisset dolor? 90. Postremo[5] non tam mea sponte, quam potentissimorum duorum exemplo, qui omnes Cassios Antoniosque complexi sunt, nobilem adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui. Etenim[6] Pompeius, eo robore vir, iis radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit, Caesar Antonium. Ego sorte datum offenderem, ut etiam inquireret in eum, quem reliquissem? Hoc melius; et huius rei plura exempla; senectuti quidem nostrae profecto aptius.

XXXIV. 91. Quod[7] autem fecissem ad Urbem, si consuetudo pristina maneret; id, quoniam lege Iulia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdemque totidem verbis referre ad aerarium, feci in provincia. Ergo[8] Laodicene quaestorem Mescinium exspectare iussi, ut confectas rationes lege Iulia apud duas civitates possem relinquere.

---

[1]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 15. § 4.) — [2]) ad Att. VI. 3. § 2. — [3]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 15. § 4.) — [4]) ad Att. VI. 6. § 4. — [5]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 15. § 4.) — [6]) ad Att. VI. 6. § 4. — [7]) Epist. ad Mescinium Rufum (ad Fam. V. 20. § 2.) — [8]) ad Att. VI. 7. § 2.

[illegible] quod lex iubebat, ut [illegible] Apameensem, quae nobis [illegible] ita necesse erat, rationes [illegible] deposueramus. 92. Sed[2] quam [illegible] vero difficilis eius diuturna [illegible] hoc rectum et gloriosum putarem, [illegible] mihi decretus esset, me C. Caelio [illegible] annuum, referre in aerarium ad H-S [illegible] cohors, omne illud putans distribui [illegible] amicior invenirer Phrygum et Cilicum [illegible] nostro. Sed me non moverunt. Nam mea [illegible] plurimum valuit. Ergo[3] de praeda mea, [illegible] quaestores urbanos, id est populum Romanum, [illegible] non attigit quisquam. Laodiceae praedes accepi [illegible] pecuniae publicae, ut et mihi et populo cautum [illegible] vecturae periculo. Omnis pecunia ita tractaba[illegible] praeda, a praefectis; quae autem mihi attributa [illegible] a quaestore curabatur.

XXXV. 93. Imperio[4] annuo terminato, ante diem III. Nonas Sextiles, quum ad Sidam navi accederem, Rhodum[5] petii Ciceronum caussa puerorum. Sed[6] quum Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso quum consuetudine iucunda tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegii deminutam dolebam; qua in cogitatione et cooptatum me ab eo in collegium

---

1) Epist. ad Mescinium Rufum (ad Fam. V. 20. § 2.) — 2) ad Att. VII. 1. § 6. — 3) Epist. ad Caninium Salustium (ad Fam. II. 17. § 4. — 4) Epist. ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 12. § 4.) — 5) Epist. ad Caninium Salustium (ad Fam. II. 17. § 1.) — 6) Brut. c. 1. § 1.

recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. 94. Augebat etiam molestiam, quod in magna sapientium civium bonorumque penuria vir egregius coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo reipublicae tempore exstinctus, et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat; dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris amiseram. Etenim, si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poetas nobiles poetarum aequalium morte doluisse; quo tandem animo eius interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? quum praesertim non modo numquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus; sed contra semper alter ab altero adiutus et communicando et monendo et favendo. 95. Is [1], L. Crasso Q. Scaevola consulibus, primum in foro dixit et apud hos ipsos quidem consules, et quum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio discessit probatus. Undeviginti annos natus erat eo tempore. Est autem L. Paullo C. Marcello consulibus mortuus; ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quattuor et quadraginta fuisse.

XXXVI. 96. Hortensius [2] igitur quum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est; quamquam inciderat in Cottae et Sulpicii aetatem, qui annis decem maiores, excellente tum Crasso et Antonio, deinde Philippo, post Iulio, cum

[1]) Ibid. c. 64. § 229. — [2]) Ibid. c. 88. § 301.

iis ipsis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. Hoc adiumento ille tanto sic utebatur, ut sua et commentata et scripta et, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset. 97. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret aut meditaretur extra forum. Saepissime autem eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones; memor, et quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset. Erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus; eaque erat quum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acute, nec praetermittebat fere quidquam, quod esset in caussa aut ad confirmandum aut ad refellendum. Vox canora et suavis: motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis.

XXXVII. 98. At[1] post consulatum (credo, quod videret ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent) summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus et secundus annus et tertius tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens posset cognoscere. Longius autem

[1]) Brut. c. 93. § 320.

procedens ut in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie. 99. Itaque [1], quum iam paene evanuisset Hortensius, et ego anno meo, sexto autem post illum consulem, consul factus essem, revocare se ad industriam coepit, ne, quum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis caussis, quum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, coniunctissime versati sumus; consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. Maxime vero perspecta est utriusque nostrum exercitatio paullo ante, quam perterritum armis hoc studium nostrum conticuit subito et obmutuit; quum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad caussas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus quotidie.

XXXVIII. 100. Sed [2] si quaerimus, cur adolescens magis floruerit dicendo, quam senior Hortensius; causas reperiemus verissimas duas. Primum, quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiae magis concessum, quam senectuti. Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: de quibus [3] et alias saepe a nobis multa quaesita et disputata sunt, et nuper in primo libro horum Commentariorum. Itaque [4] Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. Habebat enim et Meneclium illud studium crebrarum venustarumque sententiarum; in quibus, ut in illo Graeco, sic in hoc erant quaedam magis venustae dulces-

[1]) Ibid. c. 94. § 323. — [2]) Ibid. c. 95. § 325. — [3]) Academ. prior. II. c. 3. § 9. — [4]) Brut. c. 95. § 326.

[illegible] aut interdum utiles; [illegible] vibrans, tum etiam accu- [illegible] haec senibus. Saepe vide- [illegible] etiam irascentem et stoma- [illegible] mirabantur adolescentes, multi- [illegible] excellens iudicio vulgi, et facile [illegible]. Etsi enim genus illud dicendi [illegible], tamen aptum esse aetati vide- [illegible] et ingenii quaedam forma lucebat et [illegible] erat verborumque astricta compre- [illegible] hominum admirationem excitabat. 101. [illegible] honores et illa senior auctoritas gravius [illegible]quaereret, remanebat idem nec decebat idem; [illegible]exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo [illegible], concinnitas illa crebritasque sententiarum [illegible] manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo con- [illegible], ornata non erat. Ergo[1] ille a Crasso consule Scaevola usque ad Paullum et Marcellum consules flo- [illegible], nos in eodem cursu fuimus a Sulla dictatore ad eosdem [illegible] consules.

XXXIX. 102. Sic Q. Hortensii vox exstincta fato suo [illegible]; et[2] fortunatus illius exitus, qui ea non vidit quum fierent, quae providit futura! Saepe enim inter nos impendentes casus deflevimus, quum belli civilis caussas in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus. Sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quae consecutae sunt, morte vindicavisse. 103. Sed[3], quoniam perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita, suo magis

---

[1]) Brut. c. 90. § 328. — [2]) Ibid. § 329. — [3]) Ibid. c. 1. § 4.

quam suorum civium tempore, et tum occidit, quum lugere facilius rempublicam posset, si viveret, quam iuvare, vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse, doleamus; illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius, quam misericordia prosequamur, ut, quotiescumque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius, quam nosmetipsos diligere videamur. Nam, si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet, nostrum est id malum; quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur: sin, tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur, summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur. Etenim si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus; hunc aut praeter ceteros aut cum paucis sustineret dolorem, quum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita et Romanis Graecisque auribus digna spoliatum atque orbatum videret.

Sed[1] iam ad id, unde digressi sumus, revertamur: etenim[2] vereor, ne haec ipsa nimium multa esse videantur.

XL. 104. Rhodo[3] igitur quum Ephesum peteremus, nos Etesiae vehementissime tardarunt. Detraxit xx ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. Ephesi[4] erat C. Curtius Mithres, libertus Postumi, familiarissimi mei. Is me coluit et observavit aeque atque illum ipsum patronum suum. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescumque fui, tamquam

[1]) Ibid. c. 38, § 300. — [2]) pro Cluentio c. 14. § 41. — [3]) ad Att. VI. 8. § 4. — [4]) Epist. ad P. Servilium (ad Fam. XIII. 69. § 1.)

que sententiae, quam aut n … quibus. et benevolen- … et erat oratio quum incitata … Itaque si quid aut … rata et polita. Non proba- … opus est, ad hunc … bam quum irridentem … opera et fide, tum domo … chantem Philippum: … Pridie [1] Kal. Octobres Bat- … tudo movebatur. F … domum Curtii et [2] miros … primas tenebat ad … os. Cum Lepta etiam plura … auctoritatis hab … falsa, sed certe horribilia —: … batur; et cert … missurum; cum illo praetores de- … exercitatione … plebis, Leptulum consulem … hensio, su … esse Urbem relinquere. 106. … Sed, qu … conscendentes nos Rhodiorum aphractis … quidd … tranquillitates ausuros eramus. … quod … mus, ut non posset magis. Plane [4] … fu … tribus, quorum voluntatem in suppli- … p … tus. Quantae [5] enim cum Marcello meus … et quam idem exstitisset consul in me or- … nando; qui fuerat semper cum parentibus … tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognove- … ex meorum omnium litteris. Cuius [6] collegam, … qui consulatum olim ornaverat et reditum … vehementer [7] rogaveram, ut et quam honorifican- … cureret decernendum de meis rebus gestis, et quam …

107. Pridie [8] Idus Octobres Athenas venimus, … anno adversis ventis usi essemus tardeque et inconm- … navigassemus. De nave exeuntibus nobis Acastus …

[1]) ad Att. VI. 8. § 1. — [2]) Ibid. § 2. — [3]) Ibid. § 4. — [4]) Ibid. VI. … § 2. [5]) Epist. ad C. Marcellum cons. (ad Fam. XV. 11. § 1.) — … [6]) Epist. ad L. Paullum cons. (ad Fam. XV. 13. § 2.) — [7]) Ibid. § 3. — … [8]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 5. § 1.)

ris praesto fuit; e quibus, in quam rempublicam sem, intelligebam. Cognovi enim ex multorum litteris, quas attulit Acastus, ad arma rem , ut mihi, quum venissem, dissimulare non liceret, sentirem. Cohorrui [1] autem, quod Attici litterae ferebant: *Caesar* [2] *Placentiam legiones quattuor.* Videre [3] enim mihi videbar tantam dimicationem; (nisi idem deus, qui nos melius, quam optare auderemus, Parthico bello liberavit, respiceret rempublicam) sed tantam, quanta numquam fuit. Nemini [4] est enim exploratum, quum ad arma ventum est, quid futurum sit: at illud omnibus, si boni victi sunt, nec in caede principum clementiorem hunc fore, quam Cinna fuerit, nec moderatiorem, quam Sulla, in pecuniis locupletium. 108. Sed [5] hoc malum mihi commune erat cum omnibus. Illud meum proprium πρόβλημα. Auctore Attico utrumque eram complexus; qui aliquando persuaserat, ut alterum complecterer, quia de me erat optime meritus, alterum, quia tantum valebat. Feci igitur. Itaque effeci omni obsequio, ut neutri illorum quisquam esset me carior. Haec enim cogitabamus: nec mihi, coniuncto cum Pompeio, fore necesse peccare in republica aliquando, nec, cum Caesare sentienti, pugnandum esse cum Pompeio; tanta erat illorum coniunctio. Iam vero impendebat, ut et Atticus ostendebat et ego videbam, summa inter eos contentio. Me autem uterque numerabat suum, nisi forte simulabat alter. Nam Pompeius non simulabat; vere enim iudicabat, ea, quae de republica sentiret, mihi valde probari. Utriusque autem acceperam eiusmodi litteras, eodem tempore, quo

[1]) ad Att. VII. 1. § 1. — [2]) Ibid. VI. 9. § 5. — [3]) Ibid. VII. 1. § 2. — [4]) Ibid. VII. 7. § 7. — [5]) Ibid. VII. 1. § 2.

pluris facere, quam

alienum esse arbitror, quo minus a nemullis, aut tacitorum existima- explicare hic breviter, quae mihi ratio cum Caesare. Ac primum illud tempus consuetudinis, quae mihi cum illo, quae C. Varroni, consobrino nostro, ab omnium familiaritate fuit, praetermitto. Postequam sum in rempublicam ingressus, ita dissensi ab illo, dissimilitudine sententiae, coniuncti tamen amicitia Ego? me a Caesare in republica dissensisse et sensisse cum bonis omnibus; qui, quamdiu Caesaris consilia in republica non maxime diligebant, me cum illo minus coniunctum viderunt: posteaquam ille gestis mentes suas voluntatesque mutaverant, me non comitem esse sententiae suae, sed etiam laudatorem iudicarunt. 110. Sed[3] fuerunt, qui dicerent, omnem illam tempestatem, cui cesserim, Caesare impulsore atque adiutore esse excitatam: qua de re dicam, quod sentio. Si[4] non sum adiutus, non debuit; si desertus, sibi fortasse provident; si etiam oppugnatus, ut quidam aut putant aut volunt, violata amicitia est, accepi iniuriam, inimicus esse debui non nego: sed, si idem ille mihi salutem esse voluit, quum boni omnes me, ut carissimum filium, desiderabant, et si iidem pertinere ad communem illam putabant, voluntatem C. Caesaris a salute mea non abhorrere; nonne videor, et ultimi temporis recor-

---

[1]) de Provinc. Consular. c. 17. § 40. — [2]) Ibid. c. 10. § 25. — [3]) Ibid. c. 8. § 18. — [4]) Ibid. c. 18. § 43.

datione et proximi memoria, medium illud tristissimum tempus debuisse, si ex rerum natura non poteram evellere, ex animo quidem certe excidere?

XLIII. 111. Ego[1] vero, si fuissent inimicitiae mihi cum C. Caesare, tamen hoc tempore reipublicae consulere, inimicitias in aliud tempus reservare debuissem. Potuissem etiam summorum virorum exemplo inimicitias reipublicae caussa deponere. Sed quum inimicitiae fuissent numquam, opinio iniuriae beneficio esset exstincta, sententia mea, si dignitas agebatur C. Caesaris, homini tributi: si honos quidam, senatus concordiae consului: si auctoritas decretorum, constantiam ordinis in eodem ornando imperatore servavi: si perpetua ratio Gallici belli, reipublicae providi: si aliquod meum privatum officium, me non ingratum esse praestiti. Atque hoc volui probare omnibus. Ardeo[2] enim incredibili quodam amore patriae: qui me amor et subvenire olim impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis, et rursum, quum omnia tela undique esse intenta in patriam viderem, subire coegit, atque excipere unum pro universis. Hic me meus in rempublicam animus pristinus ac perennis cum C. Caesare reduxit, reconciliavit, restituit in gratiam. Quod volent denique, homines existimentur; nemini ego possum esse bene de republica merenti non amicus. 112. Ergo[3] supplicationem quindecim dierum decrevi sententia mea. Reipublicae satis erat tot dierum, quot C. Mario. Diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quae ex maximis bellis. Ergo ille cumulus dierum hominis est dignitati tributus. In quo ego Cn. Pompeii virtutem et animi magnitudinem admiratus sum,

---

[1]) Ibid. c. 20. § 47. — [2]) Ibid. c. 9. § 23. — [3]) Ibid. c. 11. § 26.

quod, quum ipse ceteris omnibus esset omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri tribuebat, quam ipse erat consecutus. Ergo in illa supplicatione, quam ego decrevi, res ipsa tributa est diis immortalibus et maiorum institutis et utilitati reipublicae: sed dignitas verborum, honos, et novitas, et numerus dierum Caesaris ipsius laudi gloriaeque concessus est. 113. Relatum est ad nos de stipendio exercitus: non decrevi solum, sed etiam, ut senatus decerneret, laboravi; nulla dissentientibus respondi; scribendo adfui. Tum quoque homini plus tribui, quam nescio cui necessitati. Illum enim arbitrabar, etiam sine hoc subsidio pecuniae, retinere exercitum praeda ante parta et bellum conficere posse: sed decus illud et ornamentum triumphi minuendum nostra parsimonia non putavi. Actum est de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii exempla quaerebant, alii tempus differebant, alii sine ullis verborum ornamentis dabant: in ea quoque re sic sum locutus, ut omnes intelligerent, me id, quod reipublicae causa sentirem, facere uberius propter ipsius Caesaris dignitatem.

XLIV. 114. An[1] ego poteram huic esse inimicus, cuius litteris, fama, nuntiis celebrabantur aures quotidie nicae novis nominibus gentium, nationum, locorum? Bellum[2] enim Gallicum C. Caesare imperatore gestum est, antea tantummodo repulsum. Semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas putaverunt. Ipse ille C. Marius, cuius divina atque eximia virtus magnis populi Romani luctibus funeribusque subvenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbes

[1]) de Provinc. Consul. c. 9. § 22. — [2]) Ibid. c. 13. § 32.

sedesque penetravit. Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pomptinius, fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum atque hanc scelerata coniuratione excitatum praeliis fregit, eosque domuit, qui lacessierant, et ea victoria contentus, republica metu liberata quievit. C. Caesaris longe aliam video fuisse rationem. Non enim sibi solum cum iis, quos iam armatos contra populum Romanum videbat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem esse redigendam. 115. Itaque cum acerrimis nationibus et maximis Germanorum et Helvetiorum praeliis felicissime decertavit: ceteras conterruit, compulit, domuit, imperio populi Romani parere assuefecit, et quas regiones quasque gentes nullae nobis antea litterae, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noster imperator nosterque exercitus et populi Romani prima peragrarunt. Senitam tantum Galliae tenebamus antea; ceterae partes a gentibus aut inimicis huic imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certe inmanibus et barbaris et bellicosis tenebantur; quas nationes, nemo umquam fuit, quin frangi domarique cuperet; nemo sapienter de republica nostra cogitavit iam inde a principio huius imperii, quin Gallicam maxime timendam huic imperio putaret: sed propter vim ac multitudinem gentium illarum numquam est antea cum omnibus dimicatum. Restitimus semper lacessiti. Nunc denique est perfectum, ut imperii nostri terminique illarum idem esset extremum.

Sed[1] plura, quam statueram; quare[2] iam ad id, quod institui, revertar.

---

[1]) Epist. ad M. Marcellum (ad Fam. IV. 8. § 2.) — [2]) pro Murena c. 32. § 67.

quod, ... deinde cogitabam sine ulla
latus ... si dii nos adiuvarent, cir-
cons ... sperabam fore. Scripsi igi-
res ... quod commodo valetudinis suae
(... pateret, obviam nobis properaret.
... aegrum reliqui, adolescentem pro-
... erant in me officia, domestica,
... provincialia: in se privata, in publica,
... litteris nostris. Itaque[6] carebam aegre
... adolescente castius, nihil diligentius. Et[7]
... magni ad honorem nostrum intererat, quam
... Urbem me venire, tamen paccasse mihi vide-
... ab ipso discessissem: sed quia huius voluntas ea
... esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nollet
... approbavi hoc consilium. 117. A[9] Tirone autem
... simus a. d. IV. Non. Novembr. Tertio[10] die ad Alyzeam
... simus. Is locus est citra Leucadem stadia circ. Apud[11]
... iam, ex quo loco Tironi litteras dedi, unum diem com-
... mati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat.
... dies fuit Nonae Novembr. Inde ante lucem proficiscentes
Leucadem[12] venimus a. d. VIII. Idus Novembr., a. d. VII. Actium Corcyrae. In[13] Actio Alexio me opipare muneratus est. Quinto Ciceroni obsisti non potuit, quo minus Thyamim videret. Ibi[14] propter tempestatem a. d. VI. Idus mensis sumus. Inde a. d. V. Idus Corcyram bellissime navigavimus.

---

[1]) ad Att. V. 2. § 1. — [2]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 5. § 3.) — [3]) Ibid. § 2. — [4]) ad Att. VII. 2. § 3. — [5]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 4. § 3.) — [6]) ad Att. VII. 2. § 3. — [7]) Ibid. VI. 7. § 2. — [8]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 1. § 1.) — [9]) Ibid. XVI. 9. § 1.) — [10]) Ibid. XVI. 2. § 1. — [11]) Ibid. XVI. 3. § 1. — [12]) Ibid. XVI. 9. § 1. — [13]) ad Att. VII. 2. § 3. — [14]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 9. § 1.)

Corcyrae fuimus usque a. d. XVI. Kalend. Decembr., tempestatibus retenti: Quintus[1] autem pater et filius Buthroti.

XLVI. 118. A.[2] d. XV. Kalend. Decembr. in portum Corcyraeorum ad Cassiopen stadia CXX processimus. Ibi retenti ventis sumus usque a. d. IX. Kalendas. Interea, qui cupide profecti erant, multi naufragia fecerunt. Nos eo die vasculi solvimus. Inde austro lenissimo, caelo sereno, noctu illa et die postero in Italiam ad Hydruntem laudibundi pervenimus, eodemque vento postridie (id erat a. d. VII. Kalend. Decembr.) hora quarta Brundisium venimus: eodemque tempore simul nobiscum in oppidum intravit Terentia: quae[3] quidem eodem tempore ad portam Brundisinam venit, quo ego in portum, mihique obvia in foro fuit. Nihil[4] potuit esse iucundius. 119. De[5] republica autem quotidie magis timebam. Sic[6] enim sentiebam, maximo in periculo rem esse. Alii scilicet plura; qui in Urbe erant. Verumtamen hoc videbam, cum homine audacissimo paratissimoque negotium esse; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illac facere, omnem fere iuventutem; omnem illam urbanam ac perditam plebem; tribunos valentes, addito C. Cassio, omnes, qui aere alieno premerentur; quos plures esse intelligebam, quam putaram; (caussam solum illa caussa non habebat; ceteris rebus abundabat) hic omnia facere omnes, ne armis decerneretur; quorum exitus semper incerti, tunc vero etiam in alteram partem magis timendi. 120. Sed[7] horum omnium fons unus erat. Imbecillo resistendum fuit; et id erat facile. Iam legiones

[1]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 7. § 1.) — [2]) Ibid. XVI. 9. § 1. — [3]) ad Att. VII. 2. § 2. — [4]) Ibid. § 5. — [5]) Ibid. VII. 5. § 4. — [6]) Ibid. VII. 3. § 5. — [7]) Ibid. VII. 7. § 6.

[illegible]: Transpadani, plebes
[illegible] inventus, tanta auctoritate
[illegible] aut depugnandum erat aut
[illegible] is eum, qui illi concedi,
[illegible] quam signa conferri!
[illegible] per annos decem alumnus
[illegible] putabant, non consentiebant.
[illegible] quos senatores vidi, qui acerbe
[illegible] Pompeii vituperarent! Pace
[illegible] multa mala, tum certe tyrannus
[illegible] erat.

[illegible] d. VIII. Id. Decembr. in Trebulanum [illegible] Pompeium [4] vidi IV. Id. Decembres. Fuimus fortasse. Magna laetitia mihi visus [illegible]: de triumpho hortari, suscipere [illegible], ne ante in senatum accederem, quam [illegible]: ne dicendis sententiis aliquem tribunum [illegible]. Quid quaeris? in hoc officio sermonis nihil [illegible] perfectius. 122. De republica autem ita mecum [illegible], quasi non dubium bellum haberemus. Nihil [illegible] concordius; Caesarem plane a se alienatum, quum [illegible] intellexisset, tum vero proxime iudicasse: venisse [illegible] a Caesare, qui esset illi familiarissimus, ad se non [illegible]: et, quum ille a. d. VIII. Idus Decemb. vesperi [illegible]. Balbus de tota re constituisset a. d. VII. ad Scipionem [illegible] hucem venire, multa de nocte eum profectum esse [illegible] Caesarem. Hoc illi [illegible] videbatur esse alienationis. Quid multa? Nihil me aliud consolabatur, nisi quod

---

[illegible] Att. VII. 3. § 5. — [4]) Ibid. § 4. — [5]) Ibid. VII. 3. § 1. — [illegible] VII. 4. § 2.

illum, cui etiam inimici alterum consulatum, fortuna summam potentiam dederat, non arbitrabar fore tam amentem, ut haec in discrimen adduceret. 123. Ergo, ut res erat, a. d. III. Nonas Ian. ad Urbem cogitabam; scilicet [1] de Formiano Tarracinam pridie Kal. Ian.; inde Pomptinam summam; inde Albanum Pompeii; ita ad Urbem III. Nonas, natali meo. Sed [2], quoniam IV. Nonas Ianuar. Compitalicius dies erat, nolui eo die in Albanum venire, ne molestus essem familiae. Veni III. Nonas igitur: inde ad Urbem pridie Nonas.

---

[1]) ad Att. VII. 5. § 3. — [2]) Ibid. VII. 7. § 3.

LIBER OCTAVUS.

I. 1. Ergo[1] ad Urbem accessi pridie Nonas Ianuar. Obviam mihi sic est proditum, ut nihil potuerit fieri ornatius. Sed incidi in ipsam flammam civilis discordiae vel potius belli: cui quum cuperem mederi et, ut arbitror, possem, cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte erant, qui pugnare cuperent) impedimento mihi fuerunt. Diversae[2] voluntates civium fuerunt distractaeque sententiae. Non enim consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset; multi, quid sibi expediret; multi, quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret. 2. Equidem[3] dies noctesque torquebar, nec[4] quid acturus essem, sciebam. Erat[5] *πρόβλημα* sane *πολιτικόν*: quum esset necesse aut haberi Caesaris rationem, illo exercitum vel per senatum vel per tribunos plebis obtinente, aut persuaderi Caesari, ut traderet provinciam atque exercitum, et ita consul fieret; aut, si id non persuaderetur,

---

[1]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 11. § 2.) — [2]) pro Marcello c. 10. § 30. — [3]) ad Att. VII. 9. § 4. — [4]) Ibid. VII. 10. — [5]) Ibid. VII. 9. § 2.

haberi comitia sine illius ratione, illo patiente atque obtinente provinciam; aut, si per tribunos plebis non pateretur, tametsi quiesceret, rem adduci ad interregnum; aut, si ob eam caussam, quod ratio eius non haberetur, exercitum adduceret, armis cum eo contendere; illum autem initium facere armorum, aut, statim nobis minus paratis, aut tum, quum comitiis, amicis eius postulantibus, ut e lege ratio haberetur, impetratum non esset; ire autem ad arma, aut hanc unam ob caussam, quod ratio non haberetur, aut addita caussa, si forte tribunus plebis, senatum impediens aut populum incitans, notatus aut senatusconsulto circumscriptus aut sublatus aut expulsus esset, dicensve se expulsum ad illum confugisset; suscepto autem bello, aut tenenda esset Urbs, aut, ea relicta, ille commeatu et reliquis copiis intercludendus. Quid horum malorum; quorum aliquod certe subeundum erat, minimum putarem; dubitabam; et[1] si pugnandum erat: quo tempore, in casu; quo consilio, in temporibus situm erat.

II. 3. Omnino[2] et ipse Caesar minaces ad senatum et acerbas litteras miserat, et erat adhuc impudens, qui exercitum et provinciam invito senatu teneret. Nam[3] quid impudentius? Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et per factionem datos. Praeteriit tempus, non legis, sed libidinis tuae: fac tamen, legis. Ut succedatur, decernitur: impedis et qis »*Habe mei rationem.*" Nobis[4] autem, ut quidam putabant, nihil erat timendum magis quam ille consul. Et[5] Curio illum incitabat; quocum Antonius et Q. Cassius, nulla vi expulsi,

[1]) Ibid. § 4. — [2]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 11. § 2.) — [3]) ad Att. VII. 9. § 4. — [4]) Ibid. § 3. — [5]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 11. § 2.)

ad Caesarem profecti erant. 4. Posteaquam senatus consulibus, praeteritis, tribunis plebis et nobis, qui proconsules eramus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET, numquam maiore in periculo civitas fuit; numquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem. Omnino ex hac quoque parte diligentissime comparabatur. Id fiebat auctoritate et studio Pompeii nostri, qui Caesarem sero coepit timere: nam [1], quum omnes Caesarem metuebamus, ipse eum diligebat; postquam ipse metuere coepit, putabat omnes hostes illi oportere esse.

III. 5. Italiae [2] regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur. Nos Capuam sumpsimus. Dixi [3] autem Pompeio, me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia. Itaque habui nihil omnino negotii; quod ab initio vidi, nihil quaeri praeter fugam. Et [4] inter has turbas senatus tamen frequens nobis flagitavit triumphum: sed Lentulus consul, quo maius suum beneficium faceret, simul atque expedisset, quae essent necessaria de republica, dixit se relaturum. Nos agebamus nihil cupide, eoque erat nostra pluris auctoritas. 6. Invite [5] igitur cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, sed sic, ne causam, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor: bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet; et, ut ipse sensissem, multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi. Ego [6] enim me ducem in civili bello, quoad de pace ageretur, negavi esse: non quin rectum esset; sed quia, quod multo

---

[1]) ad Att. VIII. 1. § 4. — [2]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 11. § 3.) — [3]) ad Att. VIII. 3. § 5. — [4]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 11. § 3.) — [5]) ad Att. VIII. 3. § 4. — [6]) Ibid. VII. 26. § 2.

rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Ergo[1] negotio praeeram non turbulento, et vagus esse cogitabam. 7. Volebat autem me Pompeius esse, quem tota haec Campana et maritima ora haberet ἐπίσκοπον, ad quem delectus et summa negotii referretur. Delectus[2] enim magnos habebamus: putabamusque Caesarem metuere, si ad Urbem ire coepisset, ne Gallias amitteret: quas ambas habebat inimicissimas, praeter Transpadanos: ex Hispaniaque sex legiones, et magna auxilia Afranio et Petreio ducibus habebat a tergo.

IV. 8. Itaque[3] quum Caesar amentia quadam raperetur, et, oblitus nominis atque honorum suorum, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium occupavisset, Urbem reliquimus: quam sapienter aut quam fortiter, nihil attinet disputare. Sed[4] quo in discrimine versaretur salus mea et bonorum omnium atque universae reipublicae, ex eo scire potest, quod domos nostras, et patriam ipsam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta erat, ut, nisi qui deus vel casus aliquis subveniret, salvi esse nequiremus. 9. Equidem, ut veni ad Urbem, non destiti omnia et sentire et dicere et facere, quae ad concordiam pertinerent: sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habebantur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil esse bello civili miserius. Atque[5] idem ego, quum iam omnes opes, et suas et populi Romani, Pompeius ad Caesarem detulisset, seroque ea sentire coepisset, quae ego multo ante praevideram, inferrique patriae bellum nefarium viderem; pacis, con-

---

[1]) ad Att. VII. 11. § 5. — [2]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 12. § 4.) — [3]) Ibid. § 2. — [4]) Ibid. § 1. — [5]) Philipp. II. c. 10. § 24.

ad Caesarem profe… destiti: meàque illa
sulibus, praetoribus, … Pompei, cum C. Cae-
sules eramus, ne … coisses, aut num-
RESPUBLICA DETRIV… …terum gravitatis, alte-
civitas fuit; … mea semper et de Pompeio
ducem. On… …: quae si valuissent, res-
parabatur.
qui Ca…
sare…
me…

…agerem? Caussa[3] orta belli erat. …versi accidit non praedicente me: …tra divinatio fefellit, quam quum sa… …rum monumentis atque praeceptis plu… …studio, tum magno etiam usu tractan… …magnaque nostrorum temporum varietate … Cui quidem divinationi hoc plus confi… …nos nihil in his tam obscuris rebus tam… …unquam omnino fefellit. 11. Dicerem, … …dixissem, ni vererer, ne ex eventis fin… … Sed tamen plurimi sunt testes, me et initio, …ungeret se cum Caesare, monuisse Pompeium, et …ne seiungeret. Coniunctione frangi senatus opes, … civile bellum excitari videbam. Atque uteber …sime Caesare: Pompeium faciebam plurimi: sed …consilium quum fidele Pompeio, tum salutare … Eundum[5] in Hispaniam censui: quod si fe… …civile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi absentis, non tam pugnavi, ut liceret, quam ut, …niam ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur. 12. Quid ego praetermisi aut monitorum aut querelarum,

[1]) ad Att. VII. 1. § 4. — [2]) Epist. ad A. Caecinam (ad Fam. VI. 6. § 8.) — [3]) Ibid. § 6. — [4]) Ibid. § 3. — [5]) Ibid. § 5.

quum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem! Sed victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio, (nam is movebatur) quam ab iis, qui duce Pompeio freti peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. Vidi[1] enim nostros amicos cupere bellum: hunc autem non tam cupere, quam non timere. Vincere autem aut hos aut illos necesse erat.

VI. 13. Ergo semper in luctu fui, quum viderem, quam illud ingens malum alterius utrius exercitus et ducum interitu: tum vero extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otiosis minabantur; eratque iis et voluntas mea invisa et oratio. Nam[2] ego quidem semper de pace audiendum putavi; semperque dolui, non modo pacem, sed orationem etiam civium pacem flagitantium repudiari. Neque enim ego illa nec ulla umquam secutus sum arma civilia, semperque mea consilia pacis et togae socia, non belli atque armorum fuerunt. 14. Quo[3] quidem tempore si, ut dixi, meum consilium auctoritasque valuisset, respublica non tot duces et exercitus amisisset. Fateor enim, me, quum ea, quae acciderunt, providerem futura, tanta in maestitia fuisse, quanta ceteri optimi cives, si idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam rempublicam, meis quondam consiliis servatam, brevi tempore esse perituram. Nec vero eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitae cupiditatem, quae me manens conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus liberaret. Illos ego

[1]) Epist. ad Varronem (ad Fam. IX. 6. § 2.) — [2]) pro Marcello c. 5. § 14. — [3]) Philipp. II. c. 15. § 37.

cordiae, [illegible] publicae, vivere volebam,
vox est [illegible] honestissimos senatores,
sare [illegible]tis ac iuventutis, tum op-
quan[illegible] si viverent, quamvis iniqua
rum [illegible] omnis pax cum civibus bello
et [illegible]publicam hodie teneremus.
pu

[illegible] Kal. Febr. L. Caesar mandata Cae-
[illegible]rium, quum is esset cum consulibus
[illegible] omnino conditiones ab illo, ut Pom-
[illegible]spaniam; delectus, qui erant ha-
[illegible]dia nostra dimitterentur; se ulterio-
[illegible]mitio, citeriorem Considio Noniano
[illegible]) traditurum: ad consulatus peti-
[illegible]venturum: neque se iam velle, absente
[illegible]em haberi sui: se praesentem trinum
[illegible] petiturum. 16. Accepimus conditiones: sed
[illegible] removeret praesidia ex iis locis, quae occupaverat,
[illegible] metu de his ipsis conditionibus Romae senatus ha-
[illegible] posset. Id[2] si fecisset, responsum est, ad Urbem
[illegible] redituros esse et rem per senatum confecturos. Igi-
[illegible][4] spes erat pacis; non honestae — leges enim impone-
[illegible]bantur —, sed quidvis erat melius, quam sic esse, ut
[illegible]remus. Sin autem ille suis conditionibus stare nollet,
bellum paratum erat; eiusmodi tamen, in[5] quo tantum
[illegible]merat mali, ut, spe pacis exclusa, ipsa victoria futura
esset acerbissima, quae aut interitum allatura esset, si
victus esses, aut, si vicisses, servitutem. Totam[6] enim

---

[1]) ad Att. VII. 14. § 1. — [2]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 12. § 3.) — [3]) ad Att. VII. 14. § 1. — [4]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 12. § 4.) — [5]) Epist. ad Toranium (ad Fam. VI. 21. § 1.) — [6]) ad Att. VII. 17. § 4.

Italiam flagraturam bello intelligebam: tantum mali excitatum partim ex improbis, partim ex invidis civibus. 17. Caesarem[1] enim, L. Caesare cum mandatis de pace misso, tamen aiebant acerrime delectum habere, loca occupare, vincire praesidiis. Et[2] genus belli quod esset, videbam. Ita civile erat, ut non ex civium dissensione, sed ex unius perditi civis audacia natum esset. Is autem valebat exercitu, tenebat multos spe et promissis, omnia omnium concupiscebat. Huic tradita Urbs est, nuda praesidio, referta copiis. Quid est, quod ab eo non metuas, qui illa templa et tecta non patriam, sed praedam putet?

VIII. 18. Maximam[3] autem plagam accepit Caesar, quod is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, socius sceleris esse noluit. Reliquit illum vir[4] mea sententia magnus et Teanum venit a. d. IX. Kal. Ibi Pompeium consulesque convenit, non[5] dubitans de imbecillitate Caesaris copiarum. Huius adventu Cnaeus noster multo animi plus habebat; qui[6] ab Teano Larinum versus profectus est a. d. VIII. Kal. Eo die mansit Venafri et[7] ad me scripsit *paucis diebus se firmum exercitum habiturum;* spemque afferebat, *si in Picenum agrum ipse venisset, nos Romam redituros esse.* Aliquantum[8] igitur animi videbatur nobis attulisse Labienus, qui[9], ut aliud nihil, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem. 19. Nos[10] autem flagitiose eramus imparati quum a militibus, tum a pecunia; quam quidem omnem, non modo privatam, quae in Urbe erat, sed etiam publicam, quae in

---

[1]) ad Att. VII. 18. § 2. — [2]) Ibid. VII. 13. a. § 1. — [3]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 12. § 4.) — [4]) ad Att. VII. 13. b. § 7. — [5]) Ibid. VII. 16. § 2. — [6]) Ibid. VII. 13. b. § 7. — [7]) Ibid. VII. 16. § 2. — [8]) Ibid. VII. 13. b. § 7. — [9]) Ibid. VII. 13. a. § 1. — [10]) Ibid. VII. 15. § 3.

aerario erat, reliquimus Caesari. Commissum[1] quidem a nobis certe est, sive a nostro duce, ut, e portu sine gubernaculis egressi, tempestati nos traderemus. Ergo[2] plane oppressi videbamur; nec, quid consilii caperem, sciebam; nec mehercule de me laborabam: de[3] Ciceronibus nostris dubitabam quid agerem. Nam mihi interdum amandandi videbantur in Graeciam. De Tullia autem et Terentia, quum mihi barbarorum adventus proponebatur, omnia timebam; quum autem Dolabellae veniebat in mentem, paullum respirabam, quod Dolabella noster[4] apud Caesarem erat.

IX. 20. Interim[5] Trebatius quidem scripsit se ab illo IX. Kal. Febr. rogatum esse, ut scriberet ad me, *ut essem ad Urbem; nihil ei me gratius facere posse.* Haec verbis plurimis. Intellexi ex dierum ratione, ut primum de discessu nostro Caesar audisset, laborare eum coepisse, ne omnes abessemus. Itaque non dubitabam, quin ad Pisonem, quin ad Servium scripsisset. Illud admirabar, non ipsum ad me scripsisse, non per Dolabellam, non per Caelium egisse: quamquam non aspernabar Trebatii litteras, a quo me unice diligi sciebam. 21. Rescripsi ad Trebatium, (nam ad ipsum Caesarem, qui mihi nihil scripsisset, nolui) *quam illud hoc tempore esset difficile; me tamen in praediis meis esse; neque delectum ullum, neque negotium suscepisse.* Ego[6] enim adhuc orae maritimae praeeram a Formiis. Nullum maius negotium suscipere volueram, quo plus apud illum meae litterae cohortationes-

---

[1]) ad Att. VII. 13. a. § 2. — [2]) Ibid. VII. 19. — [3]) Ibid. VII. 13. a. § 3. — [4]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 12. § 5.) — [5]) ad Att. VII. 17. § 3. — [6]) Epist. ad Tironem (ad Fam. XVI. 12. 5.)

que ad pacem valerent. Nam[1] equidem pacem hortari non desinebam: quae vel iniusta utilior esset, quam iustissimum bellum. Quo[2] facilius tamen de Pompeii rebus cognoscerem, Capuam aliquoties profectus sum.

X. 22. Quo[3] quum primo venissem a. d. VI. Kal., consules conveni multosque nostri ordinis. Omnes cupiebant, Caesarem, abductis praesidiis, stare conditionibus iis, quas tulisset. Uni Favonio, leges ab illo nobis imponi, non placebat; sed is haud auditus in consilio. Cato enim ipse iam servire, quam pugnare, malebat: sed tamen ait, in senatu se adesse velle, quum de conditionibus ageretur, si Caesar adductus esset, ut praesidia deduceret. Ita, quod maxime opus erat, in Siciliam ire non curavit. Postumius autem, de quo nominatim senatus decreverat, ut statim in Siciliam iret Furfanioque succederet, negabat se sine Catone iturum: et suam in senatu operam auctoritatemque quam magni aestimabat. Ita res ad Fannium pervenit. Is cum imperio in Siciliam praemissus est. 23. In disputationibus nostris summa varietas erat. Plerique negabant Caesarem in conditione mansurum, postulataque haec ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur. Ego autem, qui eum putabam facturum, ut praesidia deduceret: *Vicerit, si consul factus erit; et minore scelere vicerit, quam quo ingressus est!* Capua[4] profectus sum Formias a. d. III. Kal. Nam[5] quoad sciremus, utrum turpi pace nobis, an misero bello esset utendum, in Formiano esse volui et una Cicerones.

---

[1]) ad Att. VII. 14. § 3. — [2]) Ibid. VII. 19. — [3]) Ibid. VII. 15. § 2. — [4]) Ibid. VII. 16. § 2. — [5]) Ibid. VII. 18. § 1.

VI. [illegible][1] tamen a consulibus Capuam venire iussi sumus ad Nonas Febr. Quapropter[2] ipse quidem cum fratre ad consules, spe[3] audiendi, et cognoscendi nostri [illegible], maximo imbri Capuam veni pridie Nonas: Nonis[4] enim adesse iussi eramus; mulieres[5] autem et Ciceronem in Formiano reliqueram. Eo[6] die Lentulus venit sero: alter consul omnino non venerat vii. Idus. Quum[7] fuissem triduum, recepi me Formias. 25. Haec[8], Capuae dum fui, cognovi: nihil in consulibus, nullum usquam delectum. Nec enim conquisitores *quaesitores* audebant; quum ille adesset contra, quum noster dux nusquam esset, nihil ageret; nec nomina dabant. Deficiebat enim non voluntas, sed spes. Cnaeus autem noster (o rem miseram et incredibilem!) ut totus iacebat! Non animus erat, non consilium, non copiae, non diligentia. Mittam illa, fugam ab Urbe turpissimam, timidissimas in oppidis conciones, ignorationem non solum adversarii, sed etiam suarum copiarum. 26. Hoc cuiusmodi erat? vii. Id. Febr. Capuam C. Cassius tribunus plebis venit, attulit mandata ad consules, *ut Romam venirent, pecuniam de sanctiore aerario auferrent, statim exirent.* Urbe relicta, redirent? — quo praesidio? deinde exirent? — quis sineret? Consul ei rescripsit, *ut prius ipse in Picenum.* At illud totum erat amissum; sciebat nemo praeter me ex litteris Dolabellae. Mihi dubium non erat, quin ille iam iamque foret in Apulia; Cnaeus[9] autem Luceriae dicebatur esse et adire cohortes legionum Attianarum, non firmissimarum. At illum ruere nuntiabant, et iam iamque adesse, non ut manum con-

---

[1]) ad Att. VII. 16. § 2. — [2]) Ibid. VII. 18. § 2. — [3]) Ibid. VII. 20. § 1. — [4]) Ibid. VII. 18. § 2. — [5]) Ibid. VII. 20. § 2. — [6]) Ibid. VII. 21. § 1. — [7]) Ibid. VIII. 11. B. § 2. — [8]) Ibid. VII. 21. § 1. — [9]) Ibid. VII. 20. § 1.

sereret (quicum enim?), sed ut fugam intercluderet? Pedem [1] in Italia videbam nullum esse, qui non in istius potestate esset. De Pompeio sciebam nihil; eumque, nisi in navim se contulisset, exceptum iri putabam. O celeritatem incredibilem! huius autem nostri? — sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angebar et cruciabar. Ergo [2] quid agerem? qua aut terra aut mari persequerer eum, qui ubi esset, nesciebam? etsi terra quidem, qui poteram? mari, quo? Traderem igitur isti me? Fac potuisse tuto; (multi enim hortabantur) num etiam honeste? Nullo modo. Explicari res non poterat.

XII. 27. Quinto [3] Id. Feb. vesperi a Philotimo litteras accepi: »*Domitium exercitum firmum habere; cohortes ex Piceno, Lentulo et Thermo ducentibus, cum Domitii exercitu coniunctas esse; Caesarem intercludi posse, eumque id timere; bonorum animos recreatos Romae, improbos quasi perculsos.*" Haec, metuebam equidem, ne essent somnia; sed tamen M'. Lepidum, L. Torquatum, C. Cassium tribunum plebis (hi enim erant nobiscum, id est, in Formiano) Philotimi litterae ad vitam revocaverunt. Ego autem illa metuebam ne veriora essent, nos omnes paene iam captos esse, Pompeium Italia cedere; quem quidem (o rem acerbam!) persequi Caesar dicebatur. Philotimi [4] litterae igitur me quidem non nimis, sed eos, qui nobiscum erant, admodum delectarunt. 28. Ecce postridie Cassio litterae Capua a Lucretio, familiari eius: *Nigidium a Domitio Capuam venisse; eum dicere, Vibullium cum*

[1]) ad Att. VII. 22. § 1. — [2]) Ibid. § 2. — [3]) Ibid. VII. 23. § 1. — [4]) Ibid. VII. 24.

XI. ...rrere ad Cnaeum,
sumus ... Domitium non ha-
fratre ... idem scripsit, consules
appa... usta Capua, et omnis no-
nis ... res erat; in fuga omnes
ro... ret, ut Pompeius istas Domitii
s... ret.

... res tam laetae erant, quam ad
... erat, in iis litteris, quas[3] a Pompeio
... Mart. Formiis accepi:

... PROCOS. S. D. M. CICERONI IMP.

... *Fabius ad me venit a. d. IV. Idus Febr. Is*
... *Domitium cum suis cohortibus XI et cohortibus*
... *Vibullius adduxit, ad me iter habere; habuisse*
... *proficisci Corfinio a. d. V. Id. Febr.; C. Hirrum*
... *V cohortibus subsequi. Tu, censeo, ad nos Luceriam*
... *nam te hic tutissime puto fore.*

30. Quod[5] in ea Pompeii epistola erat in extremo, ipsius manu: *Tu, censeo, Luceriam venias: nam te hic tutissime puto fore*, id ego in eam partem accepi: haec oppida atque oram maritimam illum pro derelicto habere; nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. Ei statim rescripsi, hominemque certum misi de comitibus meis, *non me quaerere, ubi tutissime essem: si me vellet sua aut reipublicae caussa Luceriam venire, statim esse venturum:* hortatusque sum, ut *oram maritimam retineret, si*

---

[1]) ad Att. VII. 23. § 3. — [2]) Ibid. VIII. 1. § 1. — [3]) Ibid. VIII. 11. B. § 1. — [4]) Ibid. VIII. 11. A. — [5]) Ibid. VIII. 1. § 1.

rem frumentariam sibi ex provinciis suppeditari vellet. 31. Hoc me frustra scribere videbam. Sed uti in Urbe retinenda quondam, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam. Sic enim parari videbam, ut Luceriam omnes copiae contraherentur: et ne is quidem locus stabilis esset, sed ex eo ipso, si urgeremur, pararetur fuga. O[1] rem turpem, et ea re miseram! sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. Aluerat Caesarem; eumdem repente timere coeperat; conditionem pacis nullam probarat; nihil ad bellum pararat; Urbem reliquerat; Picenum amiserat culpa; in Apuliam se compegerat; iam iturus erat in Graeciam; omnes nos ἀπροσφωνήτους, expertes sui tanti, tam inusitati consilii, relicturus.

XIV. 32. Interim[2], nondum meis litteris ad Pompeium perlatis, ex iis mandatis, quae D. Laelio ad consules dederat, certior ipsius consilii factus, non exspectavi, dum mihi ab ipso litterae redderentur, confestimque cum Quinto fratre et cum liberis nostris iter ad Pompeium in Apuliam facere coepi. Quum Teanum Sidicinum venissem, C. Messius mihi dixit aliique complures, Caesarem iter habere Capuam, et eo ipso die mansurum esse Aeserniae. Sane sum commotus, quod, si ita esset, non modo iter meum interclusum, sed me ipsum plane exceptum putabam. Itaque tum Cales processi, ut ibi potissimum consisterem, dum certum nobis ab Aesernia de eo, quod audieram, referretur. 33. Quum Calibus essem, mira[3] me ἀπορία torquebat. Ad[4] manendum hiems, lictores, improvidi

---

[1]) ad Att. VIII. 8. § 1. — [2]) Epist. ad Pompeium (ad Att. VIII. 11. D. § 1.) — [3]) ad Att. VII. 21. § 3. — [4]) Ibid. VII. 20. § 2.

[illegible] ad fugam hortabatur amicitia Cnaei, [illegible] turpitudo coniungendi cum tyranno: qui [illegible] mortuus erat, Phalarimne an Pisistratum esset [illegible]. Deliberatio[1] autem omnis haec erat: si Pompeius Italia cederet, quod eum facturum esse suspicabar, quid mihi agendum esset. Quid autem in utramque partem mihi in mentem veniret, explicabo brevi. 34. Quum merita Pompeii summa erga salutem meam, familiaritasque, quae mihi cum eo est, tum ipsa reipublicae causa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna cum fortuna coniungenda esse videatur. Accedit illud: si maneo et illum comitatum optimorum et clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem; qui, etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, tamen utrumque considerandum est, et quanta fides ei sit habenda; et, si maxime exploratum, eum nobis amicum fore, sitne viri fortis et boni civis, esse in ea urbe, in qua quum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, non futurus sit sui iuris, subeundumque periculum sit, cum aliquo forte dedecore, quando Pompeius rempublicam recuperarit. In hac parte haec sunt. 35. Vide nunc, quae sint in altera. Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter; addo etiam, nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in rempublicam ille aluit, auxit, armavit; ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor; ille Galliae alterioris adiunctor; ille gener; ille in adoptando P. Clodio augur; ille restituendi mei, quam retinendi, studiosior; ille provinciae propagator; ille absentis in omnibus adiu-

[1]) ad Att. VIII. 3. § 1.

tor; idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor reipublicae coepit, contendit, ut decem tribuni plebis ferrent, ut absentis ratio haberetur; quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoque Marcello consuli, finienti provinciis Galliis Kalendarum Martiarum diem, restitit. Sed, ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab Urbe discessu, sive potius turpissima fuga? Quae conditio non accipienda fuit potius, quam relinquenda patria? Malae conditiones erant. Fateor: sed num quid hoc peius? 36. At recuperabit rempublicam. Quando? aut quid ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad Urbem? non pecunia omnis et publica et privata adversario tradita? Denique nulla caussa, nullae vires, nulla sedes, quo concurrant, qui rempublicam defensam velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiae et ab impetu huius belli remotissima: fuga et maritima opportunitas visa quaeri desperatione.

XV. 37. Sed[1] ecce nuntii, deliberante me haec ipsa noctu in Caleno, ecce litterae, *Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu et pugnare cupiente.* Non putabam etiam hoc Cnaeum nostrum commissurum, ut Domitium relinqueret: etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiserat, legionem Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere a consule duci, scripserat ad consules. Sed turpe Domitium deseri implorantem eius auxilium! Erat quaedam spes, mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium transisse cum cohortibus; summa autem,

[1]) Ibid. § 7.

Afranium cum magnis copiis adventare. 38. Ego autem, quum esset incertum iter Caesaris, quod vel ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi et litteras; ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Nos[1] autem in Formiano morabamur, quo citius audiremus: deinde Arpinum volebamus. Inde, iter qua maxime ἀναπάντητον esset, ad mare superum, remotis sive omnino missis lictoribus. Audiebam enim, bonis viris, qui et tunc et saepe antea magno praesidio reipublicae fuerant, hanc cunctationem nostram non probari, multaque in me et severe, in conviviis tempestivis quidem, disputari. Triumphum[2] quidem igitur totum facile et libenter abieci.

XVI. 39. At[3] mihi, quum Calibus essem, affertur litterarum exemplum, quas Pompeius ad Lentulum consulem misisset. Hae scriptae sic erant:

Litterae[4] *mihi a L. Domitio a. d. XIII. Kalend. Mart. allatae sunt: earum exemplum infra scripsi. Nunc, ut ego non scribam, tua sponte te intelligere scio, quanti reipublicae intersit, omnes copias in unum locum primo quoque tempore convenire. Tu, si tibi videbitur, dabis operam, quamprimum ad nos venias. Praesidii Capuae, quantum constitueritis esse satis, relinquas.*

Deinde supposuit exemplum epistolae Domitii. 40. His[5] ego litteris lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, Pompeium cum omnibus copiis ad Corfinium esse venturum; quo mihi, quum Caesar ad oppidum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar. Quum res in summa exspectatione esset, utrumque simul audivimus, et quae Corfinii

---

[1]) ad Att. IX. 1. § 3. — [2]) Ibid. IX. 7. § 5. — [3]) Ibid. VIII. 11. D. 3. — [4]) Ibid. VIII. 6. § 2. — [5]) Ibid. VIII. 11. D. § 3.

acta essent, et Pompeium iter Brundisium facere coepisse: quumque nec mihi nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus, a multis, qui e Samnio Apuliaque veniebant, admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur a Caesare; quod is in eadem loca, quae nos petebamus, profectus, celerius etiam, quam nos possemus, eo, quo intenderet, venturus esset. Quod quum ita esset, nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiam reipublicae noceret; quum praesertim non dubitaremus, quin, si etiam tutum nobis iter fuisset, Pompeium tamen iam consequi non possemus.

XVII. 41. Quum [1] diem ex die exspectabam, ut statuerem, quid esset faciendum, VI. Kal. Mart. [2] vesperi Balbus minor ad me venit, occulta via currens ad Lentulum consulem, missu Caesaris, cum litteris, cum mandatis, cum promissione provinciae, Romam ut rediret; cui persuaderi posse non arbitrabar, nisi esset circumventus. Idem aiebat, *nihil malle Caesarem, quam ut Pompeium assequeretur:* — id credebam — *et rediret in gratiam:* — id non credebam, et metuebam, ne omnis haec clementia ad Sullanam illam crudelitatem colligeretur. 42. Balbus quidem maior ad me scripsit, *nihil malle Caesarem, quam principe Pompeio sine metu vivere.* Sed [3] ego nec illos congressuros, nec, si congressi essent, Pompeium ad ullam conditionem accessurum putabam. Balbi [4] Cornelii litterarum exemplum infra scripsi, ut meam vicem doleres, quum me derideri videres.

---

[1]) ad Att. VII. 26. § 3. — [2]) Ibid. VIII. 9. § 4. — [3]) Ibid. VIII. 15. § 3. — [4]) Ibid. § 4.

BALBUS CICERONI IMP. S.

Obsecro[1] *te, Cicero, suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis, ut Caesarem et Pompeium, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. Crede mihi, Caesarem non solum fore in tua potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse iudicaturum, si huc te reiicis. Velim, idem Pompeius faciat, qui ut adduci tali tempore ad ullam conditionem possit, magis opto, quam spero. Sed, quum constiterit, et timere desierit, tum incipiam non desperare, tuam auctoritatem plurimum apud eum valituram. 43. Quod Lentulum meum, consulem, voluisti hic remanere, Caesari gratum, mihi vero gratissimum mediusfidius fecisti. Nam illum tanti facio, qui non Caesarem magis diligam: qui si passus esset, nos secum, ut consueramus, loqui, et non se totum etiam et etiam ab sermone nostro avertisset, minus miser, quam sum, essem. Nam cave putes, hoc tempore plus me quemquam cruciari, quod eum, quem ante me diligo, video in consulatu quidvis potius esse, quam consulem. Quod si voluerit tibi obtemperare et nobis de Caesare credere et consulatum reliquum Romae peragere, incipiam sperare, etiam consilio senatus, auctore te, illo relatore, Pompeium et Caesarem coniungi posse. Quod si factum erit, me satis vixisse putabo. 44. Factum Caesaris de Corfinio totum te probaturum scio. Quomodo in huiusmodi re, commodius cadere non potuit, quam ut res sine sanguine conficeret. Balbi mei tuique adventu delectatum te, valde gaudeo. Is quaecumque tibi de Caesare dixit, quaeque Caesar scripsit, scio, re tibi probabit, quaecumque fortuna eius fuerit, verissime scripsisse.*

---

[1]) ad Att. VIII. 15. A. § 1.

XVIII. 45. Interim [1] accepimus Pompeii litteras, Canusio a. d. x. Kalend. Mart. datas, quibus nos hortabatur, ut celerius Brundisium veniremus:

Cn. [2] *Magnus Procos. s. d. M. Ciceroni Imp.*

S. V. B. E. Tuas litteras libenter legi. Recognovi enim tuam pristinam virtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, venerunt. Magno opere te hortor, pro tuo singulari perpetuoque studio in rempublicam, ut te ad nos conferas: ut communi consilio reipublicae afflictae opem atque auxilium feramus. Censeo, via Appia iter facias et celeriter Brundisium venias.

46. Quas [3] quum accepimus litteras a. d. III. Kalend. Mart., non dubitabamus, quin Pompeius iam Brundisium pervenisset, qui [4] Canusio IX. Kal. profectus erat; nobisque [5] iter illud omnino interclusum videbamus, neque minus nos esse captos, quam qui Corfinii fuissent, quum [6] inter me et Brundisium Caesar esset. Neque [7] enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui regionibus exclusi intra praesidia atque intra arma aliena venissent.

XIX. 47. Quum [8] omnis exspectatio nostra esset in nuntiis Brundisinis, angebar [9] singularum horarum exspectatione: mirabarque, nihil allatum esse, ne rumoris quidem. Nam erat mirum silentium: propterea [10], quod neque Romae quidquam audiebatur novi, nec in his locis, quae a Brun-

---

[1]) ad Att. VIII. 11. D. § 4. — [2]) Ibid. VIII. 11. C. — [3]) Ibid. VIII. 11. D. § 4. — [4]) Ibid. IX. 1. § 1. — [5]) Ibid. VIII. 11. D. § 4. — [6]) Ibid. IX. 2. b. § 2. — [7]) Ibid. VIII. 11. D. § 4. — [8]) Ibid. VIII. 13. § 1. — [9]) Ibid. IX. 1. § 1. — [10]) Ibid. VIII. 14. § 1.

disio absunt biduum aut triduum. Brundisii autem omne certamen vertebatur huius primi temporis. Qua quidem exspectatione torquebar. Omnino[1] ad id, de quo dubitabam, pertinebat me scire, quid Domitius acturus esset, quid Lentulus. De Domitio varia audiebamus: modo, esse in Tiburtino Lepidi; modo, cum Lepidis accessisse ad Urbem. Addebatur illud, sane molestum: pecuniam Domitio satis grandem, quam is Corfinii habuisset, non esse redditam. De Lentulo autem nihil audiebamus. 48. A[2] Brundisio nulla adhuc fama venerat, quum Capua[3] litterae sunt allatae hoc exemplo:

Pompeius mare transiit cum omnibus militibus, quos secum habuit. Hic numerus est hominum millia XXX: et consules duo et tribuni plebis et senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum uxoribus et liberis. Conscendisse dicitur a. d. IV. Nonas Mart. Ex ea die fuere septemtriones venti. Naves, quibus usus non est, omnes aut praecidisse, aut incendisse dicunt.

De hac re litterae L. Metello, tribuno plebis, Capuam allatae erant ab Clodia socru, quae ipsa transierat.

XX. 49. Ante sollicitus eram et angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, quum consilio explicare nihil possem: tum autem, postquam Pompeius et consules ex Italia exierant, non angebar, sed ardebam dolore. Dissimulare[4] enim non poteram, mihi, quae acta erant, displicere. Mihi[5] enim nihil ulla in gente umquam ab ullo auctore reipublicae ac duce turpius factum esse videbatur, quam a nostro amico factum erat, qui reliquit patriam, pro qua et in qua mori praeclarum fuit. 50. Videram[6] hominem

---

[1]) ad Att. VIII. 14. § 3. — [2]) Ibid. IX. 3. § 2. — [3]) Ibid. IX. 6. A. § 3. — [4]) Ibid. VIII. 1. § 4. — [5]) Ibid. VIII. 2. § 2. — [6]) Ibid. IX. 10. § 2.

XIV. Kal. Febr., plenum formidinis. Illo ipso die sensi, quid ageret. Numquam mihi postea placuit; nec umquam aliud in alio peccare destitit. Nihil interim ad me scribere, nihil nisi fugam cogitare. Quid quaeris? sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienant immundae, insulsae, indecorae, sic me illius fugae negligentiaeque deformitas avertit ab amore. Nihil enim dignum faciebat, quare eius fugae comitem me adiungerem. Si nihil praeter fugam quaereretur, fugissem libentissime: sed genus belli crudelissimi et maximi, quod nondum videbant homines quale futurum esset, perhorrui. Quae minae municipiis! quae nominatim viris bonis! quae denique omnibus, qui remansissent! quam crebro illud: *Sulla potuit, ego non potero?* Mirandum[1] enim in modum Cnaeus noster Sullani regni similitudinem concupivit.

XXI. 51. Ego[2] me in hac omni caussa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere. Primum enim prae me tuli, me nihil malle, quam pacem; non quin eadem timerem, quae illi: sed ea bello civili leviora ducebam. Inde, suscepto bello, quum pacis conditiones ad Pompeium afferri atque ad eas honorifice et large responderi viderem, duxi meam rationem; quam cuivis facile me probaturum arbitrabar. Memineram me esse unum, qui pro meis maximis in rempublicam meritis supplicia miserrima et crudelissima pertulissem; me esse unum, qui, si offendissem eius animum, cui tum, quum iam in armis essemus, consulatus tamen alter et triumphus amplissimus deferebatur, obiicerer eisdem praeliis; ut mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid videretur

[1]) ad Att. IX. 7. § 3. — [2]) Epist. ad Cn. Pompeium (ad Att. VIII. 11. D. § 7.)

[illegible] suspicatus. Atque haec non ego prius sum suspicatus, quam mihi palam denuntiata sunt; neque ea tam periculosa, si subeunda essent, quam declinanda putavi, si honeste vitare possem. 52. Quam brevem illius temporis, quum in spe pax fuit, rationem nostram vides: reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus non satisfacimus, facile respondeo: neque enim ego amicior C. Caesari unquam fui, quam illi; neque illi amiciores reipublicae, quam ego. Hoc inter me et illos interest, quod, quum et illi cives optimi sint, et ego ab ista laude non absim, ego conditionibus, quod idem Pompeium intellexeram velle, illi armis disceptari maluerunt. 53. Omnia[1] sunt integra nobis. Nihil praetermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem. Nam certe neque tum peccavi, quum imparatam Capuam, non solum ignaviae dedecus, sed etiam perfidiae suspicionem fugiens, accipere nolui; — quod[2] feci non vitandi oneris causa, sed quod videbam teneri illam urbem sine exercitu non posse; accidere autem mihi nolebam, quod doleo viris fortissimis accidisse; — neque[3] quum, post conditiones pacis per L. Caesarem et Fabatum allatas, cavi, ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus armato consulatum triumphumque deferret. Nec vero haec extrema quisquam potest iure reprehendere, quod mare non transierim. Id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui. Neque enim suspicari debui; praesertim quum ex ipsius Pompeii litteris non dubitarim, quin is Domitio subventurus esset. Et plane, quid rectum et quid faciendum mihi esset, diutius cogitare malui.

---

1) ad Att. VIII. 12. § 2. — 2) Ibid. VIII. 11. D. § 5. — 3) Ibid. Att. VIII. 12. § 2.

XXII. 54. Consumebam[1] igitur omne tempus, considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris libris expressimus. Tenebam, quo moderatorem illum reipublicae referre voluissem omnia. Nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio: Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria; sic huic moderatori reipublicae beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Huius enim operis, maximi inter homines atque optimi, illum esse perfectorem volo. Hoc Cnaeus noster quum antea numquam, tum in hac caussa minime cogitavit. Dominatio quaesita ab utroque est; non id actum, beata et honesta civitas ut esset. Nec vero ille Urbem reliquit, quod eam tueri non posset, nec Italiam, quod ea pelleretur; sed hoc a prima cogitavit, omnes terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. Genus illud Sullani regni iampridem appetebatur, multis, qui una erant, cupientibus. 55. Sed neutri σκοπός erat ille, ut nos beati essemus; uterque regnare volebat. Alter[2] ardebat furore et scelere, nec remittebat aliquid, sed in dies ingravescebat; nec iam recusabat, sed quodam modo postulabat, ut, quemadmodum erat, sic etiam appellaretur tyrannus. Alter, is, qui se nihil contra huius voluntatem aiebat facere posse, elapsus e soceri manibus ac ferro, bellum terra ac mari comparabat, non iniustum ille quidem, sed quum pium, tum etiam necessarium, suis tamen civibus exitiabile, nisi vinceret, calamitosum, etiamsi vinceret. 56. Horum ego summorum imperatorum non modo res gestas

¹) ad Att. VIII. 11. § 1. — ²) Ibid. X. 4. § 2.

non anteponebam meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videbamur. Quis enim potest, aut deserta per se patria aut oppressa, beatus esse? Et si recte in illis libris diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum, nihil malum, nisi quod turpe sit; certe uterque istorum erat miserrimus, quorum utrique semper patriae salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit.

XXIII. 57. Sed [1] tamen, ne me totum aegritudini dederem, sumpsi mihi quasdam tamquam θέσεις, quae et πολιτικαί erant et temporum istorum; ut et abducerem animum ab querelis, et in eo ipso, de quo agebatur, exercerer. Eae erant huiusmodi: Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; Τυραννουμένης δ' αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος καταλύσεως πραγματευτέον, κἂν μείζω διὰ ταῦτα περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειεν; Εἰ ἀφλαβεστέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται; Εἰ πειρατέον ἀμύνειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ κειρῇ καὶ λόγῳ μᾶλλον, ἢ συλλήψει; Εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν, ἀναχωρήσαντά σοι τῆς πατρίδος τυραννουμένης; Εἰ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι; Εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, μὴ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην; Εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις; Εἰ ταῖς εὐεργέταις καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων; Εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτό τα τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν καὶ φθονηθείς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος; Εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν, ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας;

---

[1]) ad Att. IX. 4. § 1.

58. In his ego me consultationibus exercens et disserens in utramque partem, tum Graece, tum Latine, et abducebam parumper animum a molestiis, et τῶν προὐργού τι deliberabam. Neque[1] solum ea perspiciebam, quae gerebantur, quaeque iam gesta erant, sed etiam, qui cursus rerum, qui exitus futurus esset. Ergo aut probare oportebat ea, quae fiebant, aut interesse, etiamsi non probarem: quorum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videbatur. Restabat, ut discedendum putarem. In quo reliqua videbatur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quae loca sequeremur. Omnino quum miserior res numquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. Nihil enim constitui poterat, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem.

XXIV. 59. Equidem[2] illud molliebar, quod Atticus nitebatur sperabatque fieri posse, ut mihi Caesar concederet, ut abessem, quum aliquid in senatu contra Caesarem ageretur. Sed timebam, ne non impetrarem. Venit ab eo Furnius, nuntiat; illum maiores mihi gratias agere, quam vellem. Quid autem me rogarit, (paucis ille quidem verbis, sed ἐν δυνάμει) cognosce ex ipsius epistola:

CAESAR IMP. S. D. CICERONI IMP.

Quum[3] *Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui neque audire meo commodo potuissem, properarem atque essem in itinere, praemissis iam legionibus; praeterire tamen non potui, quin et scriberem ad te, et illum mitterem gratiasque agerem: etsi hoc et feci saepe, et saepius mihi facturus videor; ita de me mereris. In primis a te peto, quoniam*

[1]) Epist. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 2. § 3.) — [2]) ad Att. IX. 6. A. § 6. — [3]) Ibid. IX. 6. a.

confido me celeriter ad Urbem venturum, ut te ibi videam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum revertar: festinationi meae brevitatique litterarum ignosces. Reliqua ex Furnio cognosces.

60. Vixdum[1] epistolam hanc legeram, quum ad me, currens ad illum, Postumus Curtius venit, nihil nisi classes loquens et exercitus; eripiebat Hispanias; tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam; confestim in Graeciam persequebatur. Venit[2] ad me etiam Q. Fadius, quo vultu! quo spiritu! properans Brundisium, scelus accusans Pompeii, levitatem et stultitiam senatus. Intellexi[3] igitur, serius equidem, quam vellem, propter epistolas hernionesque Balbi; sed vidi plane, nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quam ut Pompeius occideretur. 61. Venit[4] etiam Quinquatribus ad me C. Matius, homo mehercule, ut mihi visus est, temperatus et prudens; existimatus quidem est semper auctor otii. Quam ille haec non probare mihi quidem visus est! quam illum *vivolum*, ut Attieus appellabat, timere! Huic ego in multo sermone epistolam ad me Caesaris ostendi, eam, cuius exemplum supra scripsi; rogavique, ut interpretaretur, quid esset, quod ille scriberet: *consilio meo se uti velle, gratia, dignitate, ope rerum omnium.* Respondit se non dubitare, quin et opem et gratiam meam ille ad pacificationem quaereret. Utinam aliquod in hac miseria reipublicae πολιτικὸν opus efficere et navare mihi licuisset! Matius quidem et illum in ea sententia esse confidebat et se auctorem fore pollicebatur. 62. Pridie autem apud me Crassipes fuerat, qui se pridie Nonas Mart. Brundisio profectum atque ibi Pompeium reli-

---

[1]) ad Att. IX. 2. b. § 3. — [2]) Ibid. IX. 5. § 1. — [3]) Ibid. § 3. — [4]) Ibid. IX. 11. § 2.

quisse dicebat; quod etiam, qui VIII. Idus illinc profecti erant, nuntiabant; illic vero omnes sermones minaces, inimicos optimatium, municipiorum hostes, meras proscriptiones, meros Sullas: quae Lucceium loqui! quae totam Graeciam! quae vero Theophanem!

XXV. 63. Equidem[1] igitur, qui pacis semper auctor fueram, has mihi[2] litteras ad Caesarem; quibus me aliquid profecturum putabam:

CICERO IMP. S. D. CAESARI IMP.

„Ut[3] legi tuas litteras, quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad Urbem essem, te valde uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam: spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer, et ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam et personam meam. 64. Quod si ita est, et si qua de Pompeio nostro tuendo et tibi ac reipublicae reconciliando cura te attingit, magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem: qui et illi semper et senatui, quum primum potui, pacis auctor fui; nec, sumptis armis, belli ullam partem attigi; iudicavique eo bello te violari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio concessum, inimici atque invidi niterentur. Sed ut eo tempore non modo ipse fautor dignitatis tuae fui, verum etiam ceteris auctor ad te adiuvandum, sic me nunc Pompeii dignitas vehementer movet. Aliquot enim sunt anni, quum vos duo delegi,

[1]) pro Ligario c. 9. § 28. — [2]) ad Att. IX. 11. § 4. — [3]) Ibid. IX. 11. A.

quos praecipue colerem, et quibus essem, sicut sum, amicissimus. 65. Quamobrem a te peto, vel potius omnibus te precibus oro et obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. Quae si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum: sed, ut arbitror, et ad tuam fidem et ad rempublicam pertinet, me e pacis et ad utriusque vestrum et ad civium concordiam per te quam accommodatissimum conservari. Ego, quum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses, tamen, lectis eius litteris, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate beneficioque misit, eamdem me salutem a te accepisse putavi, quam illa; in quem si me intelligis esse gratum, cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim."

XXVI. 66. Hanc[1] meam epistolam quum pervulgatam esse audirem, non tuli moleste. Quin etiam ipse multis dederam describendam. Ea enim et acciderant iam et impendebant, ut testatum esse vellem, de pace quid sensissem. Quum autem ad eam hortarer, eum praesertim hominem, non videbar ullo modo facilius moturus, quam si id, quod eum hortarer, convenire eius sapientiae dicerem. Eam si *admirabilem* dixi, quum eum ad salutem patriae hortabar, non sum veritus, ne viderer assentari; cui tali in re lubenter me ad pedes abiecissem. Qua autem erat *aliquid impertias temporis*, non erat de pace, sed de me ipso et de meo officio ut aliquid cogitaret. Nam quod testificabar *me expertem belli fuisse*, etsi id re perspectum erat, tamen

[1]) ad Att. VIII. 9, § 1.

eo scripseram, quo in suadendo plus auctoritatis haberem; eodemque pertinebat, quod causam eius probabam. Sed quid haec nunc? Utinam aliquid profectum esset! Nec ego istas litteras in concione recitari voluissem. 67. Quum[1] autem dedissem iam litteras a. d. VIII. Kal., pueri, quos cum Matio et Trebatio miseram, epistolam mihi attulerunt hoc exemplo:

Matius et Trebatius Ciceroni Imp. s.

Quum a Capua exissemus, in itinere audiimus, Pompeium Brundisio a. d. XVI. Kalend. April. cum omnibus copiis, quas habuerit, profectum esse: Caesarem postero die in oppidum introisse; concionatum esse; inde Romam contendisse; velle ante Kalend. esse ad Urbem, et paucos dies ibi commorari; deinde in Hispanias proficisci. Nobis non alienum visum est, quoniam de adventu Caesaris pro certo habebamus, pueros ad te remittere, ut id tu quam primum scires. Mandata tua nobis curae sunt, eaque, ut tempus postularit, agemus. Trebatius salutem facit, ut antecedat. Epistola conscripta, nuntiatum est nobis, Caesarem a. d. VIII. Kal. April. Beneventi mansurum, a. d. VII. Capuae, a. d. VI. Sinuessae. Hoc pro certo putamus.

XXVII. 68. At[3] Caesar quum a. d. VII. Kal. Apriles Capuae esset, ab[4] eo mihi litterae redditae sunt, quibus iam *opes* meas, non, ut superioribus, *opem*, exspectabat. Quum eius clementiam Corfiniensem illam per litteras collaudavissem, rescripsit hoc exemplo:

Caesar Imp. Ciceroni Imp. s. d.

Recte auguraris de me, (bene enim tibi cognitus sum)

[1]) ad Att. IX. 15. § 6. — [2]) Ibid. IX. 15. A. — [3]) Ibid. IX. 14. § 3. [4]) Ibid. IX. 16. § 1.

nihil a me abesse longius crudelitate. Atque ego quum ex ipsa re magnam capio voluptatem, tum, meum factum probari abs te, triumpho gaudio. Neque illud me movet, quod ii, qui a me dimissi sunt, discessisse dicuntur, ut mihi rursus bellum inferrent: nihil enim malo, quam et me mei similem esse, et illos sui. Tu velim mihi ad Urbem praesto sis, ut tuis consiliis atque opibus, ut consuevi, in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius. Hanc adeo habebo gratiam illi: neque enim aliter facere potuit: tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est benevolentia.

69. Ille[1] autem, ut legiones singulas posuerat Brundisii, Tarenti, Siponti — claudere enim videbatur maritimos exitus: et tamen ipse Graeciam spectare potius, quam Hispanias — ita[2] subito accurrit, ut ne T. Rebilum quidem, ut constitueram, possem videre. Omnia nobis imparatis agenda. Meditabar[3] igitur, quomodo cum illo loquerer. O tempus miserum! nam[4] me et congressus huius stimulabat, et primas eius actiones horrebam; nec[5] mihi quidquam erat miserius, quam remansisse; nec optatius, quam evolare, non tam ad belli, quam ad fugae societatem. Vix enim sperabam mihi hunc veniam daturum, nec[6] dubitabam, quin a me contenderet, ad Urbem ut venirem; — senatum enim Kal. velle se frequentem adesse, etiam Formiis praescribi iusserat —; etsi[7] multa afferebam iusta ad impetrandum.

XXVIII. 70. Sed omnem illius meumque sermonem, omnibus verbis expressum, memorabo. Utrumque[8] autem

---

[1]) ad Att. IX. 15. § 1. — [2]) Ibid. § 4. — [3]) Ibid. IX. 17. § 1. — [4]) Ibid. IX. 15. 2. — [5]) Ibid. § 3. — [6]) Ibid. IX. 17. § 1. — [7]) Ibid. IX. 15. 3. — [8]) Ibid. IX. 18. 1.

ex Attici consilio: nam et oratio fuit ea nostra, ut bene potius ille de nobis existimaret, quam gratias ageret; et in eo mansimus, ne ad Urbem. Illa fefellerunt, facilem quod putaramus. Nihil vidi minus. *Damnari se nostro iudicio; tardiores fore reliquos, si non veniremus*; dicere. Ego, *dissimilem illorum esse caussam*. Quam multa: *Veni igitur, et age de pace. Meone*, inquam, *arbitratu? An tibi*, inquit, *ego praescribam? Sic*, inquam, *agam, senatui non placere in Hispanias iri, nec exercitus in Graeciam transportari; multaque*, inquam, *de Cnaeo deplorabo*. Tum ille, *Ego vero ista dici nolo. Ita putabam*, inquam; *sed ego ea nolo adesse, quod aut sic mihi dicendum est, multaque, quae nullo modo possem silere, si adessem; aut non veniendum*. Summa fuit, ut ille, quasi exitum quaerens, *ut deliberarem*. Non fuit negandum. Ita discessimus. 71. Credebam igitur, hunc me non amare. At ego me amavi, quod mihi iam pridem usu non venerat. Reliqua, o dii! qui comitatus! quae, ut Atticus solebat dicere, *vemvia*! in qua erat area scelerum! O rem perditam! o copias desperatas Quid, quod Servii filius? quod Titinii? Quot in iis castris fuerunt, quibus Pompeius circumsideretur! Sex legiones. Multum vigilabat, audebat: nullum videbam finem mali. Illa tamen κατανλείς illius erat odiosa, quam paene praeterii: *Si sibi consiliis nostris uti non liceret, usurum, quorum posset, ad omniaque esse descensurum*. Cedo reliqua. Quid? continuo ipse in Pedanum, ego Arpinum.

XXIX. 72. Tum[1] ego meo Ciceroni, quoniam Roma carebamus, Arpini potissimum togam puram dedi; idque

[1]) ad Att. IX. 19. § 1.

[illegible] fuit gratum. Etsi omnes, et illos, et [illegible], maestos afflictosque vidi: tam tristis, et tam [illegible] huius ingentis mali. Delectus habebantur: in hiberna deducebantur. Ea, quae, etiam [illegible] a bonis viris, quum iusto in bello, quam mediocria sunt, tamen ipsa per se molesta sunt, quam censentur aegritudines tum fuisse, quum a perditis, in civili nefario bello, potentissime fierent? Cave autem putes, quemquam hominem in Italia turpem fuisse, qui hinc abesset. Vidi ipse Formiis universos, neque mehercule umquam homines putavi; et noram omnes, sed numquam uno loco videram. 73. Nec[1] me consules movebant, qui ipsi pluma aut folio facilius movebantur. Officii me deliberatio cruciabat, cruciavitque diu. Cautior certe erat mansio; honestior existimabatur traiectio. Malo interdum, multi me non caute, quam pauci non honeste fecisse existiment. Unus[2] Pompeius me movebat, beneficio, non auctoritate. Quam enim ille haberet auctoritatem in hac causa? Nam[3] periculum in utriusque iracundia positum erat: victoria autem ita incerta, ut deterior causa paratior mihi esse videretur. Quo[4] minus mirere, si invitus in eam causam descenderim, in qua neque pacis, neque victoriae ratio quaesita sit umquam, sed semper flagitiosae et calamitosae fugae. Eundum; ut, quemcumque fors tulisset casum, subirem potius cum iis, qui dicebantur esse boni, quam viderer a bonis dissentire. 74. Tum[5] ego saepe mecum: *Pergamus igitur, quo placet, et nostra omnia relinquamus. Proficiscamur ad eum, cui gratior noster adventus erit, quam si una fuissemus. Nos*[6], *quoniam Su-*

---

[1]) ad Att. VIII. 15. § 2. — [2]) Ibid. VIII. 1. § 4. — [3]) Ibid. VIII. 15. § 2. — [4]) Ibid. VIII. 1. § 3. — [5]) Ibid. IX. 19. § 2. — [6]) Ibid. § 3.

perum mare obsidetur, Infero navigemus; et, si Puteolis erit difficile, Crotonem petamus, aut Thurios! Nec[1] mehercule hoc faciebam reipublicae caussa, quam funditus deletam putabam: sed ne quis me putaret ingratum in eum, qui me levavit iis incommodis, quibus idem affecerat: et simul, quod ea, quae fiebant, aut quae certe futura erant, videre non potessam.

XXX. 75. Quod[2] autem in maritimis meis praediolis erant facillime, movebam nonnullis suspicionem, velle me navigare. Propterea[3] mihi cum Antonio fuit agendum. Is ad Misenum vt. Nonas venturus dicebatur; sed praemisit mihi odiosas litteras, hoc exemplo:

Antonius Trib. pleb. propraet. Ciceroni Imp. s.

Nisi[4] *te valde amarem, et multo quidem plus, quam tu putas, non extimuissem rumorem, qui de te prolatus est, quum praesertim falsum esse existimarem. Sed quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare mihi famam quoque, quamvis sit falsa, magni esse. Te iturum trans mare credere non possum, quum tanti facias Dolabellam et Tullium tuam, feminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias; quibus mehercule dignitas amplitudoque tua paene carior est, quam tibi ipsi.* 76. *Sed tamen non sum arbitratus esse amici non commoveri etiam improborum sermone: atque ea feci studiosius, quod iudicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra, quae magis a ζηλοτυπίᾳ mea, quam ab iniuria tua nata est. Sic enim volo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te, excepto Caesare*

---

[1]) Ibid. § 2. — [2]) Epist. ad M. Caelium (ad Fam. II. 16. § 2.) — [3]) ad Att. X. 8. § 10. — [4]) Ibid. X. 8. a.

meo, neque illud una iudicare, Caesarem maxime in suis M. Ciceronem reponere. Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra serves, eius fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius iniuriam fecit: contra ac profugias, qui te, etsi non amabit, (quod accidere non potest) tamen salvum amplissimumque esse cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium, familiarissimum meum, misi; ut mihi magnae curae tuam vitam ac dignitatem esse scires.

77. Ei[1] quum ego saepissime scripsissem, nihil me contra Caesaris rationes cogitare; meminisse me generi mei, meminisse amicitiae; potuisse, si aliter sentirem, esse cum Pompeio; me autem, quia cum licteribus invitus cursarem, abesse velle, nec id ipsum certum etiam nunc habere; vide, quam ad haec παροιμιῶς: *Tuum consilium quam verum est. Nam qui se medium esse vult, in patria manet: qui proficiscitur, aliquid de altera utra parte iudicare videtur. Sed ego is non sum, qui statuere debeam, iure quis proficiscatur, necne. Partes mihi Caesar has impesnit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. Quare parvi refert, me probare cogitationem tuam, si nihil tamen tibi remittere possum. Ad Caesarem mittas, censeo, et ab eo hoc petas. Non dubito, quin impetraturus sis, quum praesertim te amicitiae nostrae rationem habiturum esse pollicearis.*

XXXI. 78. Eodem[2] die, quo illas Antonii litteras accepi, Philotimus a Caesare litteras attulit, hoc exemplo:

Caesar Imp. Ciceroni Imp. s.

Etsi[3] te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicarem, tamen permotus hominum fama, scribendum ad te existi-

---

[1]) ad Att. X. 10. § 1. — [2]) Ibid. Att. X. 8. a. — [3]) Ibid. X. 8. b.

mavi, et pro nostra benevolentia petendum, ne quo progrederere, proclinata iam re, quo, integra etiam, progrediendum tibi non existimasses. Namque et amicitiae graviorem iniuriam feceris; et tibi minus commode consulueris, si non fortunae obsecutus videbere, (omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur) nec vanissimam secutus, (eadem enim tum fuit, quum ab eorum consiliis abesse iudicasti) sed meum aliquod factum condemnavisse: quo mihi gravius ab te nil accidere potest. Quod ne faxis, pro iure nostrae amicitiae a te peto. 79. *Postremo, quid viro bono et quieto, et bono civi magis convenit, quam abesse a civilibus controversiis? quod nonnulli quum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tu, explorato et vitae meae testimonio et amicitiae iudicio, neque tutius neque honestius reperies quidquam, quam ab omni contentione abesse.* XV. *Kal. Mai. ex itinere.*

XXXII. 80. Adventus[1] Philotimi (at cuius hominis, et quam saepe pro Pompeio mentientis!) exanimavit omnes, qui mecum erant. Nam ipse obdurui. Dubitabat nostrum nemo, quin Caesar itinera repressisset: volare dicebatur: Petreius cum Afranio coniunxisset se: nihil afferebat eiusmodi. Quid quaeris? etiam illud erat persuasum, Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum fecisse: id enim ἀνθυπατικῶς nuntiabatur. Melitam igitur optimum fuisset, opinor, capessere, dum, quid in Hispania; quod quidem propemodum videbar ex Caesaris litteris ipsius voluntate facere posse, qui negabat *neque honestius neque tutius mihi quidquam esse, quam ab omni contentione abesse.* 81. Dices, ubi ergo tuus ille animus, quem pro-

[1]) ad Att. X. 9. § 2.

xime ostenderas? Aderat et idem erat. Sed utinam meo solum capite decernere licuisset! Lacrimae meorum me interdum molliebant, precantium, ut de Hispaniis exspectaremus. M. Caelii quidem epistolam, scriptam miserabiliter, quum hoc idem obsecraret, ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicum filium, ne meos omnes tam temere prederem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri: etsi meus quidem erat fortior, eoque ipso vehementius commovebat; nec quidquam, nisi de dignatione, laborabat. 82. En[1] Caelii litterarum exemplum:

Caelius Ciceroni s.

Exanimatus tuis litteris, quibus te nihil, nisi triste, cogitare ostendisti, neque, id quod esset, perscripsisti, neque non tamen, quale esset, quod cogitares, aperuisti; has ad te illico litteras scripsi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos te oro et obsecro, ne quid gravius de salute et incolumitate tua consulas. Nam deos hominesque, amicitiamque nostram testificor, me tibi praedixisse, neque temere monuisse, sed, postquam Caesarem convenerim sententiamque eius, qualis futura esset parta victoria, cognorim, te certiorem fecisse. Si existimas eamdem rationem fore Caesari in dimittendis adversariis et conditionibus ferendis, erras. Nihil, nisi atrox et saevum, cogitat atque etiam loquitur. Iratus senatui exiit: his intercessionibus plane incitatus est. Non mehercule erit deprecationi locus. 83. *Quare, si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae sunt; si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valemus: eorum fortunam non debes velle conturbare; ut eam causam, in cuius victoria salus nostra est, odisse aut relinquere coga-*

[1]) Ibid. § 3.

mur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. Denique illud cogita, quod offensae fuerit, in ista cunctatione te subisse. Nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti, et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est. Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quid optimum sit, eligas. Quod si totum tibi persuadere non possum; saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, exspecta; quae tibi mutio adventu Caesaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio. Quod porro tuum consilium sit, ad desperatos accedere, non medius fidius reperio. 84. *Hoc, quod tu non dicendo mihi significasti, Caesar audierat: ac simul atque ave mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. Negavi, me scire: tamen ab eo petivi, ut ad te litteras mitteret, quibus maxime ad remanendum commoveri posses. Me secum in Hispaniam ducit. Nam, nisi ita faceret, ego prius, quam ad Urbem accederem, ubicumque esses, ad te percurrissem, et hoc a te praesens contendissem, atque omni vi te retinuissem.* 85. *Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te tuosque omnes funditus evertas; ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum videas nullum esse. Quod si te aut voces optimatium commovent, aut nonnullorum hominum insolentiam et iactationem ferre non potes; eligas, censeo, aliquod oppidum vacuum a bello, dum haec decernuntur, quae iam erant confecta. Id si feceris, et ego te sapienter fecisse iudicabo, et Caesarem non offendes.*

XXXIII. 86. Sed [1], quum ad me saepe mea Tullia scripsisset, orans, ut, quid in Hispania gereretur, exspecta-

[1]) ad Att. X. 8. 1.

rem, et semper ascripsisset, idem videri Attico; idque ipse etiam ex huius litteris intellexissem, non putavi esse alienum, me ad Atticum, quid de ea re sentirem, scribere. Earum[1] litterarum exemplum infra scriptum est.

Cicero Attico s.

»Consilium[2] istud tunc esset prudens, ut mihi videtur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus; quod fieri dicitis oportere. Necesse est enim, aut, id quod maxime velim, pelli istum ab Hispania, aut trahi id bellum, aut istum, ut confidere videtur, apprehendere Hispanias. 87. Si pelletur; quam gratus, aut quam honestus tum erit ad Pompeium noster adventus, quum ipsum Curionem ad eum transiturum putem? Sin trahitur bellum; quid exspectem, aut quam diu? Relinquitur, ut, si vincimur in Hispania, quiescamus. Id ego contra puto: istum enim victorem magis relinquendum puto, quam victum, et dubitantem magis, quam fidentem suis rebus. Nam caedem video, si vicerit, et impetum in privatorum pecunias, et exsulum reditum, et tabulas novas, et turpissimorum honores et regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuiquam tolerabile. 88. Tacita esse poterit indignitas nostra? pati poterunt oculi, me cum Gabinio sententiam dicere? et quidem illum rogari prius? praesto esse clientem tuum Clodium? Cateii Flagulcium? ceteros? Sed cur inimicos colligo? qui meos necessarios, a me defensos, nec videre in curia sine dolore, nec versari inter eos sine dedecore potero. Quid? si ne id quidem est

---

[1]) Epist. ad A. Caecinam (ad Fam. VI. 8. § 3.) — [2]) ad Att. X. 8. § 2.

exploratum, fore, ut mihi liceat; (scribunt enim ad me amici eius, me illi nullo modo satisfecisse, quod in senatum non venerim) tamenne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum coniuncti ne cum praemio quidem voluimus esse? 89. Deinde hoc vide, non esse iudicium de tota contentione in Hispaniis: nisi forte, iis amissis, arma Pompeium abiecturum putas; cuius omne consilium Themistocleum est: existimat enim, qui mare teneat, eum necesse esse rerum potiri. Itaque, qui numquam id egit, ut Hispaniae per se tenerentur, navalis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. Navigabit igitur, quum erit tempus, maximis classibus, et ad Italiam accedet; in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse iam non licebit. Classibus adversabimur igitur? Quod malum maius? scilicet! tantum denique quid turpius? An, qui eius absentis solus tuli scelus, eiusdem cum Pompeio et cum reliquis principibus non feram? 90. Quod si iam, misso officio, periculi ratio habenda est; ab illis est periculum, si peccaro; ab hoc, si recte fecero: nec ullum in his malis consilium periculo vacuum inveniri potest: ut non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam cum salute. Non simul cum Pompeio mare transierimus? Omnino non potuimus. Exstat ratio dierum. Sed tamen (fateamur enim, quod est; ne condamus quidem, ut possumus) fefellit ea me res, quae fortasse non debuit; sed fefellit: pacem putavi fore; quae si esset, iratum mihi Caesarem esse, quum idem amicus esset Pompeio, nolui. Senseram enim, quam iidem essent. Hoc verens, in hanc tarditatem incidi. Sed assequor omnia, si propero; si cunctor, amitto. 91. Et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, non haec collegii nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis.

Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat; quippe qui florentissimus ac novus, VI, VII diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit; qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario. Iam, quibus utatur vel sociis vel ministris, si ii provincias, si rempublicam regent, quorum nemo duo menses potuit patrimonium suum gubernare? Non sunt omnia colligenda, quae tu acutissime perspicis: sed tamen ea pone ante oculos: iam intelliges, id regnum vix semestre esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi homines in republica excellentes tulerunt."

Haec [1] fere sunt in illa epistola. Nunc audi reliqua.

XXXIV. 92. Susceptum [2] bellum est quiescente me; depulsum ex Italia manente me, quoad potui. Sollicitum [3] autem me habebat cogitatio tum officii, tum etiam periculi mei. Si manerem in Italia, verebar ne officio deessem; si proficiscerer ad bellum, periculum me meum commovebat. Quo tempore eram profecto ita conturbatus, ut non explicarem, quid esset optimum factu. Sed [4] valuit apud me plus pudor meus, quam timor. Veritus sum deesse Pompeii saluti, quum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio vel fama bonorum vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego, prudens et sciens,

ad pestem ante oculos positam

sum profectus. 93. In navem [5] autem simul atque conscendi,

---

[1]) ad Att. VII. 1. § 1. — [2]) Epist. ad A. Caecin. (ad Fam. VI. 6. § 6.) — [3]) Epist. ad M. Marium (ad Fam. VII. 3. § 1.) — [4]) Epist. ad A. Caecin. (ad Fam. VI. 6. § 6.) — [5]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 7. § 2.)

haec scripsi ad Terentiam: primum [1], valetudinem suam curaret; deinde, villis iis uteretur, quae longissime abessent a militibus. Praeterea [2] conscripsi ad nostros familiares multas epistolas, quibus et Terentiam et Tulliolam nostram diligentissime commendarem. Verebar [3] enim, ut Dolabella ipsis satis prodesse posset. Etiam illud metuebam, ne iam intercluderemur, ut, quum vellent exire, non liceret. 94. Postea [4] autem mihi in mentem veniebant haec; Romae eas esse tuto posse per Dolabellam, eamque rem posse nobis adiumento esse, si quae vis, aut si quae rapinae fieri coepissent. Sed rursus illud me movebat, quod videbam, omnes bonos abesse Roma, et eos mulieres suas secum habere. Ergo [5] mihi plane non satis constabat, utrum esset melius. Res [6] enim videbam quo modo se haberent; orbem terrarum, imperiis distributis, ardere bello; urbem sine legibus, sine iudiciis, sine iure, sine fide, relictam direptioni et incendiis.

XXXV. 95. Bellum [7] igitur quum futurum esset, cum Pompeio esse constitui. Hic [8] enim me, multis obsistentibus eius erga me studio atque amori, semper dilexit, semper sua coniunctione dignissimum iudicavit, semper non modo incolumem, sed etiam amplissimum atque ornatissimum voluit esse. Ergo [9] pudori malui famaeque cedere, quam salutis meae rationem ducere. Cuius me mei facti poenituit, non tam propter periculum meum, quam propter vitia multa, quae ibi offendi, quo veneram. Primum neque magnas copias neque bellicosas; deinde, extra ducem

---

[1]) Ibid. § 3. — [2]) Ibid. § 2. — [3]) Ibid. XIV. 14. § 1. — [4]) Ibid. XIV. 18. § 1. — [5]) Ibid. § 2. — [6]) Epist. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 1. § 2.) — [7]) ad Att. VII. 26. § 3. — [8]) in Pison. c. 31. § 76. — [9]) Epist. ad M. Marium (ad Fam. VII. 3. § 1.)

paucosque praeterea, (de principibus loquor) reliqui primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem: maximum autem aes alienum amplissimorum virorum. Quid quaeris? Nihil boni praeter caussam. Fugi[1] igitur omne munus, eo magis, quod ita nihil poterat agi, ut mihi et meis rebus aptum esset. 96. Sed[2] idem etiam illa vidi, multos principes viros neque consilium civilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus probare semperque summe diffidere. Itaque neque ii multum interfuerunt rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem. Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, caussa, quae erant in nobis superiora, sed lacertis et viribus, quibus pares non eramus. Neque[3] hoc, quod agebatur, videbatur diuturnum esse posse; ut scire iam possem, quid maxime opus esset: etsi egebam rebus omnibus, quod is quoque in angustiis erat, quicum eramus; cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes, nobis, constitutis rebus, eam rem etiam honori fore. 97. Quae[4] quum vidissem, desperata victoriam, primum coepi suadere pacem, cuius fueram semper auctor; deinde, quum ab ea sententia Pompeius valde abhorreret, suadere institui, ut bellum duceret. Hoc interdum probabat et in ea sententia videbatur fore, et fuisset fortasse, nisi quadam ex pugna coepisset suis militibus confidere. Ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit. Signa, tirone et collectitio exercitu, cum legionibus robustissimis contulit. Victus, turpissime amissis etiam castris, solus fugit.

---

[1]) ad Att. XI. 4. § 1. — [2]) Epist. ad M. Marcellum (ad Fam. IV. 7. § 2.) — [3]) ad Att. XI. 3. § 3. — [4]) Epist. ad M. Marium (ad Fam. VII. 3. § 2.)

Paucis [1] post diebus ex Pharsalica fuga venit Labienus, qui interitum exercitus nuntiavit.

XXXVI. 98. Hunc [2] ego mihi belli finem feci, nec putavi, quum integri pares non fuissemus, fractos superiores fore. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tamquam exsilio locus, aut consciscenda mors voluntaria. Certe nihil fuit praeterea, si te victori nolles aut non auderes committere. Ex omnibus autem iis, quae dixi, incommodis, nihil tolerabilius exsilio, praesertim innocenti: ubi nulla adiuncta est turpitudo; addo etiam, quum ea urbe careas, in qua nihil sit, quod videre possis sine dolore. 99. Exercitu [3] amisso, ego, qui pacis auctor semper fueram, post Pharsalicum praelium suasor fui armorum non deponendorum, sed abiiciendorum; nam [4] spe pacis et odio civilis sanguinis abesse a belli necessarii pertinacia volui. Victi [5] sumus igitur, aut, si vinci dignitas non potest, fracti certe et abiecti. In quo nemo potest non maxime eorum laudare consilium, qui cum spe vincendi simul abiecerunt certandi etiam cupiditatem, ostenderuntque sapientes et bonos cives initia belli civilis invitos suscipere, extrema libenter non persequi. Qui non idem consilium secuti sunt, eos video in duo genera esse distractos. Aut enim renovare bellum conati sunt, hique se in Africam contulerunt: aut victori sese crediderunt. 100. Me [6] quidem certe haec duo fefellerunt: initio spes

---

[1]) de Divinat. I. c. 32. § 68. — [2]) Epist. ad M. Marium (ad Fam. VII. 3. § 3.) — [3]) pro Deiotaro c. 10. § 29. — [4]) Epist. ad C. Cassium (ad Fam. XV. 15. § 1.) — [5]) Epist. ad M. Marcell. (ad Fam. IV. 7. § 2.) — [6]) ad Att. IX. 6. A. § 7.

compositionis, qua facta volebam uti populari vita, sollicitudine senectutem nostram liberanti; deinde bellum crudele et exitiosum suscipi a Pompeio intelligebam. Melioris medius fidius civis et viri putabam, quovis supplicio affici, quam illi crudelitati non solum praecesse, verum etiam interesse. Videtur vel mori satius fuisse, quam esse cum his. Erat [1] omnino vix consolabilis dolor: tanta erat omnium rerum amissio et desperatio recuperandi.

---

[1]) Epist. ad Servium Sulpicium (ad Fam. IV, 2, § 2.)

LIBER NONUS.

I. 1. Post[1] Pharsalicum praelium me discessisse ab armis, numquam poenituit. Tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata. Quare voluntatis me meae numquam poenitebit: consilii poenitet. Secuti[2] enim sumus non spem, sed officium: reliquimus autem non officium, sed desperationem. Sero[3] enim nos iis armis adversari videbam, quae multo ante confirmata per nosmetipsos erant: dolebamque, pilis et gladiis, non consiliis, neque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari. Neque[4] quisquam hanc nostram sententiam vere umquam reprehendit, praeter eos, qui arbitrabantur melius esse, deleri omnino rempublicam, quam imminutam et debilitatam manere. Ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam: ex reliquiis magnam. 2. Sed ea sunt consecuta, ut magis mirum sit, accidere illa potuisse, quam nos non vidisse ea futura, nec, homines quum essemus, divinare potuisse. Equidem fateor, meam con-

[1]) ad Att. XI. 6. § 2. — [2]) Epist. ad Varronem (ad Fam. IX. 5. § 2.) — [3]) Epist. ad A. Torquatum (ad Fam. VI. 1. § 5.) — [4]) Epist. ad C. Cassium (ad Fam. XV. 15. § 1.)

iecturam hanc fuisse, ut illo quasi quodam fatali praelio facto, et victores communi saluti consuli vellent, et victi suae: utrumque autem propositum esse arbitrabar in celeritate victoris. Quae si fuisset, eamdem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia. Amissis autem temporibus, quae plurimum valent, praesertim in bellis civilibus, interpositus annus alios induxit, ut victoriam sperarent, alios, ut ipsum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri, aut nescio quem istum Pharnacem Asiae terrorem illaturum putaret?

II. 3. Veni[1] Brundisium. Quae[2] me caussae moverint, quam acerbae, quam graves, quam novae, coegerintque impetu magis quodam animi uti, quam cogitatione, non possum sine maximo dolore scribere. Fuerunt quidem tantae, ut id, quod dixi, effecerint. Nam[3] et incaute, et celerius, quam oportuit, feci; et[4] in oppido aliquo mallem resedisse, ut Dolabellae placebat, quoad arcesserer. Minus sermonis subiissem: minus accepissem doloris. Brundisii enim iacere, in omnes partes erat molestum. Nihil[5] est mali, quod non et sustinerem et exspectarem. Maximas[6] igitur poenas pendebam temeritatis meae: et[7] cum reliquis etiam loci gravitas hic miserrime perferenda. 4. Sic[8] autem scripserat ad me Dolabella:

Dolabella s. d. Ciceroni.

Etsi[9] *nullo tempore in suspicionem tibi debui venire, partium*

[1]) Epist. ad Matium (ad Fam. XI. 27. § 4.) — [2]) ad Att. XI. 5. § 1. — [3]) Ibid. XI. 9. § 1. — [4]) Ibid. XI. 6. § 2. — [5]) Ibid. XI. 11. § 2. — [6]) Ibid. XI. 8. § 1. — [7]) Ibid. XI. 21. § 2. — [8]) Ibid. X. 4. § 11. — [9]) ad Fam. IX. 9.

caussa potius, quam tua, tibi suadere, ut te aut cum Caesare nobiscumque coniungeres, aut certe in otium referres; praecipue nunc, iam inclinata victoria, ne possum quidem in ullam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tibi suadere videar, quod pie tacere non possum. Tu autem, mi Cicero, sic haec accipies, ut, sive probabuntur tibi sive non probabuntur, ab optimo certe animo ac deditissimo tibi et cogitata et scripta esse iudices. 5. *Animadvertis, Cn. Pompeium nec nominis sui, nec rerum gestarum gloria, neque etiam regum ac nationum clientelis, quas ostentare crebro solebat, esse tutum, et hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non posse contingere, ut honeste effugere possit, pulso Italia, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique; quod nescio an nulli umquam nostro acciderit imperatori. Quamobrem, quid aut ille sperare possit aut tu, animum adverte pro tua prudentia: sic enim facillime, quod tibi utilissimum erit, consilii capies. Illud autem te peto, ut, si iam ille evitaverit hoc periculum et se abdiderit in classem, tu tuis rebus consulas et aliquando tibi potius, quam cuivis, sis amicus. Satisfactum est iam a te vel officio, vel familiaritati, satisfactum etiam partibus et ei reipublicae, quam tu probabas.* 6. *Reliquum est, ubi nunc est respublica, ibi simus potius, quam, dum illam veterem sequamur, simus in nulla. Quare velim, mi iucundissime Cicero, si forte Pompeius, pulsus his quoque locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu te vel Athenas vel in quamvis quietam recipias civitatem. Quod si eris facturus, velim mihi scribas, ut ego, si ullo modo potero, ad te advolem. Quaecumque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, qua est humanitate Caesar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare; et meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto.*

III. 7. Multa[1] praetereo, quae temporibus illis inter nos et familiarissimos dicta, scripta, communicata sunt. Nam[2] praeter haec, quae commemoravi, quae testata sunt et illustria, habeo multa occultiora, quae vix verbis exsequi possim. O[3] multas et graves offensiones! Dicebar debuisse cum Pompeio proficisci. Sed exitus illius minuit eius officii praetermissi reprehensionem. Et[4] de huius quidem exitu mihi dubium numquam fuit. Tanta enim desperatio rerum eius omnium regum et populorum animos occuparat, ut, quocumque venisset, hoc putarem futurum. 8. De[5] Pompeio quid dicam? cui plane (quid enim hoc negem?) succensui. Semper enim me caussae eventorum magis movent, quam ipsa eventa. Haec igitur mala (quibus maiora esse quae possunt?) considerans, vel potius iudicans eius opera accidisse et culpa, inimicior eram huic, quam ipsi Caesari. Ut maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae, quam Urbis captae; quod hoc malum ex illo: (itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus) sic ego, decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos, hoc non defendente, ne dicam gravius, afflixerat; praesentisque temporis cognoscens temeritatem, ignaviam, negligentiam, succensebam. 9. Sed ea iam mihi exciderunt. Beneficia eiusdem cogito; cogito etiam dignitatem. An[6] ille quemquam plus dilexit? cum ullo aut sermones aut consilia contulit saepius? quod quidem erat magnum, de summa republica dissentientes in eadem consuetudine amicitiae permanere. Sed et ego, quid ille, et contra ille,

---

[1]) Epist. ad Matium (ad Fam. XI. 27. § 2.) — [2]) Ibid. § 6. — [3]) ad Att. XI. 7. § 3. — [4]) Ibid. XI. 6. § 5. — [5]) Ibid. IX. 5. § 2. — [6]) Philipp. II. c. 15. § 38.

quid ego sentirem et spectarem, videbat. Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati, ille praesenti dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque quid sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille singularis vir ac paene divinus de me senserit, sciunt, qui eum de Pharsalica pugna Paphum prosecuti sunt. Numquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, quum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. 10. Quanto[1] autem ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia! Quae[2] enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? quem[3], tanta progenie orbatum, quum in aram confugisset, hostilis manus interemit. Abeamus[4] a fabulis; propiora videamus. An Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si sciret, se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri, amisso exercitu: et[5] eos, qui concidentem vulneribus vidissent, quum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil tum aliud acturos, nisi ut remiges hortarentur et ut salutem adipiscerentur fuga?

IV. 11. Post[6] mortem vero Pompeii ea consecuta sunt, quae sine lacrimis non possumus dicere. Tanta[7] erat perturbatio et confusio rerum, ita perculsa et prostrata foedissimo bello iacebant omnia, ut is cuique locus, ubi ipse esset, et sibi quisque miserrimus esse videretur. Nos[8]

---

[1]) de Divinat. II. c. 9. § 23. — [2]) Ibid. § 22. — [3]) Tusc. I. c. 35. § 85. — [4]) de Divinat. II. c. 9. § 22. — [5]) Tusc. III. c. 27. § 66. — [6]) de Divinat. II. c. 9. § 22. — [7]) Epist. ad Serv. Sulpicium (ad Fam. IV. 4. § 2.) — [8]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 12.)

quidem in Italiam salvi venimus: sed, perturbati dolore animi magnisque iniuriis, metuebamus ne id consilii cepissemus, quod non facile explicare possemus. Quo[1] magis et alios amicos exoptabam quam primum videre et Serv. Sulpicium, ut ante commentaremur inter nos, qua ratione nobis traducendum esset hoc tempus, quod erat totum ad unius voluntatem accommodandum. Quod quum ita esset, magnae erat deliberationis, quae ratio esset ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius concessu et beneficio quiescendi. 12. Omnes[2] enim, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur; quin[3] et ipse paene ex Italia decedere sum iussus. Nam ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum, in quibus erat, *se audivisse, Catonem et L. Metellum in Italiam venisse, Romae ut essent palam; id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent; prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse caussam cognovisset:* deque eo vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per litteras, *ut sibi ignoscerem: facere se non posse, quin iis litteris pareret.* Tum ad eum misi L. Lamiam, qui demonstraret, illum Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem; eius me litteris venisse. Tum ille edixit ita, ut me exciperet et Laelium nominatim. Quod sane nollem. Poterat enim sine nomine res ipsa excipi.

V. 13. Ego[4] autem, quem antea fortes illi viri et sapientes, Domitii et Lentuli, timidum esse dicebant, (eram plane: timebam enim, ne evenirent ea, quae acciderunt) idem postea nihil timebam et ad omnem eventum paratus

[1]) Epist. ad Serv. Sulpicium (ad Fam. IV. 6. § 3.) — [2]) ad Att. XI. 6. § 6. — [3]) Ibid. XI. 7. § 2. — [4]) Epist. ad Toranium (ad Fam. VI. 21. § 1.)

eram. Quum aliquid videbatur caveri posse, tum id negligi dolebam: postea vero, eversis omnibus rebus, quum consilio profici nihil posset, una ratio videbatur, quidquid eveniret, ferre moderate, praesertim, quum omnium rerum mors sit extremum, et mihi sim conscius, me, quoad licuerit, dignitati reipublicae consuluisse, et hac amissa salutem retinere noluisse. Ego[1] enim is sum, qui nihil umquam mea potius, quam meorum civium caussa fecerim: cui nisi invidisset Pompeius, et ipse beatus esset et omnes boni. Non[2] enim cum socero bellum gessisset; non imparatus arma sumpsisset; non domum reliquisset; non ex Italia fugisset; non, exercitu amisso, nudus in servorum ferrum et manus incidisset; non liberi defleti; non fortunae omnes a victoribus possiderentur. 14. Ego[3] sum, qui nullius vim plus valere voluí, quam honestum otium: idemque, quum illa ipsa arma, quae semper timueram, plus posse sensi, quam illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram; quavis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare. Iis[4] enim rebus praestabamus, quae non prodeunt in aciem: usu autem armorum et militum robore inferiores eramus. Sed[5] mehercule et tum rempublicam lugebam, quae non solum suis erga me, sed etiam meis erga se beneficiis erat mihi carior, et hoc tempore, quamquam me non ratio solum consolatur, quae plurimum debet valere, sed etiam dies, quae stultis quoque mederi solet, tamen doleo, ita rem communem esse dilapsam, ut ne spes quidem, melius aliquando fore, relinquatur. 15. Nec vero tunc quidem

---

[1]) Epist. ad L. Mescinium (ad Fam. V. 21. § 2.) — [2]) Tusc. I. c. 35. § 86. — [3]) Epist. ad L. Mescinium (ad Fam. V. 21. § 2.) — [4]) Epist. ad A. Torquatum (ad Fam. VI. 1. § 5.) — [5]) Epist. ad Curium (ad Fam. VII. 28. § 3.)

culpa in eo fuit, in cuius potestate omnia erant, (nisi forte id ipsum esse non debuit) sed alia casu, alia etiam nostra culpa sic acciderunt, ut de praeteritis non sit querendum. Ac [1] deplorandi quidem, quod quotidie faciebamus, erat iam nobis aut finis omnino faciendus, si posset, aut moderatio quaedam, quod profecto poterat. Non enim iam, quam dignitatem, quos honores, quem vitae statum amisissem, cogitabam, sed quid consecutus essem, quid praestitissem, qua in laude vixissem; his denique in malis, quid interesset inter me et istos, quos propter omnia amiseram. Praeclara [2] igitur conscientia sustentabar, quum cogitabam me de republica aut meruisse optime, quum potuerim, aut certe numquam, nisi divine, cogitasse; eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego XIV annis ante prospexissem.

VI. 16. Omnino [3] de omnibus rebus, nec quid consilii caperem, nec quid facerem, sciebam. Caesar [4] enim ita videbatur Alexandriam tenere, ut eum scribere etiam puderet de illis rebus. Hi autem ex Africa iam adfuturi videbantur; Achaei item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoraturi. Horum [5] et timor idem fuerat primo, qui meus, et constitutum; mora Alexandrina causam illorum correxerat, meam everterat. Quid [6] mihi igitur erat agendum? Videbam difficile esse consilium. Eram enim solus, aut cum altero, cui neque ad illos reditus esset, neque ab his ipsis quidquam ad spem ostenderetur. Nam [7] praeter Laelium neminem habebam culpae socium. Quintus [8] non modo non cum magna prece ad me, sed

[1]) ad Att. X. 4. § 1. — [2]) Ibid. § 5. — [3]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 9.) — [4]) ad Att. XI. 15. § 1. — [5]) Ibid. XI. 16. § 2. — [6]) Ibid. XI. 15. § 1. — [7]) Ibid. XI. 14. § 1. — [8]) Ibid. XI. 15. § 2.

acerbissime scripserat: filius vero mirifico odio. Nihil fingi potest mali, quo non urgerer. 17. Omnia tamen erant faciliora, quam peccati dolor, qui et maximus erat et aeternus: cuius peccati si socios habuissem ego, quos putaveram, tamen fuisset consolatio tenuis. Sed habebat aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. Alii capti, alii interclusi non veniebant in dubium de voluntate, eo minus scilicet, quum se expedissent et una esse coepissent. Ii autem ipsi, qui sua voluntate ad Fufium venerant, nihil poterant, nisi timidi, existimari. Multi autem erant, qui, quicumque erant, modo ad illos se recipere vellent, receptum iri videbantur. Quo minus debet quis mirari, non potuisse me tanto dolori resistere. Solius enim meum peccatum corrigi non poterat, et fortasse Laelii; quippe qui exceptionibus edictorum retineremur: quae si non essent sedulitate effectae et benevolentia Attici, licuisset mihi abire in solitudines aliquas. Nunc ne id quidem licebat. Et[2] Brundisii maneri diutius non poterat; iam[3] enim corpore vix sustinebam gravitatem huius caeli, quae mihi laborem afferebat in dolore. 18. Venit[4] quidem ad me Tullia mea pridie Idus Iunii: cuius[5] morbus et imbecillitas corporis me dudum exanimaverat. Ego[6] autem ex ipsius virtute, humanitate, pietate non modo eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui; sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna versari, idque accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea. Nec videbam esse causam, cur hanc diutius mecum tanto in communi maerore retinerem. Itaque matri eam, quum primum per ipsam liceret, remisi. Filium[7] autem erat nobis in animo

[1]) ad Att. XI. 9. § 1. — [2]) Ibid. XI. 15. § 3. — [3]) Ibid. XI. 22. § 2. — [4]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 11.) — [5]) ad Att. XI. 6. § 4. — [6]) Ibid. XI. 17. § 1. — [7]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 11.)

ad Caesarem mittere et cum eo Cn. Sallustium; sed [1] mutavimus consilium, quia de illius [2] Alexandria discessu nihil adhuc rumoris, contraque opinio, valde esse impeditum. Itaque nec misi, ut constitueram, Ciceronem, et Atticum rogavi, ut me hinc expediret. Quodvis enim supplicium levius erat hac permansione. Quin hac de re et ad Antonium scripsi, et ad Balbum et ad Oppium. Sive enim bellum in Italia futurum esset, sive classibus certaretur; huic esse me, minime conveniebat.

VII. 19. Pridie [3] Idus Sext. redditae mihi tandem sunt a Caesare litterae satis liberales ex Aegypto, *ut* [4] *essem idem, qui fuissem.* Qui, quum ipse Imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est; a quo, C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi; qui mihi tum denique se salutem putavit dare, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset. Sed [5] in tantis nostris peccatis tantisque nostrorum iniuriis nihil erat, quod aut facere dignum nobis aut simulare possem. Ea [6] enim erat a nobis contracta culpa, ut omni statu, omnique populo eundem exitum habitura videretur. 20. Tandem [7] aliquando Romae esse coepimus. Ego [8] enim cum meis (si quidquam tunc cuiusquam erat) etiam in meis esse malui. Veni domum, non quo optima vivendi conditio esset: sed tamen, si esset aliqua formae reipublicae, tamquam in patria ut essem, si nulla, tamquam in exsilio. Mortem mihi cur consciscerem, caussa nulla visa est; cur optarem,

---

[1]) Ibid. XIV. 15. — [2]) ad Att. XI. 18. § 1. — [3]) Epist. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 23.) — [4]) pro Ligario c. 3. § 7. — [5]) ad Att. XI. 21. § 3. — [6]) Ibid. XI. 24. § 1. — [7]) Epist. ad Matium (ad Fam. XI. 27. § 5.) — [8]) Epist. ad M. Marium (ad Fam. VII. 3. § 3.)

multae. Vetus est enim: *Ubi non sis qui fueris; non esse cur velis vivere.* Sed tamen vacare culpa, magnum erat solatium: praesertim quum haberem duas res, quibus me sustentarem, optimarum artium scientiam et maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi vivo numquam eripietur, altera ne mortuo quidem. 21. Si[1] enim bene sentire recteque facere satis est ad bene beateque vivendum; vereor, ne eum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse nefas sit dicere. Nec enim nos arbitror victoriae praemiis ductos patriam olim et liberos et fortunas reliquisse; sed quoddam nobis officium iustum et pium et debitum reipublicae nostraeque dignitati videbamur sequi; nec, quum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis esset victoria. Quare si id evenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit accidere posse, non debemus ita cadere animis, quasi aliquid evenerit, quod fieri posse numquam putarimus. Simus igitur semper ea mente, quam ratio et veritas praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum praeter culpam putemus; eaque quum careamus, omnia humana placate et moderate feramus. Atque haec eo pertinet oratio, ut, perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur.

VIII. 22. Ad[2] meas vero incredibiles aegritudines aliquid novi accessit ex iis, quae de QQ. ad me afferebantur. P. Terentius, meus necessarius, Quintum filium Ephesi vidit, eumque studiose propter amicitiam nostram invitavit; quumque ex eo de me percunctaretur, eum sibi ita

[1]) Epist. ad A. Torquatum (ad Fam. VI. 1. § 3.) — [2]) ad Att. XI. 10. § 1.

dixisse narrabat, se mihi esse inimicissimum; volumenque sibi ostendisse orationis, quam apud Caesarem contra me esset habiturus; multa a se dicta contra eius amentiam: multa postea Patris consimili scelere secum Quintum patrem locutum; cuius furorem ex ea epistola, quam ad me misit, perspicere potui his verbis: *Ego*[1], *ut in his malis, Patris sum non invitus; essem libentius, si frater tuus ea de te loqueretur, quae ego audire vellem.* Haec[2] me excruciabant, et eo magis, quod mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum putabam. 23. De[3] fratre satis. De eius filio, indulsit illi quidem suus pater semper; sed non facit indulgentia mendacem aut avarum aut non amantem suorum; ferocem fortasse atque arrogantem et infestum facit. Itaque habebat haec quoque, quae nascuntur ex indulgentia; sed ea erant tolerabilia (quid enim dicam?) hac inventute. Ea vero, quae mihi quidem, qui illum amabam, his ipsis malis, in quis eramus, miseriora erant, non sunt ab obsequio nostro; nam suas radices habent: quas tamen evellerem profecto, si liceret. Sed ea tempora erant, ut omnia mihi essent patienda. 24. Ad[4] quae gener accedebat, et cetera, quae, fletu reprimor, ne scribam. Quin etiam Aesopi filius me excruciabat. Prorsus nihil aberat, quin essem miserrimus. De[5] Terentia autem — mitto cetera, quae sunt innumerabilia; et[6] plura scribere fletu prohibeor. Quapropter[7], quum in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam rempublicam offendissem, tam misero tempore aliquid novi consilii cepi. Quibus enim pro meis immortalibus beneficiis carissima mea salus et meae fortunae esse debebant, quum propter eorum scelus nihil mihi

---

[1]) ad Att. XI. 16. § 4. — [2]) Ibid. XI. 10. § 1. — [3]) Ibid. X. 11. § 3. — [4]) Ibid. XI. 15. § 3. — [5]) Ibid. XI. 24. § 3. — [6]) Ibid. XI. 9. § 3. — [7]) Epist. ad Cn. Plancium (ad Fam. IV 14. § 3.)

intra meos parietes tutum, nihil insidiis vacuum viderem, novarum me necessitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavi.

Sed de nostris rebus satis, vel etiam nimium multa. Redeo [1] ad rempublicam.

IX. 25. Versabar [2] autem in gemitu Italiae, et in Urbis miserrimis querelis: quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, ut pro sua quisque parte, ferre potuissem, si Caesar adfuisset. Ego vero, qui festinavi, ut Caesarem in Italia viderem, (sic enim arbitrabamur) eumque, multis honestissimis viris conservatis, redeuntem, ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem; ab illo longissime et aberam et abfui. Multa [3] cum in Asia dicebantur morari, maxime Pharnaces. Itinera [4] ita faciebat, ut multos dies in oppidum ponheret. Neque [5] ulla de adventu eius opinio erat; neque, si qui ex Asia veniebant, quidquam auditum esse dicebant de pace; cuius ego spe in hanc fraudem incidi. Nihil videbam, quod sperandum putarem, tum praesertim, quum ea plaga in Asia esset accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexandria, in Urbe, in Italia. 26. Interim [6] Antonius victor e Thessalia Brundisium cum legionibus revertit. Gustarat [7] civilem sanguinem, vel potius exsorbuerat: fuerat in acie Pharsalica antesignanus: L. Domitium, clarissimum et nobilissimum virum, occiderat: multosque praeterea, qui de praelio effugerant, quos Caesar, ut nonnullos, fortasse servasset, crudelissime persecutus trucidarat. Me [8] non occidit. Magnum beneficium. Potuisse

[1]) ad Att. XVI. 15. § 3. — [2]) Epist. ad C. Cassium (ad Fam. XV. 15. § 3.) — [3]) ad Att. XI. 21. § 2. — [4]) Ibid. XI. 22. § 2. — [5]) Ibid. XI. 16. § 1. — [6]) Philipp. II. c. 24. § 59. — [7]) Ibid. c. 29. § 71. — [8]) Ibid. c. 24. § 59.

enim fateor. Quamquam nemo erat eorum, qui cum Antonio fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. Tanta enim est caritas patriae, ut alienis etiam legionibus sanctus esset, quod eam a me servatam esse meminissent. 27. Venit[1] igitur Brundisium, in sinum quidem et in complexum Cytheridis, mimulae suae. Italiae[2] statim percursatio: eadem comite mima: in oppida militum crudelis et nimia deductio: in Urbe auri, argenti, maximeque vini foeda direptio. Accessit, ut, Caesare ignaro, quam ille esset Alexandriae, beneficio amicorum eius, magister equitum constitueretur. Tum existimavit se suo iure cum Hippia vivere et equos vectigales Sergio mimo tradere. Tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat egestas: quo se verteret, non habebat: nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat: nondum in Cn. Pompeii locum multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset. 28. Multa[3] praetereo, et quae ipse in se atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter, et quae in nos fortunasque nostras, id est, in universam rempublicam, impie ac nefarie fecerit. Ab huius enim scelere omnium malorum principium natum reperietis. Hic[4] ad Caesarem belli civilis caussam attulit: hic leges perniciosas rogavit: hic arma contra consules imperatoresque populi Romani, contra senatum populumque Romanum, contra deos patrios arasque et focos, contra patriam tulit.

---

[1]) Philipp. II. c. 25. § 61. — [2]) Ibid. § 62. — [3]) Ibid. c. 21. § 50. — [4]) Ibid. c. 29. § 72.

X. 29. Caesar[1] Alexandria se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur: mea autem sententia, si quis reipublicae sit infelix, felix esse non potest. Neque[2] enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas, vel, ut alio modo definiam, felicitas est fortuna, salutrix consiliorum bonorum; quibus qui non utitur, felix esse nullo pacto potest. Ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Caesar usus erat, nulla potuit esse felicitas. Hasta[3] posita pro aede Iovis Statoris, bona, (miserum me! consumptis enim lacrimis, tamen infixus animo haeret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimae subiecta praeconis. Una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit, servientibusque animis, quum omnia metu temerarentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit. 30. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo praeter Antonium, praesertim quum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent: unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset et reformidasset audacia. Tantus igitur illum stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut primum, quum sector esset isto loco natus, deinde quum Pompeii sector, non se exsecrandum populo Romano, non detestabilem, non omnes sibi deos, omnes homines et esse inimicos et futuros sciret. At quam insolenter statim helluo invasit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, iustitia carior! In eius igitur viri copias quum se subito ingurgitavisset, exsultabat gaudio persona de mimo modo egens, repente dives. 31. Sed, ut est apud poetam nescio quem, *male parta*

[1]) Ibid. c. 26. § 64. — [2]) Fragm. Epist. ad Corn. Nepotem (*in* edit. Nobbii p. 1309, n. 219. 4.) — [3]) Philipp. II. c. 26. § 64.

male dilabuntur. Incredibile ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex, et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat. Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae si fuit, fuit animal unum: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.

XI. 32. Etsi[1] ea perturbatio erat omnium rerum, ut suae quemque fortunae maxime poeniteret nemoque esset, quin ubivis, quam ubi erat, esse mallet, tamen mihi dubium non erat, quin eo tempore bono viro Romae esse miserrimum esset. Nam etsi, quocumque in loco quisquis est, idem est ei sensus et eadem acerbitas ex interitu rerum et publicarum et suarum; tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur: nec avertere a miseriis cogitationem sinunt. Quare[2] mihi quidem iam pridem venerat in mentem, bellum esse aliquo exire, ut ea, quae in Urbe agebantur, quaeque dicebantur, nec viderem nec audirem. Sed calumniabar ipse. Putabam, qui obviam mihi venisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum aut dicturum, etiamsi non suspicaretur: Hic aut metuit, et ea re fugit; aut aliquid cogitat et habet navem paratam. Denique, levissime qui suspicaretur, et qui fortasse me optime novisset, putaret me idcirco discedere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possent. Haec ego suspicans, adhuc Romae manebam.

---

[1]) Epist. ad A. Torquat. (ad Fam. VI. 1. § 1.) — [2]) Epist. ad Varronem (ad Fam. IX. 2. § 3.)

35. Et[1] tamen alia quoque res me Romae tenuit; exspectatio rerum Africanarum. Videbatur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. Putabam autem mea nonnihil interesse, quidquid illinc nuntiatum esset, non longe abesse a consiliis amicorum. Erat enim res iam in eum locum adducta, ut, quamquam multum interesset inter eorum causas, qui dimicabant, tamen inter victorias non multum interfuturum putarem. Necesse[2] erat aut armis urgeri rempublicam sempiternis, aut, his positis, recreari aliquando, aut funditus interire.

XII. 34. Quo[3] in periculo nonnihil me consolabatur, quum recordabar, haec me tum vidisse, quum secundas etiam res nostras, non modo adversas pertimescebam videbamque, quanto periculo de iure publico disceptaretur armis. Quibus si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram, tamen intelligebam, et iratorum hominum et cupidorum et insolentium quam crudelis esset futura victoria; sin autem victi essent, quantus interitus esset futurus civium, partim amplissimorum, partim etiam optimorum, qui me, haec praedicentem atque optime consulentem saluti suae, malebant nimium timidum, quam satis prudentem existimari. 35. Omnia[4] autem delata ad unum sunt. Is utebatur consilio, ne suorum quidem, sed suo. Quod non multo secus fieret, si is rempublicam teneret, quem secuti sumus. Omnia[5] enim sunt misera in bellis civilibus; quae maiores nostri ne semel quidem, nostra aetas saepe iam sensit. Sed miserius nihil, quam ipsa victoria: quae etiamsi ad melieres venit, tamen

[1]) Epist. ad L. Mescinium (ad Fam. V. 21. § 3.) — [2]) Epist. ad A. Torquatum (ad Fam. VI. 2. § 2.) — [3]) Epist. ad Cn. Plancium (ad Fam. IV. 14. § 2.) — [4]) Epist. ad M. Marcellum (ad Fam. IV. 9. § 2.) — [5]) Ibid. § 3.

eos ipsos ferociores impotentioresque reddit; ut, etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt. Maxime[1] autem adducuntur plerique, ut eos iustitiae capiat oblivio, quum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt. 36. Declaravit id temeritas C. Caesaris, qui omnia iura divina atque humana perverterit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. In[2] Caesare enim haec erant: mitis clemensque natura, qualis exprimitur praeclaro illo libro *Querelarum*, quem scripsit Caecina: qui[3] liber et lectus est et legitur a me diligenter et custoditur diligentissime. Accedit[4], quod mirifice ingeniis excellentibus delectabatur. Praeterea cedebat multorum iustis precibus, et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis, voluntatibus. Postremo[5] homo valde erat acutus et multum providens.

XIII. 37. Ego[6] autem, quamquam nulla me ipsum privatim pepulit insignis iniuria, nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Caesar detulerit; tamen nihilominus eis conficiebar curis, ut ipsum, quod manerem in vita, peccare me existimarem. Carebam enim quum familiarissimis multis, quos aut mors eripuerat nobis aut distraxerat fuga, tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam defensa respublica, versabarque in eorum naufragiis et bonorum direptionibus; nec audiebam solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam videbam, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus olim adiutoribus illud in-

[1]) de Offic. I. c. 8. § 26. — [2]) Epist. ad A. Caecinam (ad Fam. VI. 6. § 8.) — [3]) Ibid. VI. 5. § 1. — [4]) Ibid. VI. 6. § 8. — [5]) Ibid. § 9. — [6]) Epist. ad P. Figulum (ad Fam. IV. 13. § 2.)

cendium exstinxeram; et, in qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floreram, in ea tum his quidem omnibus carebam. 38. Obtinebam ipsius Caesaris summam erga nos humanitatem; sed ea plus non poterat, quam vis et mutatio omnium rerum atque temporum. Ergo [1], si dignitas est, bene de republica sentire et bonis viris probare quod sentias, obtinebam dignitatem meam; sin autem in eo dignitas est, si, quod sentias, aut re efficere possis aut denique libera oratione defendere, ne vestigium quidem ullum erat reliquum nobis dignitatis, agebaturque praeclare, si nosmetipsos regere poteramus, ut ea, quae partim iam aderant, partim impendebant, moderate ferremus: quod est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera parte caedem ostentabat, ex altera servitutem. 39. Itaque [2] orbus iis rebus omnibus, quibus et natura me et voluntas et consuetudo assuefecerat, quum ceteris, ut quidem videbar, tum mihi ipsi displicebam. Natus enim ad agendum semper aliquid dignum viro, tunc non modo agendi rationem nullam habebam, sed ne cogitandi quidem: et, qui antea aut obscuris hominibus, aut etiam sontibus opitulari poteram, tunc viris omnium doctissimis et sanctissimis, et maxima quondam gratia, et mihi certe amicissimis, ne benigne quidem polliceri poteram. Quod [3] enim pollicerer, non erat. Ipse enim, pari fortuna abiectus, aliorum opibus casus meos sustentabam, saepiusque mihi veniebat in mentem queri, quod ita viverem, quam gaudere, quod viverem.

XIV. 40. Dolebam [4] autem maxime, et vehementer angebar, quum viderem, M. Marcellum, virum talem in

[1]) Epist. ad Cn. Plancium (ad Fam. IV. 14. § 1.) — [2]) Epist. ad P. Figulum (ad Fam. IV. 13. § 3.) — [3]) Ibid. § 1. — [4]) pro Marcello c. 1. § 2.

eadem caussa, in qua ego fuissem, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro vetere curriculo, illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio a me et comite distracto. Ergo[1] sic fac existimes: post has miserias, id est, postquam armis disceptari coeptum sit de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate, nisi de huius salute. Nam et ipse Caesar, accusata acerbitate Marcelli, (sic enim appellabat) laudataque honorificentissime et aequitate et prudentia Sulpicii, repente praeter spem dixit, *se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum.* Fecerat autem hoc senatus, ut, quum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et quum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae. 41. Itaque quum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent praeter Volcatium, (is enim, si eo loco esset, negavit se facturum fuisse) ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Sic[2] diuturni silentii, quo eram his temporibus usus, finem hicce dies attulit, idemque initium, quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam insuitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam tacitus praeterire nullo modo

[1]) Epist. ad Serv. Sulpicium (ad Fam. IV. 4. § 3.) — [2]) pro Marcello c. 1. § 1.

poteram. M. enim Marcello senatui reique publicae reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem et auctoritatem et senatui et reipublicae conservatam et restitutam putavi. 42. Ergo et mihi meae pristinae vitae consuetudinem C. Caesar interclusam aperuit; et eunuto senatui ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulit. Intellectum est enim, quum M. Marcellum senatui populoque Romano concederet, commemoratis praesertim offensionibus, Caesarem auctoritatem senatus dignitatemque reipublicae suis vel doloribus vel suspicionibus anteferre. Itaque plurimis verbis egi Caesari gratias: quo effugi eius suspicionem, qui fortasse arbitraretur, me hanc rempublicam non putare, si perpetuo tacerem. Sed hoc modice feci, aut etiam intra modum, ut et illius voluntati et meis studiis servirem.

XV. 43. Eram[1] igitur in hac sententia, mihil ut facerem, nisi quod maxime Caesar velle videretur; nam[2] et res eum quotidie, et dies, et opinio hominum, et, ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem fecerat: cuius[3] et misericordia plurimi erant conservati, quum ab ipso non liberationem culpae, sed errati veniam impetravissent. Nec[4] desinebam apud istos, qui tum dominabantur, caenitare et[5] omnes Caesaris familiares satis opportune habebam implicatos consuetudine et benevolentia, sic, ut, quum ab illo discederent, me haberent proximum. Hoc Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius, plane ita faciebant, ut me unice diligerent. Veteres mihi necessitudines cum his

[1]) Epist. ad Serv. Sulpicium (ad Fam. IV. 4. § 4.) — [2]) Ibid. § 5. — [3]) Epist. ad Ligarium (ad Fam. VI. 13. § 2.) — [4]) pro Ligario c. 1. § 1. — [5]) Epist. ad Varronem (ad Fam. IX. 7. § 1.) — [6]) Epist. ad Ampium (ad Fam. VI. 12. § 2.)

pientis praestare, nisi culpam; qua mihi videor dupliciter carere, et quod ea senserim, quae rectissima fuerunt, et quia, quum viderem praesidii non satis esse ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentioribus non putarim. Reliquum erat, ne quid stulte, ne quid temere dicerem aut facerem contra potentes: id quoque puto esse sapientis. Cetera vero, quid quisque me dixisse diceret, aut quomodo ille acciperet, aut qua fide mecum viverent ii, qui me assidue colebant et observabant, praestare non poteram. 49. Ita fiebat, ut et consiliorum superiorum conscientia et praesentis temporis moderatione me consolarer, et illam Accii similitudinem non iam ad invidiam, sed ad fortunam transferrem, quam existimo *levem et imbecillam ab animo firmo et gravi, tamquam fluctum a saxo, frangi oportere.* Etenim quum plena sint monumenta Graecorum, quemadmodum sapientissimi viri regna tulerint vel Athenis vel Syracusis, quum, servientibus suis civitatibus, fuerint ipsi quodammodo liberi; ego me non putarem tueri meum statum sic posse, ut neque offenderem animum cuiusquam, nec frangerem dignitatem meam? 50. Me[1] quidem, etsi nemini concedo, qui maiorem ex pernicie et peste reipublicae molestiam traxerit, tamen multa iam consolabantur, maximeque conscientia consiliorum meorum. Multo enim ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram. Tum[2] vero misera est illa quidem consolatio, sed tamen necessaria, nihil esse praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis. Reliqua[3] erant in me ipso, nec minima solatia; ut quidem ego sentio, multo maxima: quae ego, experiens quotidie, sic probabam, ut

[1]) Epist. ad Serv. Sulpicium (ad Fam. IV. 3. § 1.) — [2]) Epist. ad A. Torquatum (ad Fam. VI. 2. § 2.) — [3]) Epist. ad Serv. Sulpicium (ad Fam. IV. 3. § 3.)

ea mihi salutem afferre viderentur. 51. Etenim ab initio aetatis summe omnium doctrinarum studiosus fueram, omniaque, quae a sapientissimis ad bene vivendum tradita essent, summo studio curaque didiceram. Quae quidem vel optimis rebus et usui et delectationi esse possent: his vero temporibus habebam aliud nihil, in quo acquiescerem. Retuli me ergo ad eas artes, quibus a primis temporibus aetatis studium meum dederam; et posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia neque in foro vidissem, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contuli. Quantis[1] enim molestiis vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt! Quid est dulcius otio litterato?

XVIII. 52. Sed[2] hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisimus, posteaquam[3] unum, quo tenebamur, amisimus morte Tulliae. Itaque solitudines sequebar. Opprimebar[4] interdum et vix resistebam dolori, quod ea me solatia deficiebant, quae ceteris, quorum mihi exempla proponebam, simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, et magnis rebus gestis, amisit, et L. Paullus, qui duo septem diebus, et C. Gallus et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur. 53. Mihi autem, amissis ornamentis iis, quae eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublicae procuratione impediebantur cogitationes meae: nihil in foro agere licebat: aspicere curiam non poteram; existimabam,

[1]) Tusc. V. c. 36. § 105. — [2]) ad Att. XII. 40. § 3. — [3]) Ibid. XII. 28. § 1. — [4]) Epist. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 6. § 1.)

id quod erat, omnes me et industriae meae fructus et fortunae perdidisse. Sed quum cogitarem, haec mihi cum quibusdam esse communia, et quum frangerem iam ipse me cogeremque illa ferre toleranter; habebam, quo confugerem, ubi conquiescerem, cuius in sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem. Iam autem, hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescebant. Non enim, ut antea me a republica maestum domus excipiebat, quae levaret, sic tunc domo maerens ad rempublicam confugere poteram, ut in eius bonis acquiescerem. Itaque et domo abesse malui, et foro, quod nec eum dolorem, quem e republica capiebam, domus iam consolari poterat, nec domesticum respublica.

XIX. 54. In [1] meo gravissimo casu, a [2] Caesare litteras accepi consolatorias, datas prid. Kal. Mai. Hispali. Sed [3] omnem consolationem vincebat dolor. Et [4] Bruti quidem litterae, scriptae et prudenter et amice, multas mihi tamen lacrimas attulerunt: sed [5] nihil, quod me adiuvaret. Gratissima [6] autem mihi fuit Lucceii litterarum consolatio; declarabat enim summam benevolentiam, coniunctam pari prudentia. Quamquam [7] vero, ad consolandum quae valent, eleganter copioseque collegerat, illum [8] tamen fructum ex iis litteris vel maximum cepi, quod Lucceium praeclare res humanas contemnentem et optime contra fortunam paratum armatumque cognovi: quam equidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. Quam [9] firmitudinem gravita-

[1]) Epist. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 6. § 1.) — [2]) ad Att. XIII. 20. § 1. — [3]) Ibid. XII. 14. § 3. — [4]) Ibid. XII. 13. § 1. — [5]) Ibid. XII. 14. § 4. — [6]) Epist. ad Lucceium (ad Fam. V. 13. § 1.) — [7]) Ibid. § 3. — [8]) Ibid. § 1. — [9]) Ibid. § 3.

temque animi non imitari turpissimum existimo. 55. Quantum [1] vero praesens me adiuvare potuisset Sulpicius et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intellexi, quod, litteris ipsius lectis, aliquantum acquievi. Nam et ea scripsit ex Achaia, quae levare luctum possent, et in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuit. Me autem non oratio huius solum et societas paene aegritudinis, sed etiam auctoritas consolabatur. Turpe enim esse existimabam, me non ita ferre casum meum, ut ille, tali sapientia praeditus, ferendum putabat. Sed [2] ipsam Servii orationem cognosce:

Ser. [3] *Sulpicius s. d. M. T. Ciceroni.*

Posteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli, communemque eam calamitatem existimavi; qui, si istic adfuissem, neque tibi defuissem coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est; propterea quia, per quos ea confieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lacrimis multis id conari possunt, uti magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium praestare; tamen, quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere: non quo ea te fugere existimem, sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. 56. Quid est, quod tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? Cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi, cara esse debent; patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito,

[1]) Epist. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 6. § 1.) — [2]) ad Att. XIV. 19. § 4. — [3]) ad Fam. IV. 5.

quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris aestimare? An illius vicem (credo) doles? Quoties in eam cogitationem necesse est et tu veneris, et nos saepe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magno opere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario coniuncta aetatem gereret? Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuventute generum deligere, cuius fidei liberos tuos te tuto committere putares? An ut ea liberos ex sese pareret, quos quum florentes videret, laetaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent in republica? in amicorum negotiis libertate sua uterentur? Quid horum fuit, quod non prius, quam datum esset, ademptum sit? At vero malum est liberos amittere. Malum: nisi peius sit, haec sufferre et perpeti. 57. *Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens quum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeeus, sinistra Corinthus; quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, quum*

uno loco tot oppidûm cadavera
proiecta iaceant? — — —

Visne tu te, Servi, cohibere, et meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi: cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi

proponas. Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt; de imperio populi Romani tanta deminutio facta est; omnes provinciae conquassatae sunt: in unius mulierculae animula si iactura facta est, tanto opere commoveris? quae si hoc tempore non diem suum obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata fuerat. 58. *Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam, quamdiu ei opus fuerit, vixisse; una cum republica fuisse; te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem vidisse; adolescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis prope perfunctam esse; quum respublica occideret, vita excessisse. Quid est, quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueris praecipere et dare consilium; neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt; sed potius, quae aliis praecipere soles, ea tute tibi subiice, atque apud animum propone.* 59. *Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te exspectare tempus, ac non ei rei sapientia tua te occurrere, tibi turpe est. Quod si quis etiam inferis sensus est; qui illius in te amor fuit pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae: da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore maerent: da patriae; ut, si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit; noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam reipublicae tempora et aliorum victoriam lugere.* 60. *Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. Quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre*

fortunam, magnamque ex ea re te laudem apisci: fac aliquando intelligamus, adversam quoque te aeque ferre posse, neque id maius, quam debeat, tibi onus videri; ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, quum te tranquilliorem animo esse cognoro, de iis rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

XX. 61. In [1] hoc meo maerore Asturam sum profectus, et triginta dies in hortis fui. Nam [2], ut tempus erat nostrum, locum habebam nullum, ubi facilius esse possem, quam Asturae. Me [3] haec solitudo minus stimulabat, quam ista celebritas. Valde [4] enim Urbem fugiebam multas ob caussas; et [5] forum, etiam bonis meis rebus, fugiebam. Quid enim mihi cum foro, sine iudiciis, sine curia, in oculos incurrentibus iis, quos aeque animo videre non poteram? Quod autem homines a me postulare scribebat Atticus, ut Romae essem, neque mihi, ut abessem, concedere, aut, quatenus, eos mihi concedere; et [6] se vereri, ne et gratia et auctoritas nostra hoc meo maerore minueretur: ego, quid homines aut reprehenderint aut postularint, nescio. Ne dolerem? qui poterat? ne iacerem? quis umquam minus? Equidem [7] et haec et omnia, quae homini accidere possunt, sic ferebam, ut philosophiae magnam habeam gratiam, quae me non modo ab sollicitudine abducebat, sed etiam contra omnes fortunae impetus armabat. 62. Legere [8] isti laeti, qui me reprehendebant, tam multa non possunt, quam ego scripsi. Quam bene, nihil ad rem. Sed genus scribendi id fuit, quod nemo ab-

---

[1]) ad Att. XII. 40. § 2. — [2]) Ibid. XIII. 26. § 2. — [3]) Ibid. XII. 13. § 1. — [4]) Ibid. XII. 27. § 4. — [5]) Ibid. XII. 21. § 5. — [6]) Ibid. XII. 40. § 2. — [7]) Epist. ad Cornificium (ad Fam. XII. 23. § 4.) — [8]) ad Att. XII. 40. § 2.

iecto animo facere posset. Quo[1] pertinet liber, quem de luctu minuendo scripsimus. Equidem[2], credibile non est, quantum scripserim die; quin etiam noctibus. Nihil enim somni. Ea[3] legebam, ea scribebam, ut ii, qui mecum erant, difficilius otium ferrent, quam ego laborem. Scito[4] enim me, posteaquam in Urbem venerim, redisse cum veteribus amicis, id est, cum libris nostris, in gratiam. Etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quod iis succenserem, sed quod eorum me suppudebat. Videbar enim mihi, quum me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisissem, praeceptis illorum non satis paruisse. Ignoscebant mihi, revocabantque in consuetudinem pristinam. Quamobrem, quoniam placatis iis utebar, videbar sperare debere, et ea, quae premerent, et ea, quae impenderent, me facile transiturum.

XXI. 63. Ergo[5] nobis stetit illud, vivere in studiis nostris, a quibus antea delectationem modo petebamus, tunc vero etiam salutem; non deesse, si quis adhibere vellet, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros, ad aedificandum rempublicam, et potius libenter accurrere; si nemo uteretur opera, tamen et scribere et legere πολιτείας: et si minus in curia atque in foro, at in litteris et libris, ut doctissimi veteres fecerunt, navare rempublicam, et de moribus ac legibus quaerere sive[6] in Tusculano, sive in Cumano ad Varronem, sive (quod minime volebam) Romae. 64. Equidem[7] hos Tusculanenses dies instar esse vitae puto, libenterque omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat, vi nulla interpellante, isto modo vivere. Quod nos nunc quoque imitamur, ut possumus, et in no-

[1]) ad Att. XII. 20. § 2. — [2]) Ibid. XIII. 26. § 3. — [3]) Ibid. XII. 40. § 2. — [4]) Epist. ad Varronem (ad Fam. IX. 1. § 2.) — [5]) Ibid. IX. 2. § 5. — [6]) Ibid. IX. 1. § 2. — [7]) Ibid. IX. 6. § 4.

stris studiis libentissime conquiescimus. Quis enim hoc non dederit nobis, ut, quum opera nostra patria sive non possit uti, sive nolit, ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines, fortasse non recte, sed tamen multi, etiam reipublicae praeponendam putaverunt? Quae igitur studia, magnorum hominum sententia, vacationem habent etiam publici muneris, iis concedente republica cur non abutamur? 65. Haec [1] igitur tum vita erat nostra: mane salutabamus domi et bonos viros multos, sed tristes, et hos laetos victores: qui me quidem perofficiose et peramanter observabant. Ubi salutatio defluxerat amicorum — quae [2] fiebat hoc etiam frequentius, quam solebat, quod, quasi avem albam, videbantur bene sentientem civem videre — litteris [3] me involvebam, aut scribebam, aut legebam, abdens [4] me in bibliothecam. Unum erat perfugium doctrina ac litterae, quibus semper usi sumus: quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, tunc vero etiam salutem. Itaque [5] plura brevi tempore, eversa, quam multis annis, stante republica, scripsimus.

XXII. 66. Ad [6] Brutum igitur misi parvum opusculum, ut degustaret genus hoc exercitationum earum, quibus uti consueveram, quum ea, quae dicuntur in scholis ἀστικά, ad nostrum oratorium transferebam dicendi genus. Animadverteram [7] enim saepe Catonem, avunculum eius, quum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi et publico, sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia

---

[1]) Epist. ad Papir. Paetum (ad Fam. IX. 20. § 3.) — [2]) Epist. ad Curium (ad Fam. VII. 28. § 2.) — [3]) Epist. ad Papir. Paetum (ad Fam. IX. 20. § 3.) [4]) Epist. ad Ampium (ad Fam. VI. 12. § 5.) — [5]) de Offic. III. c. 1. § 4. — [6]) Prooem. Parad. § 5. — [7]) Ibid. § 1.

viderentur. Sed[1] nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione et tamquam excolatur. 67. Quod quum ita putarem, feci etiam audacius, quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim dumtaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de caritate patriae Stoice solebat, oratoriis ornamentis adhibitis, dicere. Ego vero illa ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos: *Quod*[2] *honestum sit, id solum bonum esse; In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum; Aequalia esse peccato et recte facta; Omnem stultum insanire; Solum sapientem esse liberum et omnem stultum servum; Solum sapientem esse divitem.* Quae[3] quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium, ab ipsis etiam παράδοξα appellantur, tentare volui, possentne proferri in lucem et ita dici, ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio: eoque scripsi libentius, quod mihi ista, παράδοξα quae appellant, maxime videntur esse Socratica longeque verissima.

XXIII. 68. Accepit igitur Brutus, ut dixi, hoc parvum opusculum, lucubratum contractioribus noctibus: quoniam illud maiorum vigiliarum munus in eiusdem nomine apparuerat. Nam[4] quum inambularem in xysto et essem otiosus domi, M. ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines quum inter se coniuncti, tum mihi ita cari itaque iucundi, ut eorum aspectu omnis, quae

---

[1]) Ibid. § 3. — [2]) Inscriptiones singulorum Paradoxorum. — [3]) Prooem. Parad. § 4. — [4]) Brut. c. 3. § 10.

me angebat de republica, cura consederit. 69. Quos postquam salutavi:

»Quid vos, inquam, Brute et Attice, nunc? quid tandem novi? Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis aut ego pro certo dicere audeam. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de republica esset silentium et aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia. Iampridem [1] enim conticuerunt tuae litterae. Nam ut illos de Republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus; eisque nosmetipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. Sed illa, quum poteris: atque ut possis, rogo. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quaerimus. Quidnam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse coepissent, qui etiam et quales fuissent. Quem ego sermonem quum ad Brutum nostrum detulissem, magno opere hic audire se velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, quum te sciremus esse vacuum. Quare, si tibi est commodum, ede illa, quae coeperas, et Bruto et mihi. Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis. Poteris, inquit, relaxa modo paullum animum, aut sane, si potes, libera."

70. Nempe igitur hinc tum ductus est sermo noster, qui a me perscriptus in Bruti nomine apparuit. Omnis [2] autem hic sermo noster non solum enumerationem oratorum, verum etiam praecepta quaedam continet. Volebam [3] autem hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos, verum, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse.

---

[1]) Brut. c. 5. § 19. — [2]) Ibid. c. 93. § 319. — [3]) Ibid. c. 69. § 244.

XXIV. 71. Veniebant [1] etiam, qui me audirent quasi doctum hominem, quia paullo eram, quam ipsi, doctior. Mihi [2] enim indicatum erat, si modo hoc Caesar aut pateretur, aut vellet, deponere illam iam personam, in qua me saepe illi ipsi probavi, ac me totum in litteras abdere et cum Volumnio ceterisque earum studiosis honestissimo otio perfrui. Hirtium [3] ego et Dolabellam dicendi discipulos habebam et Cassium [4], qui studiis iisdem tenebantur et meis acquissimis utebantur auribus. 72. Ergo [5], ut Dionysius tyrannus, quum Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse, sic ego, sublatis iudiciis, amisso regno forensi, ludum quasi habere coepi. Quid quaeris? Delectabat me hoc consilium: multa enim consequebar: primum, id quod maxime opus erat, muniebam me ad haec tempora. Id cuiusmodi esset, nesciebam: tantum videbam, nullius consilia me huic anteponere: nisi forte mori melius fuit: in lectulo, fateor: sed non accidit. In acie non fui. Ceteri quidem, Pompeius, Lentulus, Scipio, Afranius foede perierunt. At Cato praeclare. Iam istuc quidem, quum volemus, licebit: demus modo operam, ne tam necesse nobis sit, quam illi fuit; id quod agimus. Ergo hoc primum. 73. Sequitur illud: ipse melior fiebam; primum valetudine, quam, intermissis exercitationibus, amiseram: deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. Dicam [6] breviter: me nec reipublicae, nec amicis umquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsecivis, ut meae

---

[1]) Epist. ad Papir. Paetum (ad Fam. IX. 20. § 3.) — [2]) Epist. ad Volumnium (ad Fam. VII. 33. § 2.) — [3]) Epist. ad Papir. Paetum (ad Fam. IX. 16. § 7.) — [4]) Epist. ad Volumnium (ad Fam. VII. 33. § 2.) — [5]) Epist. ad Papir. Paetum (ad Fam. IX. 18. § 1.) — [6]) Philipp. II. c. 3. § 20.

vigiliae, meaeque litterae et iuventuti utilitatis et nomini Romano laudis aliquid afferrent. Nemo [1] enim orator tam multa ne in Graeco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra, eaque hanc habent, quam omnes probabunt, varietatem.

XXV. 74. Tota [2] mihi caussa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis Rabirii caussa continebatur. Erge in omni genere amplificationis exarsimus. At haec interdum temperanda et varianda sunt. Quod igitur in Accusationis quinque libris non reperitur genus? quod in Aviti? quod in Cornelii? quod in plurimis nostris defensionibus? quae exempla selegissem, nisi vel nota esse arbitrarer, vel posse eligere, qui quaererent. Nulla est enim ullo in genere laus oratoris, cuius in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Non assequebamur; at, quid deceat, videbamus. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus: in quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes; qui quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas; ita sunt avidae et capaces et semper aliquid immensum infinitumque desiderant. 75. Sed [3] ego idem, qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim Latinis, vel ut hortarer alios vel quod amarem meos, recordor longe omnibus unum anteferre Demosthenem, qui vim accommodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam,

---

[1]) Orator c. 30. § 108. — [2]) Ibid. c. 29. § 102. — [3]) Ibid. c. 7. § 23.

non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim: nec[1] umquam negavi profecto illum multa perficere, nos multa conari; illum posse, nos velle, quocumque modo caussa postulet, dicere. Sed ille magnus; nam et successit ipse magnis et maximos oratores habuit aequales. Nos magnum fecissemus, si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire in ea urbe, *in qua*, ut ait Antonius, *auditus eloquens nemo erat.* Atqui si Antonio Crassus eloquens visus non est aut sibi ipse, numquam Cotta visus esset, numquam Sulpicius, numquam Hortensius. Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortensius. Superiores magis ad omne genus apti, Crassum dico et Antonium.

XXVI. 76. Duo[2] sunt, quae bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciant; quorum alterum est, quod Graeci ἠθικόν vocant, ad naturas et ad mores et ad omnem vitae consuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικόν nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, iucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum; hoc vehemens, incensum, incitatum, quo caussae eripiuntur; quod quum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus; sed magno semper usi impetu, saepe adversarios de statu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in caussa magna et gravi quum coepisset Curio pater respondere — quum[3] ego pro Titinnia Cottae peroravissem, ille contra me pro Ser. Naevio diceret — subito[4] assedit, quum sibi venenis

[1]) Ibid. c. 30. § 105. — [2]) Ibid. c. 37. 128. — [3]) Brut. c. 60. § 217. [4]) Orator c. 37. § 129.

ereptam memoriam diceret. 77. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod, etiamsi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant; in quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. Quae qualiacumque in me sunt, (me enim ipsum poenitet, quanta sint) sed apparent in orationibus, etsi carent libri spiritu illo, propter quem maiora eadem illa quum aguntur, quam quum leguntur, videri solent. 78. Expositae[1] item a nobis sunt Ciceroni meo, quum[2] studebat Latine ex me audire ea, quae ipsi de ratione dicendi Graece tradideram, omnes[3] Oratoriae Partitiones, quae quidem e media illa nostra Academia effloruerunt, neque sine ea aut inveniri aut intelligi aut tractari possunt. Nam et partiri ipsum et definire et ambigui partitiones dividere et argumentorum loces nosse et argumentationem ipsam concludere et videre, quae sumenda in argumentando sint, quidque ex iis, quae sumpta sunt, efficiatur, et vera a falsis, verisimilia ab incredibilibus diiudicare et distinguere, et aut male sumpta aut male conclusa reprehendere, et eadem vel anguste disserere, ut dialectici qui appellantur, vel, ut oratorem decet, late exprimere, illius exercitationis et subtiliter disputandi, et copiose dicendi artis est. De bonis vero rebus et malis, aequis, iniquis, utilibus, inutilibus, honestis, turpibus, quam potest habere orator, sine illis maximarum rerum artibus, facultatem aut copiam? Quare haec, quae exposui, sint quasi indicia fontium illorum; ad quos si nobis eisdem ducibus aliisve pervenisset filius meus, sperabam fore ut et haec ipsa melius et multo maiora alia cognosceret.

---

[1]) de Partitione Oratoria c. 40. § 139. — [2]) Ibid. c. 1. § 1. — [3]) Ibid. c. 40. § 139.

XXVII. 79. Quidquid[1] autem habuerim iudicii de dicendo, in Oratorem meum contuli; in[2] quo perfecti oratoris et summae eloquentiae speciem exprimere constitui. Quem[3] librum, etiamsi minus nostra commendatione, Bruti tamen nomine divulgari necesse erat. Quaesierat[4] enim Brutus idque iam saepius, quod eloquentiae genus probarem maxime et quale mihi videretur illud, cui nihil addi posset, quod ego summum et perfectissimum iudicarem. Ergo[5] utrum difficilius aut maius esset, negare huic saepius idem roganti, an efficere id, quod rogaret, diu multumque dubitavi. Nam et negare ei, quem unice diligerem cuique me carissimum esse sentirem, praesertim et iusta petenti et praeclara cupienti, durum admodum mihi videbatur; et suscipere tantam rem, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar esse eius, qui vereretur reprehensionem doctorum atque prudentium. Quid enim est maius, quam, quum tanta sit inter oratores bonos dissimilitudo, iudicare, quae sit optima species et quasi figura dicendi? 80. Nam[6] quum est oratio mollis et tenera et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas, tum et naturae variae et voluntates multum inter se distantia effecerunt genera dicendi. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios et interpuncta intervalla, morae respirationesque delectant. Quid potest esse tam diversum? tamen est in utroque aliquid excellens. Elaborant alii in lenitate et aequabilitate et puro quasi quodam et candido genere dicendi. Ecce aliqui du-

[1]) Epist. ad Leptam (ad Fam. VI. 18. § 4.) — [2]) Orator c. 19. § 61. — [3]) Ibid. c. 31. § 112. — [4]) Ibid. c. 1. § 3. — [5]) Ibid. § 1. — [6]) Ibid. c. 16. § 52.

ritatem et severitatem quamdam verbis et orationis quasi maestitiam sequuntur; quodque ita divisimus, ut alii graves, alii tenues, alii temperati vellent videri, quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur.

XXVIII. 81. Quod[1] quoniam Brutus me saepius rogaverat, aggrediebar, non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate. Malebam enim, quum studio huius essem obsecutus, desiderari ab ipso prudentiam meam, quam, si id non fecissem, benevolentiam. Itaque[2] hoc sum aggressus statim Catone absoluto; quem ipsum numquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi eidem Bruto hortanti et illius memoriam mihi caram excitanti non parere nefas esse duxissem. De[3] Catone πρόβλημα Ἀρχιμήδειον erat. Non assequebar, ut scriberem, quod isti non modo libenter, sed etiam aequo animo legere possent. Quin etiam, si a sententiis eius dictis, si ab omni voluntate consiliisque, quae de republica habuit, recederem, ψιλῶς que vellem gravitatem constantiamque eius laudare; hoc ipsum tamen istis odiosum ἄκουσμα esset. 82. Sed vere laudari ille vir non potest, nisi haec ornata sint: quod ille ea, quae nunc sunt, et futura viderit et, ne fierent, contenderit et, facta ne videret, vitam reliquerit. Horum quid est, quod istis probare possemus? Cato[4] enim sic abiit e vita ut caussam moriendi nactum se esse gauderet. Tantam[5] vim habet differentia naturarum, ut nonnumquam mortem sibi ipse consciscere aliquis debeat, alius in eadem caussa non debeat. Num enim alia in caussa M. Cato fuit, in alia ceteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan

---

[1]) Orator c. 1. § 2. — [2]) Ibid. c. 10. § 35. — [3]) ad Att. XII. 4. § 2. — [4]) Tusc. I. c. 30. § 74. — [5]) de Offic. I. c. 31. § 112.

vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita, et mores fuerant faciliores: Catoni autem quum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roborasset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriundum potius, quam tyranni vultus aspiciendus fuit. 83. At [1], quum aliquid de utilitate, honestate, aequitate disseritur, deque iis rebus, quae his sunt contrariae, incurrunt status aut iuris aut nominis; quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest id factum esse, quod laudetur, aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum. Quamquam [2] is quidem in epistola ad Balbum, quam apud ipsum Lanuvii legi, *Catone meo saepissime legendo se* dixit *copiosiorem factum: Bruti Catone lecto se sibi visum disertum.* Sed [3] qualis futura esset Caesaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis.

XXIX. 84. Quamvis [4] igitur misera essent ea tempora, quae erant miserrima; tamen artes nostrae, nescio quo modo, tum uberiores fructus ferre videbantur, quam olim ferebant, sive quia nulla tum in re alia acquiescebamus, sive quod gravitas morbi faciebat, ut medicinae egeremus eaque tum appareret; cuius vim non sentiebamus, quum valebamus. Ea [5] autem natura rerum est, et is temporum

[1]) Topic. c. 25. § 94. — [2]) ad Att. XIII. 46. § 2. — [3]) ad Att. XII. 40. § 1. — [4]) Epist. ad Varronem (ad Fam. IX. 3. § 2.) — [5]) Epist. ad A. Caecinam (ad Fam. VI. 5. § 2.)

cursus, ut non posset ista aut mihi aut ceteris fortuna esse diuturna, neque haerere in tam bona caussa et in tam bonis civibus tam acerba iniuria. Ignorans[1] enim verum iter gloriae, gloriosum putavit Caesar, plus se unum posse quam omnes, et metui a civibus suis quam diligi maluit. 85. Fuit[2] in illo ingenium, ratio, memoria, litterae, cura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamvis reipublicae calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare meditatus, magno labore, magnis periculis, quod cogitarat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat: suos praemiis, adversarios clementiae specie devinxerat. Quid multa? attulerat iam liberae civitati partim metu, partim patientia consuetudinem serviendi. Quem[3] tamen qui beatum fuisse putant, miseri ipsi sunt. Beatus est nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Omnium[4] autem rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. Praeclare enim Ennius:

Quem metuunt, odere: quem quisque odit, periisse expetit.

Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. 86. Ecce[5] tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupivit idque perfecit: cuius[6] vitae ea conditio fuit, ut, qui illam eripuisset, in maxima et gratia futurus esset et gloria: qui[7] Sullanas venditiones et assignationes ratas esse voluit, quo firmiores existimarentur suae: qui[8] paullo ante in sella aurea sedit et cum purpurea veste processit; in[9]

---

[1]) Philipp. I. c. 14. § 33. — [2]) Ibid. II. c. 45. § 116. — [3]) Ibid. I. c. 14. § 35. — [4]) de Offic. II. c. 7. c. 23. — [5]) Ibid. III. c. 21. § 83. — [6]) Ibid. § 85. — [7]) Epist. ad M. Rutilium (ad Fam. XIII. 8. § 2.) — [8]) de Divinat. I. c. 52. § 119. — [9]) Ibid. II. c. 9. § 23.

eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptarat, in curia Pompeia ante ipsius Pompeii simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam ab ipso omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iacuit, ut ad eius corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet.

XXX. 87. Nec[1] vero huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas, paretque quum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum valeat ad pestem: sed reliquorum similes exitus tyrannorum; quorum haud fere quisquam interitum effugit. Malus enim custos diuturnitatis metus; contraque benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Sed iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda saevitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt: qui vero in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur, iis nihil potest esse dementius. Quamvis enim sint demersae leges alicuius opibus, quamvis timefacta libertas, emergunt tamen haec aliquando aut iudiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissae libertatis, quam retentae. Quod igitur latissime patet, neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes et potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. Ita facillime, quae volemus, et privatis in rebus et in republica consequemur. Etenim, qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi necesse est. 88. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum? qui cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum? Quid? Alexandrum Phe-

[1]) de Offic. II. c. 7. § 23.

racum, quo animo vixisse arbitramur? qui, ut scriptum legimus, quum uxorem Theben admodum diligeret, tamen, ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, et eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis, destricto gladio iubebat anteire; praemittebatque de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas mulebres et, ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent. O miserum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam putaret, quam coniugem! Nec eum fefellit. Ab ea est enim ipsa propter pellicatus suspicionem interfectus. Nec vero ulla vis imperii tanta est, quae premente metu possit esse diuturna. 89. Testis est Phalaris, cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas; qui non ex insidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander; non a paucis, ut hic noster: sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt, universique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedaemonios iniuste imperantes nonne repente omnes fere socii deseruerunt, spectatoresque se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis?

XXXI. 90. Verumtamen [1], quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis, bella aut pro sociis, aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites aut necessarii. Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus: nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terrae verius, quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus; post vero Sullae

---

[1]) de Offic. II. c. 8. § 26.

victoriam penitus amisimus: desitum est enim videri quidquam in socios iniquum, quum exstitisset in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam caussam non honesta victoria. 91. Secutus est, qui in caussa impia, victoria etiam foediore, non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. Itaque, vexatis ac perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus, et ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. Multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno quidquam sol vidisset indignius. Iure igitur plectimur. Nisi enim multorum impunitates scelerum tulissemus, numquam ad unum tanta pervenisset licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos venit hereditas.

XXXII. 92. Illi[1] autem nostri liberatores exemplum facti reliquerunt. Illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium L. Brutus bello est persecutus; qui tum rex fuit, quum esse Romae regem licebat. Spurii Cassius et Melius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. Hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. Saepe[2] enim tempore fit, ut, quod turpe plerumque haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Quod potest maius esse scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existimat.

---

[1]) Philipp. II. c. 44. § 114. — [2]) de Offic. III. c. 4. § 19.

93. Quod[1] quum ipsum factum per se praeclarum atque divinum est, tum expositum ad imitandum, praesertim quum illi eam gloriam consecuti sint, quae vix caelo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam. Maius[2] autem a Decimo Bruto beneficium populus Romanus et habet et exspectat, quam maiores nostri acceperunt a L. Bruto, principe huius maxime conservandi generis et nominis. O[3] civem natum reipublicae, memorem sui nominis imitatoremque maiorum! Neque enim, Tarquinio expulso, maioribus nostris tam fuit optata libertas, quam hisce temporibus recuperanda nobis. 94. M.[4] autem Bruti amo et semper amavi ingenium, studia, mores. Incendebar porro quotidie magis, non desiderio solum, quo quidem conficiebar, congressus nostros, consuetudinem victus, doctissimos sermones requirens, sed etiam incredibili fama virtutum admirabilium, quae specie dispares prudentia coniungebantur. Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? Quis tamen umquam hoc aut sanctior est habitus aut dulcior? Quid tam difficile, quam in plurimorum controversiis diiudicandis ab omnibus diligi? consequebatur tamen, ut eos ipsos, quos contra statueret, aequos placatosque dimitteret. Itaque efficiebat, ut, quum gratiae caussa nihil faceret, omnia tamen essent grata, quae faciebat. Quamquam vero[5] semper amavi M. Brutum propter eius summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam; tamen Idib. Martiis tantum accessit ad amorem, ut mirarer, locum fuisse augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum

---

[1]) Philipp. II. c. 44. § 114. — [2]) Ibid. III. c. 4. § 11. — [3]) Ibid. § 8. [4]) Orator c. 10. § 33. — [5]) Epist. ad Dolabellam (ad Fam. IX. 14. § 5.)

etiam videbatur. Est[1] igitur quasi deorum immortalium beneficio et munere datum reipublicae Brutorum genus et nomen, ad libertatem populi Romani vel constituendam vel recuperandam.

XXXIII. 95. Interfecto[2] Caesare, M. Brutus, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit: ex quo intelligi debere dicebat Antonius, Caesarem[3] meo consilio interfectum. Iam vereor, ne, quod turpissimum est, praevaricatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. Quis enim meum in istius gloriosissimi facti conscientia nomen audivit? Cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? Occultatum dico? cuius non statim divulgatum? Citius dixerim iactasse se aliquos, ut fuisse in ista societate viderentur, qui socii non fuissent, quam ut quisquam celari vellet, qui fuisset. 96. Quam veri simile porro est, in tot hominibus, partim obscuris, partim adolescentibus neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalae? Hi igitur his maioribus ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domo? Quid? C. Cassius, in ea familia natus, quae non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit, me auctorem, credo, desideravit: qui etiam sine his clarissimis viris, hanc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad

---

[1]) Philipp. IV. c. 3. § 7. — [2]) Ibid. II. c. 12. § 30. — [3]) Ibid. c. 11. § 25.

contrariam, naves appulisset. 97. Cn. Domitium non patris interitus, clarissimi viri, non avunculi mors, non spoliatio dignitatis ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? An C. Trebonio ego persuasi? cui ne suadere quidem ausus essem: quo etiam maiorem ei respublica gratiam debet, qui libertatem populi Romani unius amicitiae praeposuit, depulsorque dominatus, quam particeps esse maluit. An L. Tillius Cimber me est auctorem secutus? quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi: admiratus sum autem ob eam caussam, quod immemor beneficiorum, memor patriae fuisset. Quid duos Servilios? Cascas dicam, an Ahalas? et hos auctoritate mea censes excitatos potius, quam caritate reipublicae? Longum est persequi ceteros: idque reipublicae praeclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosum.

XXXIV. 98. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. *Caesare interfecto*, inquit, *statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus.* Cur mihi potissimum? quia sciebam? Vide ne illa caussa fuerit appellandi mei, quod, quum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se aemulum mearum laudum exstitisse. Tu autem, omnium stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Caesarem, crimen sit, etiam, laetatum esse morte Caesaris, crimen esse? Quid enim interest inter suasorem facti, et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis est igitur, te excepto, et iis, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes ergo in culpa. Etenim omnes boni, quantum in

ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: voluntas nemini. 99. Tu[1], tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caesari, omnia perturbare cupienti, caussam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? quam caussam dementissimi sui consilii et facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, ius tribunicium sublatum, circumscriptus a senatu esset Antonius? Omitto, quam haec falsa, quam levia: praesertim quum omnino nulla caussa iusta cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Caesare: tibi certe confitendum est, caussam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. O miserum te, si haec intelligis! miseriorem, si non intelligis, hoc litteris mandari, hoc memoriae prodi, huius rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum umquam immemorem fore, consules ex Italia excussos, cumque his Cn. Pompeium, quod imperii populi Romani decus ac lumen fuit, omnes consulares, qui per valetudinem exsequi cladem illam fugamque potuissent, praetores, praetorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem iuventutis, unoque verbo, rempublicam expulsam atque exterminatam suis sedibus. 100. Ut igitur in seminibus est caussa arborum et stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen fuit Antonius. Dolemus tres exercitus populi Romani interfectos: interfecit Antonius. Desideramus clarissimos cives: eos quoque nobis eripuit Antonius. Auctoritas summi ordinis afflicta est: afflixit Antonius. Omnia denique, quae postea vidimus, (quid autem mali non vidimus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena Troianis, sic iste huic reipublicae belli caussa, caussa pestis atque exitii fuit.

---

[1]) Philipp. II. c. 22. § 53.

Qui [1] si reliquis flagitiis et sceleribus se abstinere potuisset, tamen unum ob hoc factum, quod Caesari diadema imponens Lupercalibus, servum se illius, quam collegam esse malebat, dignum illum omni poena putarem. Nam, si ipse servire poterat, nobis dominum cur imponebat? et, si eius pueritia pertulerat libidines eorum, qui erant in eum tyranni, etiamne in nostros liberos dominum et tyrannum comparabat? Itaque illo interfecto, qualem eum in nos esse voluit, talis ipse in ceteros exstitit.

XXXV. 101. Quid [2] est in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus conglutinatus est. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Quid [3] hic faciet, si potuerit, iratus, qui, quum succensere nemini posset, omnibus bonis fuerit inimicus? Quid hic victor non audebit, qui, nullam adeptus victoriam, tanta scelera post Caesaris interitum fecerit? refertam eius domum exhauserit? hortos compilarit? ad se ex his omnia ornamenta tratulerit? caedis et incendiorum caussam quaesierit ex funere? duobus aut tribus senatusconsultis bene et e republica factis, reliquas res ad lucrum praedamque revocaverit? vendiderit immunitates? civitates liberaverit? provincias universas ex imperii populi Romani iure sustulerit? exsules reduxerit? falsas leges, C. Caesaris nomine, et falsa decreta in aes incidenda et in Capitolio figenda curaverit, earumque rerum omnium domesticum mercatum instituerit? populo Romano leges imposuerit? armis et praesidiis, et populum et magistratus foro excluserit? senatum stiparit armis? armatos in cella Concordiae, quum senatum ha-

[1]) Philipp. XIII. c. 8. § 17. — [2]) Philipp. III. c. 11. § 28. — [3]) Ibid. c. 12. § 30.

beret, incluserit? ad legiones Brundisium cucurrerit? ex his optime sentientes centuriones iugulaverit? cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum et ad disperditionem Urbis venire conatus?

XXXVI. 102. Quos[1] vero et quam multos secum habuit Antonius notos et insignes latrones! Primum L. fratrem. Quam faecem, dii immortales! quod facinus! quod scelus! quem gurgitem! quam voraginem! Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censetis? in cuius possessiones atque fortunas non impudentissimos oculos spe et mente defigere? Quid Censorinum? qui se verbo praetorem esse urbanum cupere dicebat, re certe noluit. Quid Bestiam? qui se consulatum in Bruti locum petere profitetur. Accedit[2] Saxa, nescio quis, quem nobis Caesar ex ultima Celtiberia tribunum plebis dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, Urbis. Cum hoc veteranus Capho: quo neminem veterani peius oderunt. His, quasi praeter dotem, quam in civilibus malis acceperant, agrum Campanum est largitus Antonius, ut haberent reliquorum nutriculas praediorum: quibus utinam contenti essent! ferremus: etsi tolerabile non erat: sed quidvis patiendum fuit, ut hoc taeterrimum bellum non haberemus. 103. Quid? illa castrorum M. Antonii lumina, nonne ante oculos versantur? Primum duo collegae Antoniorum et Dolabellae, Nucula et Lento, Italiae divisores lege ea, quam senatus per vim latam iudicavit: quorum alter commentatus est mimos, alter egit tragoediam. Quid dicam de Apulo Domitio? cuius bona modo proscripta vidimus: tanta procuratorum est negligentia. At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit. Sed

[1]) Philipp. XI. c. 5. § 10. — [2]) Ibid. § 12.

non possunt non prodige vivere, qui nostra bona sperant, quum effundant sua. Vidimus etiam P. Decii auctionem, clarissimi viri: qui, maiorum suorum exempla persequens, pro alieno se aere devovit. Emptor tamen in ea auctione inventus est nemo. Hominem ridiculum, qui se exire aere alieno putet posse, quum vendat aliena. Nam quid ego de Trebellio dicam? quem ultae videntur furiae debitorum: vindicem enim tabularum novarum novam tabulam videmus. Quid de T. Planco? quem praestantissimus civis, Aquila, Pollentia expulit, et quidem crure fracto: quod utinam illi ante accidisset, ne huc redire potuisset! Lumen et decus illius exercitus paene praeterii, C. Annium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum, Graeco verbo, quoniam omnia iura dissolvit. 104. Exempli[1] caussa paucos nominavi: genus infinitum. Addite illa naufragia Caesaris amicorum, Barbas Cassios, Barbatos, Polliones: addite Antonii collusores et sodales, Eutrapelum, Melam, Caelium, Pontium, Crassicium, Tironem, Mustelam, Petissium: comitatum relinquo, duces nomino. Huc accedunt Alaudae ceterique veterani, seminarium iudicum tertiae decuriae, qui, suis rebus exhaustis, beneficiis Caesaris devoratis, fortunas nostras concupiverunt.

XXXVII. 105. Quum[2] hanc et huius generis copiam tantam haberet Antonius, quod scelus omisit? Qua[3] in barbaria quisquam tam taeter, tam crudelis tyrannus, quam in hac urbe armis barbarorum stipatus Antonius? Caesare dominante veniebamus in senatum, si non libere, attamen tuto. Hoc archipirata (quid enim dicam tyranno?) subsellia ab Ituraeis occupabantur. Unus[4] Antonius in

[1]) Philipp. XIII. c. 2. § 3. — [2]) Ibid. XI. c. 6. § 13. — [3]) Ibid. XIII. c. 8. § 18. — [4]) Ibid. V. c. 6. § 17.

hac urbe post conditam Urbem palam secum habuit armatos: quod neque reges fecerunt, neque ii, qui regibus exactis regnum occupare voluerunt. Cinnam memini: vidi Sullam: modo Caesarem. Hi enim tres, post civitatem a L. Bruto liberatam, plus potuerunt, quam universa respublica. Non possum affirmare, nullis telis eos stipatos fuisse: hoc dico, nec multis et occultis. 106. At hanc pestem agmen armatorum sequebatur: Classitius, Mustela, Tiro, gladios ostentantes, sui similes greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari sagittarii. Quum autem erat ventum ad aedem Concordiae, gradus complebantur, lecticae collocabantur, non quo ille scuta occulta esse vellet, sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent. Illud vero taeterrimum auditu, non modo aspectu, in cella Concordiae collocari armatos, latrones, sicarios: de templo carcerem fieri: opertis valvis Concordiae, quum inter subsellia senatus versarentur latrones, patres conscriptos sententias dicere.

XXXVIII. 107. Huc etiam nisi venirem Kalend. Septemb., fabros se missurum et domum meam disturbaturum esse dixit. Quid[1] tandem erat caussae, cur in senatum tam acerbe cogerer? Solusne aberam? an non saepe minus frequentes fuerunt? an ea res agebatur, ut etiam aegrotos deferri oporteret? Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam caussam etiam Appium illum, et caecum et senem, delatum esse memoriae proditum est. 108. De supplicationibus referebatur: quo in genere senatores deesse non solent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia:

---

[1]) Philipp. I. c. 5. § 11.

quod idem fit, quum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt, ut paene liberum sit senatori, non adesse. Qui quum mihi mos notus esset, quumque de via languerem et mihimet displicerem, misi pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille, audiente senatu, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem et valde intemperanter. Cuius enim maleficii ista poena est, ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum? Quis autem umquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus aut mulctam? 109. Veni[1] postridie: ipse non venit. Locutus sum de republica, minus equidem libere, quam mea consuetudo, liberius tamen, quam pericula minaeque postulabant. At ille homo vehemens et violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet, (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piso XXX diebus ante) inimicitias mihi denuntiavit: adesse in senatum iussit a. d. XIII. Kalend. Octob. Ipse interea XVII dies de me in Tiburtinō Scipionis declamitavit, sitim quaerens: haec enim ei caussa esse declamandi solet. 110. Quum is dies, quo me adesse iusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit, atque in me absentem orationem ore impurissimo evomuit. Quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, caedis initium fecisset a me: sic enim statuerat. Quum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem caedendi, nisi defatigatio et satietas, attulisset. Etenim aderat L. frater, gladiator Asiaticus, qui mirmillo Mylasis depugnarat; sanguinem nostrum sitiebat, suum in illa gladiatoria pugna multum profuderat. Hic pecunias nostras aestima-

[1]) Philipp. V. c. 7. § 19.

bat: possessiones notabat et urbanas et rusticas: huius mendicitas aviditate coniuncta in fortunas nostras imminebat: dividebat agros, quibus et quos volebat: nullus aditus erat privato, nulla aequitatis deprecatio. Tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat divisor Antonius.

XXXIX. 111. M. vero Antonium [1], quis est, qui civem possit iudicare potius, quam taeterrimum et crudelissimum hostem: qui pro aede Castoris sedens audiente populo Romano dixerit, nisi victorem, victurum neminem? Num putatis, dixisse eum minacius, quam facturum fuisse? Quid vero, quod in concione dicere ausus est, se, quum magistratu abisset, ad Urbem futurum cum exercitu? introiturum, quotiescumque vellet? quid erat aliud, nisi denuntiare populo Romano servitutem? Quod autem eius iter? quae festinatio? quae spes, nisi ut ad Urbem vel in Urbem potius exercitum maximum adduceret? Prorupit [2] subito Brundisium, ut inde agmine quadrato ad Urbem accederet: lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum, Suessam, fortissimorum militum sanguine implevit: Brundisii, in sinu non modo avarissimae, sed etiam crudelissimae uxoris, delectos Martiae legionis trucidavit. 112. Atque [3] ille furens infesta iam patriae signa a Brundisio inferebat: quum C. Caesar adolescens, deorum immortalium beneficio, divini animi, ingenii, consilii magnitudine, quamquam sua sponte eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis meae, colonias patris adiit; veteranos milites convocavit; paucis diebus exercitum fecit; incitatos latronis impetus retardavit. Quem [4]

---

[1]) Philipp. V. c. 8. § 21. — [2]) Ibid. XIII. c. 8. § 18. — [3]) Ibid. V. c. 8. § 23. — [4]) Ibid. XIII. c. 9. § 19.

[illegible]

II. 113. Ingressus[1] Urbem est, [illegible], vel p[illegible] [illegible] quum [illegible] populo Romano, [illegible] Urbem putans sese polliceretur. Rediit ad milites: ibi pestiferam illam Tiburi concionem. Inde ad Urbem cursus: senatus in Capitolium: parata de circumscribendo adolescente sententia consularis: quum repente (nam Martiam legionem Albae consedisse sciebat) affertur ei de Quarta nuntius. Quo[2] ille nuntio audito, quum senatum vocasset adhibuissetque consularem, qui sua sententia C. Caesarem hostem iudicaret, repente concidit, et[3], abiecto consilio referendi ad senatum de Caesare, egressus est non viis, sed tramitibus paludatus: eoque die ipso innumerabilia senatusconsulta fecit; quae quidem omnia citius delata, quam scripta sunt. 114. Ex eo non iter, sed cursus et fuga in Galliam. Neque[4] sacrificiis solemnibus factis, neque votis nuncupatis, non profectus est, sed profugit paludatus. At quo? in provinciam firmissimorum et fortissimorum civium, qui illum, ne si ita quidem venisset, ut nullum bellum inferret, ferre potuissent, impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium. At ille, cuius ne pacatam quidem nequi-

---

[1]) Philipp. III. c. 8. § 15. — [2]) Ibid. XIII. c. 9. § 19. — [3]) Ibid. V. c. 9. § 23. — [4]) Ibid. XIII. c. 9. § 19. — [5]) Ibid. V. c. 9. § 24.

tiam quisquam ferre posset, bellum intulit provinciae Galliae; circumsedet Mutinam, firmissimam et splendidissimam populi Romani coloniam; oppugnat D. Brutum, imperatorem, consulem designatum, civem non sibi, sed nobis et reipublicae natum: qui [1] se totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi aut progredi maluit, Mutinamque illi exsultanti, tamquam frenos furoris, iniecit.

XLI. 115. Quam quum operibus munitionibusque sepsisset, nec eum florentissimae coloniae dignitas, neque consulis designati maiestas a parricidio deterreret; tum, me invito et repugnante, legati missi sunt tres consulares ad latronem M. Antonium, gladiatorum ducem. Quis tam barbarus umquam? tam immanis? tam ferus? Non audivit; non respondit; neque eos solum praesentes, sed multo magis nos, a quibus illi erant missi, sprevit et pro nihilo putavit. Quid? [2] ille faceret inducias? Ante os oculosque legatorum tormentis Mutinam verberavit: opus ostendebat munitionemque legatis: ne punctum quidem temporis, quum legati adessent, oppugnatio respiravit. 116. Postea [3], quod scelus, quod facinus parricida non edidit? Circumsedit colonos nostros, exercitum populi Romani, imperatorem, consulem designatum; agros divexat civium optimorum; hostis taeterrimus omnibus bonis cruces ac tormenta minitatur. Ergo [4] Hannibal hostis, civis Antonius? Quid ille fecit hostiliter, quod hic non aut fecerit aut faciat, aut moliatur et cogitet? Totum iter Antoniorum quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, caedes, rapinas? quae non faciebat Hannibal, quia multa ad usum reservabat: haec

[1]) Philipp. XIII. c. 9. § 20. — [2]) Ibid. VIII. c. 7. § 20. — [3]) Ibid. XIII. c. 9. § 21. — [4]) Ibid. V. c. 9. § 25.

hi, qui in horam viverent, non modo de fortunis et de bonis civium, sed ne de utilitate quidem sua cogitaverunt.

XLII. 117. Imaginem[1] autem M. Antonii crudelitatis in Dolabella cernere licet: ex hoc efficta est: ab hoc illa Dolabellae scelerum praecepta sunt tradita. Nam[2] duo haec capita nata sunt post homines natos taeterrima et spurcissima, Dolabella et Antonius: quorum alter effecit, quod optabat; de altero patefactum est, quid cogitaret. Ecce[3] tibi geminum in scelere par, invisitatum, inauditum, ferum, barbarum. Itaque quorum summum quondam inter ipsos odium bellumque fuerat, eosdem postea singulari inter se consensu et amore devinxit impurissimae naturae et turpissimae vitae similitudo. 118. In[4] Galliam invasit Antonius, in Asiam Dolabella: in alienam uterque provinciam. Alteri se Brutus obiecit, impetumque furentis atque omnia divexare ac diripere cupientis vitae suae periculo colligavit, progressu arcuit, a reditu refrenavit; obsideri se passus ex utraque parte constrinxit Antonium. Alter in Asiam irrupit. Nulla[5] suspicio belli: quis enim id putaret? Secutae collocutiones familiarissimae cum Trebonio, complexusque summae benevolentiae falsi indices exstiterunt in amore simulato: dexterae, quae fidei testes esse solebant, perfidia sunt et scelere violatae: nocturnus introitus Smyrnam, quasi in hostium urbem, quae est fidelissimorum antiquissimorumque sociorum: oppressus Trebonius: si, ut ab eo, qui aperte hostis esset, incautus: si, ut ab eo, qui civis etiam tum speciem haberet, miser. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna voluit, quid esset victis extimescendum.

---

[1]) Philipp. XI. c. 3. § 6. — [2]) Ibid. c. 1. § 1. — [3]) Ibid. § 2. — [4]) Ibid. c. 2. § 4. — [5]) Ibid. § 5.

XLIII. 119. Ponite[1] iam ante oculos miseram illam et flebilem speciem: nocturnum impetum in urbem Asiae clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, quum miser ille prius latronum gladios videret, quam, quae res esset, audisset: furentis introitum Dolabellae, vocem impuram atque os illud infame, vincula, verbera, oculeum, tortorem carnificemque Samiarium. Consularem[2] hominem, consulari imperio provinciam Asiam obtinentem, Samiario exsuli tradidit: interficere captum statim noluit, ne nimis, credo, in victoria liberalis videretur. Quum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset, tum verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae, idque per biduum. Post cervicibus caput abscidit, idque affixum gestari iussit in pilo: reliquum corpus tractum atque laniatum abiecit in mare. Quis[3] bonus non luget mortem Trebonii? quis non dolet interitum talis et civis et viri? 120. L. Cinna[4] crudelis: C. Marius in iracundia perseverans: L. Sulla vehemens: neque ullius horum in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est; quae tamen poena in cives nimis crudelis putabatur. At[5] Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, quamquam eius numquam particeps fuit, ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in vivo, sed etiam in mortuo, atque in eius corpore lacerando atque vexando, quum animum satiare non posset, oculos paverit suos. Qua[6] re quum crudelissimi Poeni iudicati sint in hoste, quid in cive de Dolabella iudicandum est? cuius[7] taeterrima crudelitate omnis barbaria superata est.

---

[1]) Philipp. XI. c. 3. § 7. — [2]) Ibid. c. 2. § 5. — [3]) Ibid. XII. c. 10. § 25. — [4]) Ibid. XI. c. 1. § 1. — [5]) Ibid. c. 3. § 8. — [6]) Ibid. c. 4. § 9. — [7]) Ibid. c. 2. § 6.

XLIV. 121. Quid loquar de aliorum caede civium Romanorum? de direptione fanorum? Quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex; nos alio bello distineri putat. Quasi vero non unum idemque bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium. Ergo[1] id, quod fecit Dolabella, in quo potuit, multis idem minatur Antonius. Sed ille quum procul abesset a consulibus exercitibusque nostris, neque dum senatum cum populo Romano conspirasse sensisset, fretus Antonii copiis ea scelera suscepit, quae Romae iam suscepta arbitrabatur a socio furoris sui. 122. Et[2] hic, dii immortales! aliquando fuit meus. Occulta enim erant vitia non inquirenti. Neque nunc fortasse alienus ab eo essem, nisi ille senatui, nisi moenibus patriae, nisi huic urbi, nisi diis penatibus, nisi aris et focis omnium nostrum, nisi denique naturae et humanitati inventus esset inimicus. Nunc[3] vero etiam gaudeo mihi caussam oblatam, in qua et ipse sentiat, et reliqui omnes, me ab illo abalienatum: idque prae me feram, et quidem me mea facere et reipublicae caussa, ut illum oderim: quod, quum eam me auctore defendere coepisset, non modo deseruerit, emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuit, everterit.

123. Sed[4] de hoc quidem hactenus. Quid[5], si cetera scribam? Sunt enim innumerabilia generis eiusdem: quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem et nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum. Itaque[6] et, a republica forensibusque

---

[1]) Philipp. XI. c. 1. § 2. — [2]) Ibid. c. 4. § 10. — [3]) ad Att. XVI. 15. § 1. — [4]) Philipp. XI. c. 9. § 20. — [5]) Epist. ad Curium (ad Fam. VII. 30. § 2.) — [6]) de Offic. III. c. 1. § 1.

negotiis armis impiis vique prohibiti, otium persequimur; et ob eam caussam, Urbe relicta, rura peragrantes saepe soli sumus. Quod [1] ego sine iracundia dico, ut omnia, nec tamen sine dolore. Sed [2] patriam eluxi iam et gravius et diutius, quam ulla mater unicum filium; et [3] dudum tempus est, nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare. 124. Qua [4] cogitatione dici non potest quam sim hisce temporibus delectatus, vel potius adiutus. Etsi enim mihi sum conscius, numquam me nimis cupidum fuisse vitae; tamen obiiciebatur interdum animo metus quidam et dolor, cogitanti, fore aliquando finem huius lucis et amissionem omnium vitae commodorum. Hoc autem genere molestiae sic, mihi crede, sum liberatus, ut nihil minus curandum putem. Nec mirum id quidem. Nam efficit hoc philosophia: medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Numquam [5] igitur laudari satis digne poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere. Ars [6] est enim philosophia vitae. Sed [7] haec alias pluribus.

---

[1]) Philipp. VIII. c. 6. § 19. — [2]) Epist. ad Paetum (ad Fam. IX. 20. § 3.) — [3]) ad Att. X. 8. § 8. — [4]) Tusc. II. c. 4. § 10. — [5]) de Senect. c. 1. § 2. — [6]) de Finib. B. et M. III. c. 2. § 4. — [7]) Epist. ad Curium (ad Fam. VII. 30. § 2.)

LIBER DECIMUS.

I. 1. Quum[1] defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus, retuli me, hortante maxime Bruto meo, ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi: et, quum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur; hoc mihi Latinis litteris illustrandum putavi. Non, quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset: sed meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. 2. Nam mores et instituta vitae resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius: rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid loquar de re militari? in qua quum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Iam illa, quae natura, non litteris assecuti sunt, neque cum Grae-

[1]) Tusc. I. c. 1. § 1.

cia, neque ulla cum gente sunt conferenda. Quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda?

II. 3. At[1] Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum; quae illustranda et excitanda nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. In quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi iam esse Latini libri dicuntur, scripti inconsiderate, ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit: sed mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit praeter eos, qui eamdem licentiam scribendi sibi permitti volunt. 4. Quare si aliquid oratoriae laudis nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontes aperiemus, e quibus etiam illa manabant. Sed, ut Aristoteles, vir summo ingenio, scientiae copia, quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere, et prudentiam cum eloquentia iungere: sic nobis placet, nec pristinum dicendi studium deponere, et in hac maiore et uberiore arte versari; qua[2] nec mihi carior ulla umquam res in vita fuit, nec hominum generi maius a diis munus ullum est datum. Cuius[3] in sinum quum a primis tempori-

---

[1]) Ibid. c. 3. § 5. — [2]) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 16.) — [3]) Tusc. V. c. 2. § 5.

bus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eumdem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. 5. O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset! Tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti: tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus; a te opem petimus; tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies, bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus. Cuius igitur potius opibus utamur, quam tuis, quae et vitae tranquillitatem largita nobis es, et terrorem mortis sustulisti?

. . . . . .

III. 6. Sed[1] ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orirentur, quove recíderent: studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur et cuncta caelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e caelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Cuius multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoria et litteris consecrata, plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitrabamur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore

[1]) Ibid. c. 4. § 10.

alios levaremus, et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus. 7. Hic[1] in omnibus fere sermonibus, qui ab his, qui illum audierunt, perscripti varie et copiose sunt, ita disputat, ut nihil affirmet ipse, refellat alios: nihil se scire dicat, nisi id ipsum; eoque praestare ceteris, quod illi, quae nesciant, scire se putent, ipse, se nihil scire, id unum sciat; ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod haec esset una omnis sapientia, non arbitrari sese scire, quod nesciat. Quae quum diceret constanter, et in ea sententia permaneret, omnis eius oratio tum in virtute laudanda, et in omnibus hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur, ut e Socraticorum libris, maximeque Platonis, intelligi potest.

IV. 8. Platonis autem auctoritate, qui varius et multiplex et copiosus fuit, una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum: qui, rebus congruentes, nominibus differebant. Nam, quum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset; duos autem praestantissimos studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium et Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio: illi autem, qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum gymnasium, coetus erant et sermones habere soliti; e loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique, Platonis ubertate completi, certam quamdam disciplinae formulam composuerunt, et eam quidem plenam ac refertam; illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, et nulla

[1]) Acad. Poster. I. c. 4. § 16.

bus aetatis nostra voluntas studiumque nos his gravissimis casibus in eumdem portum, egressi, magna iactati tempestate confugi philosophia dux, o virtutis indagatrix rum! quid non modo nos, sed omni te esse potuisset! Tu urbes peperi nes in societatem vitae convocas domiciliis, deinde coniugiis, tu munione iunxisti: tu inventri et disciplinae fuisti. Ad te tibi nos, ut antea magn tosque tradimus. Est ceptis tuis actus, Cuius igitur potiu vitae tranquillita sustulisti? III. 6. qui Arc motus

ver disse- definientes, tum ant orationem ornatam sunt dicta ab illis! quam e fortitudine, de amicitia, de ae- ilosophia, de capessenda republica, de ec consuetudine hominum acu spinas vellen- Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui reci ornate vellent, enucleate minora dicere. Itaque te sunt eorum consolationes! quae cohortationes! quae monita et consilia, scripta ad summos viros! Erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicendi exercitatio duplex. Nam quidquid quaeritur, id habet aut generis ipsius sine personis temporibusque, aut, his adiunctis, facti aut iuris aut nominis controversiam. Ergo in utroque exercebantur: eaque disciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam.

---

[1]) de Finib. B. et M. V. c. 3. § 7. — [2]) Ibid. IV. c. 3. § 5.

Itaque[1] mihi semper Peripateticorum Academi-
udo de omnibus rebus in contrarias partes
b eam caussam solum placuit, quod aliter
n una quaque re verisimile esset, inve-
l esset ea maxima dicendi exercitatio:
istoteles, quem[2], excepto Platone,
principem philosophorum. Ari-
enta atque ornamenta submi-
centes, non ad philosopho-
ed ad copiam rhetorum,
s et uberius dici posset,
qui secuti sunt Peripatetici[3]
propria oratorum putantur esse ad-
amenta dicendi, ab se peti vincunt opor-
solum meliora, sed etiam multo plura Aristo-
heophrastumque de his rebus, quam omnes dicen-
magistros, scripsisse ostendunt. Nostra[7] autem memoria
Philo, quem nos frequenter audivimus, instituit alio tem-
pore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum. Ad
quam consuetudinem a familiaribus nostris adducti, in
Tusculano saepe, quod datum est temporis nobis, in eo
consumpsimus.

VI. 13. Quamquam[8] non sumus ignari, multos studiose contra nos dicturos; quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus. Etenim si orationes, quas nos multitudinis iudicio probari volebamus (popularis est enim illa facultas, et effectus eloquentiae est audientium approbatio); sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil lauda-

---

1) Tusc. II. c. 3. § 9. — 2) de Finib. B. et M. V. c. 3. § 7. — 3) de Invent. I. c. 5. § 7. — 4) Orator c. 14. § 46. — 5) Tusc. II. c. c. 3. § 9. — 6) de Orat. I. c. 10. § 43. — 7) Tusc. II. c. 3. § 9. — 8) Ibid. c. 1. § 3.

affirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt. 9. Ad[1] eos igitur converti me. Ex eorum enim scriptis et institutis quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac, tamquam ex omnium artium officina, profecti sunt. Quam[2] multa illi de republica scripserunt! quam multa de legibus! quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt! 10. Primum enim ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, tum definientes, tum partientes: deinde ea, quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis! quam splendide! de iustitia, de fortitudine, de amicitia, de aetate degenda, de philosophia, de capessenda republica, de temperantia; nec consuetudine hominum acu spinas vellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere. Itaque quae sunt eorum consolationes! quae cohortationes! quae etiam monita et consilia, scripta ad summos viros! Erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicendi exercitatio duplex. Nam quidquid quaeritur, id habet aut generis ipsius sine personis temporibusque, aut, his adiunctis, facti aut iuris aut nominis controversiam. Ergo in utroque exercebantur: eaque disciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam.

---

[1]) de Finib. B. et M. V. c. 3. § 7. — [2]) Ibid. IV. c. 3. § 5.

V. 11. Itaque[1] mihi semper Peripateticorum Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam caussam solum placuit, quod aliter non posset, quid in una quaque re verisimile esset, inveniri; sed etiam, quod esset ea maxima dicendi exercitatio: qua princeps usus est Aristoteles, quem[2], excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Aristoteles[3] enim plurima adiumenta atque ornamenta subministravit huic arti, et[4] adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem, ut ornatius et uberius dici posset, exercuit. 12. Deinde[5] eum qui secuti sunt Peripatetici[6] etiam haec ipsa, quae propria oratorum putantur esse adiumenta atque ornamenta dicendi, ab se peti vincunt oportere; ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros, scripsisse ostendunt. Nostra[7] autem memoria Philo, quem nos frequenter audivimus, instituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum. Ad quam consuetudinem a familiaribus nostris adducti, in Tusculano saepe, quod datum est temporis nobis, in eo consumpsimus.

VI. 13. Quamquam[8] non sumus ignari, multos studiose contra nos dicturos; quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus. Etenim si orationes, quas nos multitudinis iudicio probari volebamus (popularis est enim illa facultas, et effectus eloquentiae est audientium approbatio); sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil lauda-

[1]) Tusc. II. c. 3. § 9. — [2]) de Finib. B. et M. V. c. 3. § 7. — [3]) de Invent. I. c. 5. § 7. — [4]) Orator c. 14. § 46. — [5]) Tusc. II. c. c. 3. § 9. — [6]) de Orat. I. c. 10. § 43. — [7]) Tusc. II. c. 3. § 9. — [8]) Ibid. c. 1. § 3.

rent, nisi quod se imitari posse confiderent, quemque sperandi sibi, eumdem bene dicendi finem proponerent, et, quum obruerentur copia sententiarum atque verborum, ieiunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam dicerent; unde erat exortum genus Atticorum, iis ipsis, qui id sequi se profitebantur, ignotum; qui iam conticuere, paene ab ipso foro irrisi; quid futurum putamus, quum adiutore populo, quo utebamur antea, nunc minime nos uti posse videamus? 14. Est enim philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta et invisa: ut vel, si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit; vel, si in eam, quam nos maxime sequimur, conetur invadere, magna habere possit auxilia a reliquorum philosophorum disciplinis. Nos autem universae philosophiae vituperatoribus respondimus in Hortensio; pro Academia autem quae dicenda essent, satis accurate in Academicis quattuor libris explicata arbitramur: sed tamen tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. In ipsa enim Graecia philosophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset.

VII. 15. Quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et perferant in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua maiores nostri tratulerunt. Atque oratorum quidem laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut iam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat brevique tempore ad nihilum ventura videatur: philosophia nascatur Latinis quidem litteris ex his temporibus, eam-

que nos adiuvemus; nosque ipsos redargui refellique patiamur. Quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut, etiam quae non probare soleant, ea cogantur constantiae caussa defendere: nos, qui sequimur probabilia, nec ultra quam id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus. 16. Nec[1] tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophentur, ii nihil habeant, quod sequantur. Dictum est omnino hac de re alio loco diligentius: sed, quia nimis indociles quidam tardique sunt, admonendi videntur saepius. Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi et assentiendi nota. Ex quo exsistit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quemdam insignem et illustrem, iis sapientis vita regeretur.

VIII. 17. Quod[2] si haec studia traducta erunt ad nostros, ne bibliothecis quidem Graecis egebimus; in quibus multitudo infinita librorum propter eorum est multitudinem, qui scripserunt. Eadem enim dicuntur a multis; ex quo libris omnia referserunt. Quod accidet etiam nostris, si ad haec studia plures confluxerint. Sed eos, si possumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita etiam disserendi elegantia, ratione et via philosophantur. Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini sane multi libri: quos

[1]) de N. D. I. c. 5. § 12. — [2]) Tusc. II. c. 2. § 6.

non contemno equidem, quippe quos numquam legerim; sed, quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte, neque distribute, neque eleganter, neque ornate scribere, lectionem sine ulla delectatione negligo. 18. Quid enim dicant et quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. Quamobrem, quoniam, quemadmodum dicant, ipsi non laborant, cur legendi sint, nisi ipsi inter se, qui idem sentiunt, non intelligo. Nam, ut Platonem reliquosque Socraticos et deinceps eos, qui ab his profecti sunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non approbant aut non studiosissime consectantur; Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit; sic hos Latinos ii soli legunt, qui illa recte dici putant. Nobis autem videtur, quidquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere. Nec, si id ipsi minus consequi possumus, idcirco minus id ita faciendum esse sentimus.

IX. 19. Non[1] eram nescius, quum, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, ea Latinis litteris mandaremus, fore, ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Nam quibusdam, et iis quidem non admodum indoctis, totum hoc displicet philosophari. Quidam autem non id tam reprehendunt, si remissius agatur: sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Erunt etiam, et hi quidem eruditi Graecis litteris, contemnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere. Postremo aliquos futuros suspicor, qui me ad alias litteras vocent; genus hoc scribendi, etsi sit ele-

[1]) de Finib. B. et M. I. c. 1. § 1.

gans, personae tamen et dignitatis esse negent. 20. Contra quos omnes dicendum breviter existimo. Quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis reponsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, quum esset accusata et vituperata ab Hortensio. Qui liber quum probatus videretur iis, quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi, veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quamdam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non potest: ut propemodum iustioribus utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam his, qui rebus infinitis modum constituant, in reque eo meliore, quo maior sit, mediocritatem desiderent. 21. Sive enim ad sapientiam perveniri potest; non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est. Sive hoc difficile est; tamen nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris; et quaerendi defatigatio turpis est, quum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. Etenim si delectamur, quum scribimus; quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? Sin laboramus, quis est, qui alienae modum statuat industriae? Nam, ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult

fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique;

non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret; sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.

X. 22. His igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere: in quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, quum iidem fabellas Latinas, ad

verbum de Graecis expressas, non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiiciat; qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat? Synephebos ego, inquit, potius Caecilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? 23. A quibus tantum dissentio, ut, quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem; de quo Licinius:

Ferreum scriptorem: verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit.

Rudem enim esse omnino in nostris poetis, aut inertissimae segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. An,

Utinam ne in nemore, — — —

nihilominus legimus, quam hoc idem Graecum? Quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? 24. Quod si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis, quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus; quid habent, cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta sint, neque sint conversa de Graecis? Nam si dicent, ab illis has res esse tractatas, ne ipsos quidem Graecos est cur tam multos legant, quam legendi sunt. Quid enim est a Chrysippo praetermissum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium, multos alios, in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid? Theophrastus mediocriterne delectat, quum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? Quid? Epicurei num desistunt de iisdem, de quibus et ab Epicuro scriptum est et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Graeci leguntur a Graecis, iisdem de rebus alia ratione compositis; quid est,

cur nostri a nostris non legantur? 25. Quamquam si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas; male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem! Sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet. Sed [1] ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quaedam et horrida, de male Graecis Latine scripta deterius. Quibus ego assentior, dummodo de iisdem rebus ne Graecos quidem legendos putent. Res vero bonas verbis electis graviter ornateque dictas quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici velit: ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius.

XI. 26. Ego [2] vero, quem forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a populo Romano locatus sum: debeo profecto, quantumcumque possim, in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei, nec cum istis tanto opere pugnare, qui Graeca legere malint; modo legant illa ipsa, nec simulent; et iis servire, qui vel utrisque litteris uti velint, vel, si suas habent, illas non magno opere desiderent. Ergo [3] quaerenti mihi multumque et diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermittere rem consulere reipublicae, quum [4] omnem nostram de republica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem caussarum abiecissem, nulla [5] res maior

[1]) Ibid. c. 3. § 8. — [2]) Ibid. c. 4. § 10. — [3]) de Divinat. II. c. 1. § 1. — [4]) Epist. ad Pactum (ad Fam. IX. 20. § 1.) — [5]) de Divinat. II. c. 1. § 1.

occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus. Quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. Nam et cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius, et, quod genus philosophandi minime arrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur, quattuor Academicis libris ostendimus. 27. Qui[1] autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e nostris, et scribentur fortasse plura, si vita suppetet: et tamen, qui diligenter haec, quae de philosophia litteris mandamus, legere assueverit, iudicabit nulla ad legendum his esse potiora. Ego[2] autem necesse mihi quidem esse arbitror philosophari: nam quid possum, praesertim nihil agens, agere melius? Quid[3] est enim, per deos! optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur; nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae. Cuius studium qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio quaeritur animi requiesque curarum, quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiae virtutisque ducitur, aut haec ars est aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, quum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis, ubi ea quaeretur, quum ab hoc discendi

---

[1]) de Finib. B. et M. I. c. 4. § 11. — [2]) Tusc. II. c. 1. § 1. — [3]) de Offic. II. c. 2. § 5.

genere discesseris? Sed haec, quum ad philosophiam cohortamur, accuratius disputari solent: quod in Hortensio fecimus.

XII. 28. Academicam[1] autem omnem quaestionem quattuor libris absolvi: nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra. Et[2] hanc quidem ἀκαδημικὴν σύνταξιν totam ad Varronem traduximus. Feci[3] igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, quum esset una Pomponius, Varroni dedi partes Antiochinas, quas ab ipso probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsi Philonis. Primo[4] haec Academica cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram: sic[5] enim constitueram, neminem includere in dialogos eorum, qui viverent. Sed[6] sane in personas non cadebant. Erant enim λογικώτερα, quam ut illi de iis somniasse umquam viderentur. Deinde[7], quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus nota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in iis rebus ἀτριψία, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque tratuli. 29. Ecce autem Attici litterae de Varrone: quibus[8] scribit et desiderari a Varrone, et magni illum aestimare. Commotus[9] hisce litteris, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, tratulique ad nostrum sodalem, et ex duobus libris contuli in quattuor. Grandiores sunt omnino, quam erant illi; sed tamen multa detracta. Libri quidem ita exierunt (nisi forte me communis φιλαυτία decipit), ut in tali genere ne apud Graecos quidem simile quidquam. In[10] eis, quae erant contra ἀκαταλήψίαν praeclare collecta ab Antiocho,

---

[1] ad Att. XIII. 19. § 3. — [2]) Ibid. XIII. 16. § 2. — [3]) Epist. ad Varron. (ad Fam. IX. 8. § 1.) — [4]) ad Att. XIII. 19. 5. — [5]) Ibid. § 3. [6]) Ibid. § 5. — [7]) Ibid. XIII. 16. § 1. — [8]) Ibid. XIII. 19. § 3. — [9]) Ibid. XIII. 13. § 1. — [10]) Ibid. XIII. 19. § 3.

Varroni dedi: ad ea ipse respondeo: Atticus est tertius in sermone nostro.

XIII. 30. Quumque[1] fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut, quid a quoque, et quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. Quid[2] est enim in vita tanto opere quaerendum, quam quum omnia in philosophia, tum id, quod his libris quaeritur, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? quid sequatur natura, ut summum ex rebus expetendis? quid fugiat, ut extremum malorum? Qua de re quum sit inter doctissimos summa dissensio, quis alienum putet eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuit, quid in omni munere vitae optimum et verissimum sit, exquirere? 31. Qui[3] autem de summo bono dissentit, de tota philosophiae ratione dissentit. Hoc[4] autem constituto in philosophia, constituta sunt omnia. Nam ceteris in rebus sive praetermissum, sive ignoratum est quippiam, non plus incommodi est, quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut, quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, quum intelligitur, quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa et vitae via est conformatioque omnium officiorum. Nos[5] igitur hanc omnem quaestionem de Finibus bonorum et malorum fere a nobis explicatam esse his libris arbitramur, in quibus, quantum potuimus, non modo quid nobis

[1]) de Divinat. II. c. 1. § 2. — [2]) de Finib. B. et M. I. c. 4. § 11. — [3]) Ibid. V. c. 5. § 14. — [4]) Ibid. c. 6. § 15. — [5]) Ibid. I. c. 4. § 12.

probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, persecuti sumus. 32. Sunt[1] autem haec de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae. Primum simplices quattuor: Nihil bonum, nisi honestum, ut Stoici: Nihil bonum, nisi voluptatem, ut Epicurus: Nihil bonum, nisi vacuitatem doloris, ut Hieronymus: Nihil bonum, nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat. Haec igitur simplicia: illa mixta. Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici secus: voluptatem cum honestate Dinomachus et Callipho copulavit, indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit. Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant: nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli nonnullorumque aliorum evanuerunt.

XIV. 33. Quae[2] autem his libris scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικά M. Pisoni darem. Ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quod omnes illi decesserant. At[3] vereor interdum, ne talium personarum, quum amplificare velim, minuam etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Graecas non ament litteras: plures, qui philosophiam: reliqui, etiamsi haec non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putant. Ego autem, quum Graecas litteras M. Catonem in senectute didicisse acceperim, P. autem Africani, historiae loquan-

---

[1]) Tusc. V. c. 30. § 84. — [2]) ad Att. XIII. 19. § 4. — [3]) Acad. pr. II. c. 2. § 5.

tur, in legatione illa nobili, quam ante censuram obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse; nec litterarum Graecarum, nec philosophiae iam ullum auctorem requiro. 34. Restat, ut iis respondeam, qui sermonibus eiusmodi nolint personas tam graves illigari. Quasi vero clarorum virorum aut tacitos congressus esse oporteat, aut ludicros sermones, aut rerum colloquia leviorum. Etenim, si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est: nec quidquam aliud videndum est nobis, quos populus Romanus hoc in gradu collocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus. Quod si, quum fungi munere debeamus, non modo operam nostram numquam a populari coetu removemus, sed ne litteram quidem ullam facimus, nisi forensem: quis reprehendet nostrum otium, qui in eo non modo nosmetipsos hebescere et languescere nolumus, sed, ut plurimis prosimus, enitimur? Gloriam vero non modo non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populares illustresque laudes has etiam minus notas minusque pervulgatas adiungimus. Sunt etiam, qui negent, in his, qui in nostris libris disputent, fuisse earum rerum, de quibus disputatur, scientiam: qui mihi videntur non solum vivis, sed etiam mortuis invidere.

XV. 35. Totidem[1] subsecuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt; quibus[2] libris exposita sunt ea, quae a nobis cum familiaribus nostris in Tusculano erant disputata. Hanc[3] enim perfectam philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere:

[1]) de Divinat. II. c. 1. § 2. — [2]) Tusc. III. c. 3. § 6. — [3]) Tusc. I. c. 4. § 7.

in quam exercitationem ita nos studiose dedimus, ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus: ut nuper in Tusculano, quum essent complures mecum familiares, tentavi, quid in eo genere possem. Ut enim antea declamitabam caussas, quod nemo me diutius fecit; sic haec mihi nunc senilis erat declamatio. Ponere iubebam, de quo quis audire vellet: ad id aut sedens aut ambulans disputabam. Itaque dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat autem ita, ut, quum is, qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, tum ego contra dicerem. Haec est enim vetus et Socratica ratio contra alterius opinionem disserendi. Nam ita facillime, quid veri simillimum esset, inveniri posse Socrates arbitrabatur. Sed quo commodius disputationes nostrae explicarentur, sic eas exposui, quasi ageretur res, non quasi narraretur. 36. Primus[1] liber est de contemnenda morte; secundus de toleranda dolore; de aegritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus. Scire[2] autem nos oportet, cognitis, quoad possunt ab homine cognosci, bonorum et malorum finibus, nihil a philosophia posse aut maius aut utilius optari, quam haec, quae a nobis isto quatriduo disputata sunt. Morte enim contempta et dolore ad patiendum levato, adiunximus sedationem aegritudinis: qua nullum homini malum maius est. Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est nec multum differt ab amentia, tamen ceteros, quum sunt in aliqua perturbatione aut metus aut laetitiae aut cupiditatis, commotos modo et perturbatos dicere solemus: at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros, afflictos, aerumnosos, calamitosos. Itaque non fortuito factum videbitur, sed ratione

[1]) de Divin. II. c. 1. § 2. — [2]) Tusc. IV. c. 38. § 82.

propositum, ut separatim de aegritudine et de ceteris perturbationibus disputaremus: in ea est enim fons miseriarum et caput. Sed et aegritudinis et reliquorum animi morborum una sanatio est, omnes opinabiles esse et voluntarios, ea reque suscipi, quod ita rectum esse videatur. Hunc errorem, quasi radicem malorum omnium, stirpitus philosophia se extracturam pollicetur. Demus igitur nos huic excolendos, patiamurque nos sanari. His enim malis liberatis, non modo beati, sed ne sani quidem esse possumus. 37. Quintus[4] denique liber eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. Quod, etsi difficile est probatu, propter tam varia et tam multa tormenta fortunae, tale tamen est, ut elaborandum sit, quo facilius probetur. Nihil est enim omnium, quae in philosophia tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur. Nam, quum ea causa impulerit eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, ut, omnibus rebus posthabitis, totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent, profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam operamque posuerunt.

XVI. 38. Quibus[3] editis v libris, tres libri perfecti sunt de Natura Deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur. Dictum[4] igitur est, quid de religione, pietate, sanctitate, caerimoniis, fide, iureiurando, quid de templis, delubris sacrificiisque solemnibus, quid de ipsis auspiciis, quibus nos praesumus, existimandum sit. Haec enim omnia ad hanc de diis immortalibus quaestionem referenda sunt. Cuius[5] quaestionis quadripartita fuit divisio:

---

[1]) de Divinat. II. c. 1. § 2. — [2]) Tusc. V. c. 1. § 1. — [3]) de Divinat. II. c. 1. § 3. — [4]) de Nat. Deor. I. c. 6. § 14. — [5]) Ibid. III. c. 3. § 6.

primum, ut vellem docere, deos esse; deinde, quales essent; tum, ab his mundum regi; postremo, consulere eos rebus humanis. 39. Est [1] autem haec perdifficilis et perobscura quaestio de natura deorum: quae et ad cognitionem animi pulcherrima est et ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, causam, id est principium, philosophiae, esse inscientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. Quid est enim temeritate turpius? aut quid tam temerarium tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut, quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere? Velut in hac quaestione plerique (quod maxime verisimile est, et quo omnes duce natura vehimur) deos esse dixerunt: dubitare se Protagoras: nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur, deque his summa philosophorum dissensione certatur: quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent, an contra ab iis et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, in primis magna dissensio est: eaque nisi diiudicetur, in summo errore necesse est homines atque in maximarum rerum ignoratione versari. 40. Sunt enim philosophi et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent hu-

[1]) Ibid. I. c. 1. § 1.

manarum rerum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? Haec enim omnia pure ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab iis, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos iuvare neque volunt, nec omnino curant, nec, quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab iis ad hominum vitam permanare possit; quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul et sanctitatem et religionem tolli necesse est; quibus sublatis, perturbatio vitae sequitur et magna confusio. Atque haud scio an, pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur. 41. Sunt autem alii philosophi, et hi quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant: neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitae hominum consuli et provideri: nam et fruges, et reliqua, quae terra pariat, et tempestates ac temporum varietates caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a diis immortalibus tribui generi humano putant; multaque, quae dicuntur in his libris, colligunt, quae talia sunt, ut ea ipsa dii immortales ad usum hominum fabricati paene videantur. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. Res enim nulla est, de qua tanto opere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. Quorum opiniones quum tam variae sint tamque inter se dissidentes; alterum fieri profecto potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit.

XVII. 42. Et [1] ut plene esset cumulateque perfecta quaestio de natura Deorum, item de Divinatione ingressi sumus scribere. Vetus [2] opinio est, iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi Romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, id est praesensionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quidem res et salutaris, si modo est ulla: quaque proxime ad deorum vim natura mortalis possit accedere. Itaque ut alia nos melius multa quam Graeci, sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. 43. Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbaram, quae non significari futura et a quibusdam intelligi praedicique posse censeat. Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum caelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum observitaverunt: quibus notatis, quid quoque significaretur, memoriae prodiderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. Eamdem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur. Cilicum autem et Pisidarum gens et his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus avium cantibusque, ut certissimis signis, declarari res futuras putant. Quam vero Graecia coloniam misit in

[1]) de Divinat. II. c. 1. § 3. — [2]) Ibid. I. c. 1. § 1.

Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio aut Dodonaeo aut Ammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est? 44. Nec unum genus est divinationis publice privatimque celebratum. Nam, ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera complexus est! Principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato Urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Deinde auguribus et reliqui reges usi, et exactis regibus nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur. Quumque magna vis videretur esse et in impetriendis consulendisque rebus, et in monstris interpretandis ac procurandis in haruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur. Et, quum duobus modis animi sine ratione et scientia motu ipsi suo soluto et libero incitarentur, uno furente, altero somniante, furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt: ex quo genere saepe hariolorum etiam et vatum furibundas praedictiones, ut Octaviano bello Cornelii Gulleoli, audiendas putaverunt. Nec vero somnia graviora, si quae ad rempublicam pertinere visa sunt, a summo consilio neglecta sunt. Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitae L. Iulius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Caeciliae, Balearici filiae, somnio. 45. Atque haec, ut ego arbitror, veteres rerum magis eventis moniti, quam ratione docti probaverunt. Philosophorum vero exquisita quaedam argumenta, cur esset vera divinatio, collecta sunt: e quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes, praeter Epicurum, balbutientem

de natura deorum, divinationem probaverunt; sed non uno modo. Nam quum Socrates omnesque Socratici Zenoque et hi, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, vetere Academia et Peripateticis consentientibus; quumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisset, qui etiam ipse augur vellet esse, plurimisque locis gravis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum comprobaret; Dicaearchus Peripateticus cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit. Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera reiecit. 46. Sed quum Stoici omnia fere illa defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset, et ea Cleanthes paullo uberiora fecisset; accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somniis: quem subsequens, unum librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor; duo Antipater; quinque noster Posidonius. Sed a Stoicis vel princeps eius disciplinae, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panaetius: nec tamen ausus est negare, vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re, invitissimis Stoicis, Stoico facere licuit, id nos ut in reliquis rebus faciamus, a Stoicis non concedetur? praesertim quum id, de quo Panaetio non liquet, reliquis eiusdem disciplinae solis luce videatur clarius. 47. Sed haec quidem laus Academiae praestantissimi philosophi iudicio et testimonio comprobata est. Etenim nobismetipsis quaerentibus, quid esset de divinatione iudicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata essent, verentibusque, ne temere vel falsae rei vel non sa-

tis cognitae assentiremur, faciendum videbatur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis compararemus, ut fecimus in his tribus libris, quos de Natura Deorum scripsimus. Nam quum omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est, tum in eo loco maxime, in quo iudicandum est, quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus. Est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut, susceptis, anili superstitione obligemur.

XVIII. 48. Quod[1] autem in illis libris feci, qui sunt de Natura Deorum, itemque in iis, quos de Divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur, id in disputatione de Fato, casus quidam, ne facerem, impedivit. Nam quum essem in Puteolano Hirtiusque noster, consul designatus, iisdem in locis, vir nobis amicissimus et iis studiis, in quibus nos a pueritia viximus, deditus; multum una eramus, maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quae ad pacem et ad concordiam civium pertinerent. Quum enim omnes post interitum Caesaris novarum perturbationum caussae quaeri viderentur, hisque esse occurrendum putaremus; omnis fere nostra in iis deliberationibus consumebatur oratio; idque et saepe alias, et quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab interventoribus die, quum ille ad me venisset, primo illa, quae erant quotidiana et quasi legitima nobis, de pace et de otio. 49. Quibus actis,

» Quid ergo? inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philo-

[1]) de Fato c. 1. § 1.

sophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire? Tu vero, inquam, vel audire vel dicere. Nec enim (id quod recte existimas) oratoria illa studia deserui; quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum acceperam; nec ea, quae nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam facultatem. Nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur, et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriusque studii nostra possessio est, hodie, utro frui malis, optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, et tuorum omnium simile: nihil enim unquam abnuit meo studio voluntas tua. Sed quoniam rhetorica mihi vestra sunt nota, teque in iis et audivimus saepe et audiemus, atque hanc Academicorum contra propositam disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanae disputationes; ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, velo. An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Sed ita audies, ut Romanum hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo intervallo haec studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego, quae scripsisti."

50. Proinde orsus sum disputationem de Fato; quam[1] quum illis, quos dixi, adiunxissem libris de Natura Deorum et de Divinatione, erat abunde satisfactum toti huic quaestioni. Fatum[2] autem id appello, quod Graeci εἱμαρμένην, id est ordinem seriemque causarum, quum causa causae nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Quod quum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo

[1]) de Divinat. II. c. 1. § 3. — [2]) Ibid. I. c. 55. § 125.

nihil est futurum, cuius non caussas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, caussa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et, quae sequuntur, futura sint. Ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamque caussam plerumque consequatur, etiam si non semper. Nam id quidem affirmare difficile est. Easdemque caussas verisimile est rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas, aut in quiete videant. 51. Praeterea quum fato omnia fiunt, si quis mortalis possit esse, qui colligationem causparum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallat. Qui enim teneat caussas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quae futura sint. Quod quum nemo facere, nisi deus, possit, relinquendum est homini, ut signis quibusdam, consequentia declarantibus, futura praesentiat. Non enim illa, quae futura sunt, subito exsistunt; sed est quasi rudentis explicatio, sic tractio temporis nihil novi efficientis et primum quidque replicantis. Quod et ii vident, quibus naturalis divinatio data est, et ii, quibus cursus rerum observando notatus est: qui etsi caussas ipsas non cernunt, signa tamen caussarum et notas cernunt; ad quas, adhibita memoria et diligentia, ex monumentis superiorum efficitur ea divinatio, quae artificiosa dicitur, extorum, fulgurum, ostentorum signorumque caelestium. 52. Non est igitur, ut mirandum sit, ea praesentiri a divinantibus, quae nusquam sint. Sunt enim omnia, sed tempore absunt. Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis progignuntur; sic in caussis conditae sunt res futurae, quas esse futuras aut concitata mens aut soluta somno cernit, aut ratio aut coniectura praesentit. Atque ut ii, qui solis et lunae reliquo-

rumque siderum ortus, obitus motusque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum sit, multo ante praedicunt: sic, qui cursum rerum, eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt, aut semper aut, si id difficile est, plerumque, — quod si ne id quidem conceditur, nonnumquam certe, quid futurum sit, intelligunt. Atque haec quidem et quaedam huiusmodi argumenta, cur sit divinatio, ducuntur a fato.

XIX. 53. Atque[1] his libris adnumerandi sunt sex de Republica, quos tunc scripsimus, quum gubernacula reipublicae tenebamus: in[2] quibus de moribus institutisque maiorum et disciplina ac temperatione civitatis locuti sumus. Magnus[3] locus, philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime: quos[4] ego existimo, etiam si qui ipsi rempublicam non gesserint, tamen, quoniam de republica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo reipublicae munere. Neque enim est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas aut conservare iam conditas. 54. Quibus de rebus, quoniam nobis contigit, ut iidem et in gerenda republica aliquid essemus memoria dignum consecuti, et in explicandis rationibus rerum civilium quamdam facultatem, non modo usu, sed etiam studio discendi et doctrina essemus adepti; quum superiores alii fuissent in disputationibus perpoliti, quorum res gestae nullae invenirentur; alii in gerendo probabiles, in disserendo rudes. Nec vero nostra quaedam instituenda fuit nova et a nobis inventa

---

[1]) de Divinat. II. c. 1. § 3. — [2]) Tusc. IV. c. 1. § 1. — [3]) de Divinat II. c. 1. § 3. — [4]) de Rep. I. c. 7. § 12.

ratio, sed unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria fuit, quae mihi quondam adolescentulo a P. Rutilio Rufo, Zmyrnae quum essem complures dies, exposita est. Nam quum P. Africanus, Pauli filius, feriis Latinis Tuditano cos. et Aquillio constituisset in hortis esse, quasi[1] praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, quum et Philus et Manilius adessent cum Rutilio, et alii plures, et Scaevola etiam cum Laelio venisset, triduum disseruit de republica. In[2] qua disputatione nihil fere, quod magno opere ad rationes omnium rerum pertineret, praetermissum puto. 55. Cuius[3] disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum: quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat Scipio, quum[4] in Africam venisset M' Manilio consuli ad quartam legionem tribunus militum, et Masinissam convenisset, regem familiae suae iustis de caussis amicissimum. Neque[5] enim iis assentiebatur Scipio, qui haec nuper disserere coeperant, cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri. Plus apud eum antiquorum auctoritas valebat, — vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; — vel eorum, qui in hac terra fuerunt magnamque Graeciam, quae nunc quidem deleta est, tunc florebat, institutis et praeceptis suis erudierunt; — vel eius, qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus, qui non tum hoc, tum illud, ut plerique, sed idem dicebat semper, *Animos hominum esse divinos, iisque, quum e corpore excessissent, reditum in caelum patere optimoque et iustissimo cuique expeditissimum.* Quod item Scipioni videbatur.

---

[1]) de Amic. c. 4. § 14. — [2]) de Rep. I. c. 8. § 13. — [3]) de Amic. c. 4. § 14. — [4]) Somnium Scipionis c. 1. § 1. — [5]) de Amic. c. 4. § 13.

XX. 56. Quin[1] etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer. Nam[2] quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur; ceteris item multum illam profuturam puto. Quem[3] librum in medio (non enim sapientes eramus) maerore et dolore conscripsimus: quodque vetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturaeque vim attulimus, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet. Ego[4] autem volebam aliquod emere latibulum et perfugium doloris mei: neque[5] tamen progressus sum longius, quam mihi doctissimi homines concedebant; quorum scripta omnia, quaecumque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta tratuli, quod certe afflicti et fracti animi non fuit. Nihil[6] enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non legerim. 57. Affirmo sane nullam consolationem esse talem. Totos dies scribebam; non quo proficerem quid; sed tantisper impediebar, non equidem satis, (vis enim urgebat) sed relaxabar tamen, omniaque nitebar, non ad animum, sed ad vultum ipsum, si possem, reficiendum: idque faciens, interdum mihi peccare videbar, interdum peccaturus esse, nisi facerem. Quid[7], qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus, efferens filium consularem: qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amissis filiis: qualis M. Cato, praetore designato mortuo filio: quales reliqui, quos in *Consolatione* collegimus.

---

[1]) ad Att. XII. 14. § 3. — [2]) de Divinat. II. c. 1. § 3. — [3]) Tusc. IV. c. 29. § 63. — [4]) ad Att. XII. 13. § 2. — [5]) Ibid. 21. 5. — [6]) Ibid. 14. § 3. — [7]) Tusc. III. c. 28. §. 70.

XXI. 58. Interiectus[1] est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de Senectute misimus. In primisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. Cuius[2] libri confectio mihi quidem ita iucunda fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et iucundam senectutem. Etenim[3], quum contemplor animo, reperio quattuor caussas, cur senectus misera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte. Earum caussarum quanta quamque sit iusta una quaeque, explicuit Catonis sermo. Omnem[4] enim sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius; parum enim esset auctoritatis in fabula: sed M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatem haberet oratio; apud quem Laelium et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem. 59. Quod si autem Cato eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito Graecis litteris, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute; qui,[5] quia multarum rerum usum habebat: — multa eius et in senatu et in foro vel provisa prudenter vel acta constanter vel responsa acute ferebantur: — propterea quasi cognomen iam habebat in senectute *Sapientis*. Qui[6] annos quinque et octoginta natus excessit e vita, quum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset: quam[7] orationem in Origines suas retulit, paucis antequam mortuus est, diebus, an mensibus. Graecas[8] autem, ut

---

[1]) de Divinat. II. c. 1. § 3. — [2]) de Senect. c. 1. § 2. — [3]) Ibid. c. 5. § 15. — [4]) Ibid. c. 1. § 3. — [5]) de Amic. c. 2. § 6. — [6]) Brut. c. 20. § 80. — [7]) Ibid. c. 23. § 89. — [8]) de Senect. c. 8. § 26.

dixi, litteras senex didicit; quas tamen sic avide arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa sibi nota essent, quibus ipsum in hoc libro exemplis uti videtis.

XXII. 60. Quum[1] autem saepe mecum ageret Atticus, ut de Amicitia scriberem aliquid, digna mihi res quum omnium cognitione, tum nostra familiaritate visa est. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis rogatu Attici. Sed, ut in *Catone Maiore*, qui est scriptus de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius, qui et diutissime senex fuisset, et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset: sic, quum accepissemus a patribus, maxime memorabilem C. Laelii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laelii persona visa est, quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminissem aliquando audire e Scaevola. 61. Etenim[2] quum saepe multa, tum memini hunc, domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, quum et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem incidere, qui tum fere omnibus erat in ore: quum enim P. Sulpicius, tribunus plebis, capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quocum coniunctissime et amantissime vixerat, quanta hominum erat vel admiratio vel querela! Itaque tum Scaevola, quum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laelii de amicitia, habitum ab illo secum et cum altero genero C. Fannio, M. F., paucis diebus post mortem Africani. Eius disputationis sententias memoriae mandavi; quas hoc libro exposui arbitratu meo: quasi enim ipsos induxi loquentes, ne *inquam* et *inquit* saepius interponere-

[1]) de Amic. c. 1. § 4. — [2]) Ibid. § 2.

tur, atque ut tamquam a praesentibus coram haberi sermo videretur. Quod[1] in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis, et nos in sex de Republica libris fecimus. 62. Genus[2] autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate et eorum illustrium, plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis. Itaque ipse mea legens sic afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui existimem. Sed, ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: hic Laelius, et sapiens, (sic enim est habitus) et amicitiae gloria excellens, de amicitia loquitur. Ex[3] Scaevola enim, qui multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem, saepe[4] audivi, quum is diceret, Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum rus ex urbe tamquam e vinculis evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solebat narrare Scaevola, conchas eos et umbilicos ad Caietam et ad Laurentum legere consuesse et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. Quamquam[5] hoc fuit in amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut militiae propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coleret Laelius; domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio.

XXIII. 63. De[6] maximis autem rebus quum nihil fere intermitterem nec disputare nec scribere, duo[7] etiam a no-

[1]) ad Att. XIII. 19. § 4. — [2]) de Amic. c. 1. § 4. — [3]) Ibid. §. 1. — [4]) de Orat. II. c. 6. § 22. — [5]) de Rep. I. c. 12. § 18. — [6]) Tusc. III. c. 3. § 6. — [7]) de Offic. II. c. 9. § 31.

bis scripti sunt de Gloria libri, quandoquidem ea in rebus maioribus administrandis adiuvat plurimum; siquidem [1] gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. Quae [2] etiam ratio ac magnitudo animorum in maioribus nostris fuit, ut, quum in privatis rebus suisque sumptibus, minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Quaeritur enim in re domestica continentiae laus, in publica dignitatis. 64. Quod [3] si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce cursum vitae conficere possemus, haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur; ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi, dein magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. 65. Accedunt etiam poetae; qui quum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus. Quum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus atque omnis undique ad vitia

---

[1]) pro Marcello c. 8. § 26. — [2]) pro Flacco c. 12. § 28. — [3]) Tusc. III. c. 1. § 2.

consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate a naturaque desciscimus: ut nobis optimam magistram invidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt. Ad quam fertur optimus quisque; veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime inquirit, in summa inanitate versatur, consectaturque nullam eminentem effigiem, sed adumbratam imaginem gloriae. 66. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute: ea virtuti resonat tamquam imago. Quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem, quae se eius imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis simulatione honestatis formam eius pulchritudinemque corrumpit. Qua caecitate homines, quum quaedam etiam praeclara cuperent, eaque nescirent nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atque hi quidem, optima petentes, non tam voluntate, quam cursus errore falluntur. Sed [1] id alias: nunc, quod instat.

XXIV. 67. Quumque [2] Aristoteles, itemque Theophrastus, excellentes viri quum subtilitate tum copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxerint, nostri quoque oratorii libri in eumdem numerum referendi videntur. Ita tres erunt *de Oratore*, quartus *Brutus*, quintus *Orator*. Quibus [3] libris adnumeranda sunt Topica Aristotelea [4], quae ad C. Trebatium misimus; quem [5] virum

[1]) Tusc. III. c. 5. § 10. — [2]) de Divinat. II. c. 1. § 4. — [3]) Ibid. § 3. — [4]) Epist. ad Trebatium (ad Fam. VII. 19.) — [5]) Ibid. VII. 14. § 2.

valde amamus, nosque ab eo amari quum volumus, tum etiam confidimus: quum[1] enim se ex adolescentia sua in amicitiam et fidem meam contulisset, semper ipsum non modo tuendum mihi, sed etiam augendum atque ornandum putavi. 68. Maiores[2] autem nos res scribere ingressos et iis libris, quos brevi tempore satis multos edidimus, digniores e cursu ipso revocavit Trebatii voluntas. Quum enim mecum in Tusculano esset et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidit in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus continuo a me eorum librorum sententiam requisivit; quumque ipsi exposuissem disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via perveniremus ab Aristotele inventa, illis libris contineri; verecunde hic quidem, ut omnia, sed tamen, facile ut cernerem ipsum ardere studio, mecum, ut sibi illam traderem, egit. 69. Quem quum ego, non tam vitandi laboris mei caussa, quam quod id ipsius interesse arbitrarer, vel ut eos per se ipse legeret vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperet, hortatus essem, utrumque, ut ex ipso audiebam, est expertus. Sed a libris ipsum obscuritas reiecit. Rhetor autem ille magnus haec, ut opinor, Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minime sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoraretur. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam quum copia, tum etiam suavitate. 70. Non potui igitur

[1]) Ibid. VII. 17. § 2. — [2]) Topic. c. 1. § 1.

Trebatio saepius hoc roganti et tamen verenti, ne mihi gravis esset, (facile enim id cernebam) debere diutius, ne ipsi iuris interpreti fieri videretur iniuria. Etenim quum is mihi meisque multa saepe scripsisset, veritus sum, ne, si ego gravarer, aut ingratum id aut superbum videretur. Sed, dum fuimus una, ipse optimus est testis, quam fuerim occupatus; ut autem ab eo discessi, in Graeciam proficiscens, quum opera mea nec respublica nec amici aterentur, nec honeste inter arma versari possem, ne si tuto id quidem mihi liceret, ut veni Veliam, admonitus huius aeris alieni nolui deesse ne tacitae quidem flagitationi. Itaque haec, quum mecum libros non haberem, memoria repetita in ipsa navigatione conscripsi Trebatioque ex itinere misi.

XXV. 71. Adhuc[1] haec erant. Ad reliqua alacri tendebamus animo; sic parati, ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullam philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis litteris illustratus pateret. Quod enim munus reipublicae afferre maius meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus iuventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. Qua re[2] quum statuissem scribere ad filium aliquid hoc tempore, et multa posthac, ab eo ordiri volui maxime, quod et eius aetati esset aptissimum et auctoritati meae. Nam quum multa sint in philosophia et gravia et utilia accurate copioseque a philosophis disputata, latissime patere videntur ea, quae de Officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si

---

[1]) de Divinat. II. c. 2. § 4. — [2]) de Offic. I. c. 2. § 4.

cum altero contrahas, vacare officio potest; in eoque colendo sita vitae est honestas omnis, et in negligendo turpitudo. 72. Atque haec quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere? Sed sunt nonnullae disciplinae, quae propositis bonorum et malorum finibus officium omne pervertant. Nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute coniunctum, idque suis commodis, non honestate metitur, hic, si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec iustitiam, nec liberalitatem: fortis vero, dolorem summum malum iudicans, aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, tamen sunt a nobis alio loco disputata. Hae disciplinae igitur si sibi consentaneae esse velint, de officio nihil queant dicere: neque ulla officii praecepta firma, stabilia, coniuncta naturae tradi possunt, nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. 73. Ita propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum: quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli iam pridem explosa sententia est; qui tamen haberent ius suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad officii inventionem aditus esset. Sequimur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes; sed, ut solemus, e fontibus eorum, iudicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videtur, haurimus. In[1] quibus Panaetius est, qui sine controversia de officiis accuratissime disputi-

[1]) de Offic. III. c. 2. § 7.

tavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus. 74. Triplex[1] autem est, ut Panaetio videtur, consilii capiendi deliberatio. Nam, honestumne factu sit an turpe, dubitant, id quod in deliberationem cadit: in quo considerando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem aut anquirunt aut consultant, ad vitae commoditatem iucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint iuvare et suos, conducat id, nec ne, de quo deliberant: quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, quum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse utile. Quum enim utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit, ut distrahatur in deliberando animus afferatque ancipitem curam cogitandi. 75. Hac divisione, quum praeterire aliquid maximum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt. Nec enim solum, utrum honestum an turpe sit, deliberari solet, sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius; itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Primum est igitur de honesto, sed dupliciter; tum pari ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum.

XXVI. 76. Et[2] hi quidem libri nostri complures non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitaverunt. Nec[3] vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in repu-

[1]) de Offic. I. c. 3. § 9. — [2]) Ibid. II. c. 1. § 2. — [3]) de Divinat. II. c. 2. § 5.

blica late patere poterit industria. Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei, qui iam aetate provecti in nostris libris acquiescunt; quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitatur: quos quidem plures, quam rebar, esse cognovi. Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant. Quod assequar profecto, si instituta perfecero. 77. Et[1] tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere: quae[2] quidem, tantum abest, ut proinde, ac de hominum est vita merita, laudetur, ut, a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur. Qua[3] quidem in caussa et benevolos obiurgatores placare et invidos vituperatores confutare possumus, ut alteros reprehendisse poeniteat, alteri didicisse se gaudeant. Nam qui admonent amice, docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi. Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures brevi tempore edidimus, variumque sermonem partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis subito studium exstitisset, partim, quid quaque de re certi haberemus, scire cupientium. Multis etiam sensi mirabile videri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet et quasi noctem quamdam rebus offunderet, desertaeque disciplinae, et iam pridem relictae, patrocinium nec opinatum a nobis esse susceptum.

XXVII. 78. Nos autem nec subito coepimus philosophari, nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus, et, quum minime vide-

[1]) de Offic. II. c. 1. § 2. — [2]) Tusc. V. c. 2. § 6. — [3]) de N. D. I. c. 3. § 5.

bamur, tum maxime philosophabamur; quod et orationes declarant, refertae philosophorum sententiis, et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. Et, si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit. 79. Sed[1] dum me ambitio, dum honores, dum caussae, dum reipublicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat, haec inclusa habebam; et, ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo. Nunc vero, et fortunae gravissimo percussus vulnere, et administratione reipublicae liberatus, doloris medicinam a philosophia peto, et otii oblectationem hanc honestissimam iudico. Aut enim huic aetati hoc maxime aptum est; aut iis rebus, si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum; aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius; aut, si haec ita non sunt, nihil aliud video, quod agere possimus. 80. Si[2] quis igitur requirit, quae caussa nos impulerit, ut haec tam sero litteris mandaremus, nihil est, quod expedire tam facile possimus. Nam quum otio langueremus, et is esset reipublicae status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset; primum ipsius reipublicae caussa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque praeclaras Latinis etiam litteris contineri. Eoque me minus instituti mei poenitet, quod facile sentio, quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commoverim;

---

[1]) Academ. Poster. I. c. 3. § 11. — [2]) de N. D. I. c. 4. § 7.

complures enim, Graecis institutionibus eruditi, ea, quae didicerant, cum civibus suis communicare non poterant, quod illa, quae a Graecis accepissent, Latine dici posse diffiderent. Quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur. 81. Hortata est etiam, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo, fortunae magna et gravi commota iniuria; cuius si maiorem aliquam levationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. Ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui, quam si me non modo ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. Omnes autem eius partes atque omnia membra tum facillime noscuntur, quum totae quaestiones scribendo explicantur: Est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter se aptae colligataeque videantur.

XXVIII. 82. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt, quam necesse est. Non enim tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, *Ipse dixit: ipse* autem erat Pythagoras. Tantum opinio praeiudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. 83. Sed [1] defendat quod quisque sentit: sunt

[1]) Tusc. IV. c. 4. § 7.

enim iudicia libera: nos institutum tenebimus, nulliusque unius disciplinae legibus astricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus. Quod[1] quum proprium sit Academiae, iudicium suum nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre caussas et, quid in quamque sententiam dici possit, expromere; nulla adhibita sua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum ac liberum; tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam, eaque nos quam saepissime utemur. Quod[2] quum saepe alias, tum nuper in Tusculano studiose egimus.

XXIX. 84. Qui[3] autem mirantur, nos hanc potissimum disciplinam secutos, his[4] vellem satis cognita esset nostra sententia! Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat umquam, quid sequatur. Quae enim esset ista mens, vel quae vita potius, non modo disputandi, sed vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes alia probabilia, contra alia, dicimus. Quid est igitur, quod me impediat, ea, quae probabilia mihi videantur, sequi, quae contra, improbare, atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex utraque parte caussarum esset facta contentio. 85. Neque[5] nostrae disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut, in utramque partem dicendo, eliciant et tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat. Neque inter nos et eos, qui se scire arbitrantur, quidquam interest,

[1]) de Divinat. II. c. 72. § 150. — [2]) Tusc. IV. c. 4. § 7. — [3]) de N. D. I. c. 5. § 11. — [4]) de Offic. II. c. 2. § 7. — [5]) Acad. Prior. II. c. 3. § 7.

nisi quod illi non dubitant, quin ea vera sint, quae defendunt: nos probabilia multa habemus, quae sequi facile, affirmare vix possumus. Hoc autem liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est iudicandi potestas; nec, ut omnia, quae praescripta et quasi imperata sint, defendamus, necessitate ulla cogimur. Nam ceteri primum ante tenentur astricti, quam, quid esset optimum, iudicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore aetatis aut obsecuti amico cuipiam, aut una alicuius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, et, ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tamquam ad saxum, adhaerescunt. Sed [1] haec explanata sunt in *Academicis* nostris satis, ut opinor, diligenter.

XXX. 86. Nec [2] vero desertarum derelictarumque rerum patrocinium suscepimus. Non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant: ut haec in philosophia ratio contra omnia disserendi nullamque rem aperte iudicandi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade, usque ad nostram viguit aetatem; quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Graecia intelligo. Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. Nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto maius omnes? quod facere iis necesse est, quibus propositum est veri reperiendi caussa et contra omnes philosophos et pro omnibus dicere. 87. Quod [3] si ea, quae dixi, non ita essent, quis tamen se tam durum agrestemque praeberet, qui hanc mihi non daret veniam, ut, quum meae forenses artes et actiones

---

[1]) de Offic. II. c. 2. § 8. — [2]) de Nat. Deor. I. c. 5. §. 11. — [3]) Orator c. 43. § 148.

publicae concidissent, non me aut desidiae, quod facere non possum, aut maestitiae, cui resisto, potius quam litteris dederem? quae quidem me antea in iudicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi. Quis[1] reprehendet nostrum otium, qui in eo non modo nosmetipsos hebescere et languere nolumus, sed, ut plurimis prosimus, enitimur? Nec[2] enim me sane hoc quidem tempore movet respublica; non quo aut sit mihi quidquam carius aut esse debeat; sed desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam.

XXXI. 88. Sed[3] iam, ut omni me invidia liberem, dicam[4], ut res est. Ego[5] quidem, quamdiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam. Quum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendae reipublicae, summos viros, amisissem; nec me angoribus dedidi, quibus eram confectus, nisi iis restitissem; nec rursum indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam respublica stetisset, quo coeperat, statu, nec in homines non tam commutandarum rerum, quam evertendarum cupidos, incidisset! Primum enim, ut stante republica facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operae poneremus: deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut saepe fecimus. 89. Quum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino; illae scilicet litterae conticuerunt, forenses et senatoriae. Nihil agere

---

[1]) Acad. Prior. II. c. 2. § 6. — [2]) ad Att. XVI. 15. § 5. — [3]) de N. D. I. c. 6. § 13. — [4]) Acad. Post. I. c. 3. § 11. — [5]) de Offic. II. c. 1. § 2.

autem quum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Cui quum multum adolescens discendi caussa temporis tribuissem; postea quam honoribus inservire coepi, meque totum reipublicae tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et reipublicae temporibus. Id autem omne consumebatur in legendo; scribendi otium non erat. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea litteris mandaremus, quae nec satis erant nota nostris, et erant cognitione dignissima.

XXXII. 90. Dabunt[1] igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potius habebunt, quod, quum esset in unius potestate respublica, neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus, neque ita porro aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret. Id enim ipsum a Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. Quod quum accidisset nostrae reipublicae, tum pristinis orbati muneribus haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris, qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro reipublicae procuratione substitutam putabamus... In[2] quo quantum ceteris profuturi simus, non facile dixerimus: nostris quidem acerbissimis doloribus variisque et undique circumfusis molestiis alia nulla potuit inveniri le-

[1]) de Divinat. II. c. 2. § 6. — [2]) Tusc. V. c. 41. § 121.

vatio. Est [1] profecto animi medicina philosophia: cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris; omnibusque opibus et viribus, ut nosmetipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. 91. Nostrum [2] autem otium negotii inopia, non requiescendi studio, constitutum est. Exstincto enim senatu deletisque iudiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus? Ita qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam vixerimus, nunc, fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, et saepe soli sumus. Sed, quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni; propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset otium civitati, nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non voluntas.

XXXIII. 92. Equidem [3] et haec et omnia, quae homini accidere possunt, sic fero, ut philosophiae magnam habeam gratiam, quae me non modo ab sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunae impetus armat: idque omnibus censeo faciendum hominibus, nec, a quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Est [4] autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra, neque esse recusandum, quominus ea, qua nati sumus, conditione vivamus, neve tam graviter eos casus feramus, quos

[1]) Tusc. III. c. 3. § 6. — [2]) de Offic. III. c. 1. § 2. — [3]) Epist. ad Cornificium (ad Fam. XII. 23. § 4.) — [4]) Epist. ad Titium (ad Fam. V. 16. § 2.)

nullo consilio vitare possumus, eventisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus. Tota[1] enim philosophorum vita, ut Plato ait, commentatio mortis est. 93. Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est a corpore, quum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, quum a republica, quum a negotio omni sevocamus animum? Quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad seipsum advocamus, secum esse cogimus maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum necquidquam aliud est, quam emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede; disiungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et, dum erimus in terris, erit illi caelesti vitae simile: et, quum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediuntur; ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo quum venerimus, tum denique vivemus. Nam haec quidem vita mors est: quam lamentari possem, si liberet.

XXXIV. 94. Sed[2] mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem vel ad gloriam. Quid[3] enim est, quod mihi iam ad vitae fructum possit acquiri, praesertim quum neque in honore hominum, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quo quidem mihi libeat ascendere? Si[4] iam vocer ad exitum vitae, non ab ea republica avellar, qua carendum esse doleam, praesertim quum id sine ullo sensu futurum sit. Adiuvat etiam aetas et acta iam vita, quae quum cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo

---

[1]) Tusc. I. c. 30. § 74. — [2]) Philipp. I. c. 15. § 38. — [3]) in Catil. III. c. 12. § 28. — [4]) Epist. ad A. Torquatum (ad Fam. VI. 4. § 4.)

vim timere, quo nos iam natura ipsa paene perduxerit. 95. Equidem mihi omnia propono, nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere. Sed quum plus in metuendo mali sit, quam in ipso illo, quod timetur, denique, praesertim quum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit. Mihi[1] vero iam enim optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam; hoc mihi maius a diis immortalibus dari nihil potest: alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur. O praeclarum[2] diem, quum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam! Quo[3] quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam recoxerit. 96. Quod si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem. Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Nam[4], dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur: est enim animus caelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium. Sed credo deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique, caelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitae modo atque constantia.

XXXV. 97. Nec me solum ratio ac disputatio impulit,

[1]) Phil. II. c. 46. § 119. — [2]) de Senect. c. 23. § 84. — [3]) Ibid. § 83. — [4]) Ibid. c. 21. § 77.

ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum philosophorum et auctoritas. Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus. 98. Quae[1] est igitur eius oratio, qua facit eum Plato usum apud iudices, iam morte mulctatum? *Magna me*, inquit, *spes tenet, iudices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim, sit alterum de duobus: ut aut sensus omnino omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem, sive sensus exstinguitur morsque est somno similis est, qui nonnumquam etiam sine visis somniorum placentissimam quietem affert; dii boni! quid lucri est emori? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur; cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior?* 99. *Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt; id multo iam beatius est, ita, quum ab iis, qui se iudicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum; conveniregue eos, qui iuste et cum fide vixerint. Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem afficerer, quum Palamedem, quum Aiacem, quum alios, iudicio iniquo cir-*

[1]) Tusc. I. c. 40. §. 97.

cumventos, convenirem? Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Ulixi Sisyphique prudentiam: nec ob eam rem, quum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem iudices, ii, qui me absolvistis, mortem timueritis. 100. *Nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo nec mortuo: nec umquam eius res a diis immortalibus negligentur. Nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego iis, a quibus accusatus sum aut a quibus condemnatus, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt.* Et haec quidem hoc modo. Nihil autem melius extremo: *Sed tempus est,* inquit, *iam hinc abire me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, dii immortales sciunt: hominem quidem scire arbitror neminem.* Nae ego haud paullo hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicaverunt. Etsi, quod praeter deos negat scire quemquam, id scit ipse, utrum melius sit. Nam dixit ante. Sed suum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum.

XXXVI. 101. Apud [1] Xenophontem autem moriens Cyrus maior haec dicit: *Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, quum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eumdem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; quum exissent ex iis, emori; nec vero, tum animum esse insipientem, quum ex insipienti corpore evasisset; sed quum omni admix-*

1) de Senect. c. 22. § 79.

tione corporis liberatus purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. 102. *Atque etiam, quum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedant; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus, nec quum adest, nec quum discedit, apparet. Iam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam: multa enim, quum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, quum se plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, si haec ita sunt, sic me colitote, ut deum: sin una est interiturus animus cum corpore, vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis.* Cyrus quidem haec moriens. 103. Sed[1] quid ego praestantes viros virtutis et sapientiae gloria commemoro, quum Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tanto opere contempserit, ut, quum ad eam duceretur damnatus ab Ephoris, et esset vultu hilari atque laeto, dixissetque ei quidam inimicus, Contemnisne leges Lycurgi? responderit: Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena mulctaverit, quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere. O virum Sparta dignum! ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse videatur. Tales innumerabiles nostra civitas tulit. Sed quid duces et principes nominem, quum legiones scribat Cato saepe alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur?

XXXVII. 104. Nunc[2] etiam, si placet, videamus, quae illa ratio sit Platonis, quae a Socrate est in Phaedro expli-

[1]) Tusc. I. c 42. § 100. — [2]) Ibid. c. 22. § 53.

cata, a me autem posita est in sexto libro de Republica. *Quod semper movetur, aeternum est: quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod se ipsum movet, quia numquam deseritur a se, numquam se moveri quidem desinit; quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi: principii autem nulla est origo. Nam e principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec a se aliud creabit, siquidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur. Id autem nec nasci potest nec mori: vel concidat omne caelum, omnisque terra consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua primo impulsa moveatur.* 105. *Quum pateat igitur, aeternum id esse, quod se ipsum movet, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo. Quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis. Quae si est una ex omnibus, quae se ipsa semper moveat, neque nata certe est et aeterna est.* Licet concurrant plebeii omnes philosophi (sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur), non modo nihil umquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum, quam subtiliter conclusum sit, intelligent. Sentit igitur animus se moveri: quod quum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri: nec accidere posse, ut ipse umquam a se deseratur. Ex quo efficitur aeternitas. 106. Sed[1] quid

[1]) de Senect. c. 21. § 78.

multa? Sic mihi persuasi, sic sentio, quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: quumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus; et, quum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod iam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Haec quoque Platonis fere: qui [1], ut nullam rationem afferret, (vide, quid homini tribuam) ipsa auctoritate me frangeret; tot autem rationes attulit, ut velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur.

XXXVIII. 107. Quod si [2] in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus, (ut quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem aetatis est peractio, tamquam fabulae: cuius defatigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate. 108. Quid [3] ego nunc lugeam vitam ho-

[1]) Tusc. I. c. 21. § 49. — [2]) de Senect. c. 23. § 85. — [3]) Tusc. I. c. 34. § 83.

minum? Vere et iure possum. Sed quid necesse est, quum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriorem? Fecimus hoc in eo libro, in quo nosmetipsos, quantum potuimus, consolati sumus; quem[1] quum lego, nihil malo, quam has res relinquere. Neque[2] me vixisse poenitet; quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit. Veniet[3] igitur tempus, et quidem celeriter, et sive retractabis sive properabis; volat enim aetas. Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, ut verear, ne homini nihil sit habendum aliud, sed certe nihil bonum aliud potius; si quidem vel dii ipsi, vel cum diis futuri sumus..

XXXIX. 109. Itaque[4] non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus quotidie imminet, propter brevitatem vitae numquam longe potest abesse, quo minus in omne tempus reipublicae suisque consulat et posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Quae[5] mortis contemptio non minimum valet ad animum metu liberandum. Nam qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest: sed qui, non modo quia necesse est mori, verum etiam quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparat. Pellantur[6] ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? Naturae-

[1]) Tusc. I. c. 31. § 76. — [2]) de Senect. c. 23. § 84. — [3]) Tusc. I. c. 31. § 76. — [4]) Ibid. c. 38. § 91. — [5]) Tusc. II. c. 1. § 2. — [6]) Tusc. I. c. 39. § 93.

ne? At ea quidem dedit usuram vitae, tamquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quum vult? Ea enim conditione acceperas. 110. Quae[1] vero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? Nonne

Modo pueros, modo adolescentes, in cursu, a tergo insequens, nec opinantes assecuta est

senectus? Da[2] enim supremum tempus: exspectemus Tartessiorum regis aetatem: fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Quum enim id advenit, tunc illud, quod praeteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis. Horae quidem cedunt et dies et menses et anni: nec praeteritum tempus umquam revertitur, nec, quid sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est; modo, in quocumque fuerit actu, probetur: nec sapienti usque ad *Plaudite* veniendum.

XL. 111. Quamquam[3] quid opus est in hoc philosophari, quum rem non magno opere philosophia egere videamus? Quoties non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus, ad non dubiam mortem concurrerunt! Quae quidem si timeretur, non L. Brutus, arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in praelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos se hostium telis obiecissent; non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Latini Al-

[1]) Ibid. § 94. — [2]) de Senect. c. 19. § 69. — [3]) Tusc. I. c. 37. § 89.

minum? Vere et iure possum. [illegible] enumerare maquum id agam, ne post mor[illegible] videamus optabiles morre, etiam vitam efficere [illegible] vero? tantis in laborihoc in eo libro, in [illegible] vixisset, si nihil longius, quam consolati sumus; qu[illegible] spe atque animo de se et gloria res relinquere. [illegible] quum innumerabiles hostium vixi, ut non [illegible] atque obsidione rempublicam libediscedo, t[illegible] una moritura arbitrabatur. Non Commor[illegible] nostrum in reipublicae periculis di loc[illegible] versatur, quin spe posteritatis fruiter[illegible] virtute ducatur. Itaque quum multis aliis de caussis ta[illegible] mentes divinae mihi atque aeternae vi- rorum bonorum dentur esse, tum maxime, quod optimi et sapientissimi cuiusque animus ita praesentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur. Quapropter et C. Marii et ceterorum virorum sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse. 113. Nemo[3] umquam mihi persuadebit, aut Paullum, aut Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos praestantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores in republica suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset, otiosam aetatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere? Sed, nescio quomodo, animus, erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, quum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod qui-

[1]) Tusc. I. c. 49. § 116. — [2]) pro Rabirio perduell. reo c. 10. § 29. — [3]) de Senect. c. 23. § 82.

dem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud ptimi cuiusque animus maxime ad immortalitatem gloriae eretur. Quid? quod sapientissimus quisque aequissimo imo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne igitur videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre, se ad meliora proficisci: ille autem, cuius obtusior sit acies, non videre?

XLI. 114. Quae[1] quum ita sint, magna tamen eloquentia est utendum, atque ita velut superiore e loco concionandum, ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies non exstinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius? Sin autem perimit ac delet omnino, quid melius, quam in mediis vitae laboribus obdormiscere, et ita conniventem somno consopiri sempiterno? Quod si fiat, melior Ennii, quam Solonis oratio. Hic enim noster,

Nemo me lacrumis decoret, inquit, *nec funera fletu*
faxit.

At vero sapiens ille,

Mors mea ne careat lacrumis: linquamus amicis
maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

115. Nos vero, si quid tale acciderit, ut a deo denuntiatum videatur, ut exeamus e vita, laeti et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia et levari vinculis arbitremur, ut aut in aeternam et plane in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus; sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus; nihilque in malis ducamus, quod sit vel a diis immortalibus vel a

[1]) Tusc. I. c. 49. § 117.

natura parente omnium constitutum. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod, quum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis et perfugium putemus. Quo utinam velis passis pervehi liceat! Sin reflantibus ventis reiiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus necesse est, idne miserum esse uni potest? 116. Quae [1] nobis dies noctesque considerantibus, acuentibusque intelligentiam, quae est mentis acies, caventibusque, ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus, magna spes est, aut si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum, neque molestam exstinctionem, et quasi quietem vitae fore: aut si, ut antiquis philosophis, iisque maximis longeque clarissimis placuit, aeternos animos ac divinos habemus; sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc iis faciliorem ascensum et reditum in caelum fore. Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, quum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paullo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est. — Habes [2] epilogum, ne quid praetermissum aut relictum putes.

---

[1]) Fragm. Hortensii L. II. (in edit. Nobbii p. 1319. n. 24.) — [2]) Tusc. I. c. 49. § 119.

M. TULLII CICERONIS

COMMENTARII

RERUM SUARUM

SIVE

DE VITA SUA.

ACCESSERUNT

ANNALES CICERONIANI

IN QUIBUS AD SUUM QUAEQUE ANNUM REFERUNTUR QUAE IN HIS COMMENTARIIS MEMORANTUR.

UTRUMQUE LIBRUM SCRIPSIT

W. H. D. SURINGAR,

LITT. DR. GYMNASII LUGD. BAT. RECTOR.

PARS ALTERA

QUA CONTINENTUR

Annales.

LEIDAE,

E. J. BRILL,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

1854.

AMICO CARISSIMO

IOANNI HERMANNO OOSTERDYK,

DILIGENTISSIMO OLIM DOCTRINAE CHRISTIANAE INTERPRETI IN PAGO LUNTEREN,
NUNC AUTEM IN ARNHEMIAE SUBURBANO GELDERS SPIKER HONESTISSIME
OTIUM SUUM IN STUDIIS CONSUMENTI

S. P. D.

W. H. D. SURINGAR.

Alteram laboris mei partem ad Te misi, Vir amicissime, ut et nostrae amicitiae testimonium exstet, quam a multis annis inter nos colimus. Doleo enim dudum vel, ut vere ac libere loquar, suppudet me adeo quod adhuc quidem nihil habuerim, quod Tibi pro tuo erga me amore rependerem, plurima quum Tibi debeam equidem, qui duodecima iam aestate partem feriarum mearum Tecum rusticatus sim in villa tua Arnhemiensi, liberalissime a Te invitatus.

Qua in rusticatione, dicendum enim aliquando est, tantum relaxationis percipere soleo et verae voluptatis, quantum vix queo dicere. Quid? Nonne oblectabat me, quum rus ex urbe tamquam e vinculis evolaveram, abiectis curis ad omnem animi remissionem Tecum descendere, quae honesta esset et aetatem nostram deceret? Quamquam enim non inviti nos quidem omnes istos ludos, qui non sunt moris nostri, relinquebamus aliis, nec cantharides nobis sectari et scarabeos nec conchas legere solebamus et umbilicos, ut illi, de quibus Scaevola apud Ciceronem; erant tamen alia quae libenter sequere-

mur. Quam iucunde enim Tecum saepius ipsos dies inambulans per amoenissimum Gelriae tractum vagatus sum, non minus agros bene cultos et fertiles admirans, quam multus in laudanda magnificentia villarum, obstupefactus quoque interdum, quoties de vertice montis aut in valles despicere liceret pronas et opacas, aut in nitentes Rheni ambages per campos viridissimos ludentis! Quam iucunde quoque Tecum, si fatigatis corporibus nonnihil quietis concedi necesse esset,

— nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae,

de quibuslibet rebus amicus cum amico amicissime collocutus sum horasque multas saepe suavissimo sermone consumpsi! Quodsi arbores loqui possent, Hermanne, et sedeculae, testes excitarem praesentes, quanto studio ego Te saepius audiverim memoriter recitantem ex poetis potissimum recentioribus Latinis, quos ita habes cognitos, ut in eo genere litterarum habitare videaris; quanta cupiditate Tu contra arripere visus sis, si quid ego ex antiquis par pari referre conarer et poetam poetae comparare. Earum voluptatum, mihi crede, equidem non facile obliviscar.

Nec vero minus oblectabat me, si, quum et mihi et Tibi libuisset, amicos tuos viseremus, atque adeo nostros, Arnhemiae viventes atque in ea vicinitate: quorum congressionibus mea quidem sententia haud scio an nulla iucundior esse possit oblectatio: neque solum ioco liberali, qui suavissimam requietem affert otiantibus, sed et sermone serio, cuius fructus et late patet et ad omnes partes vitae pertinet. E quorum numero unus nuperrime nobis fatali morte ereptus est, Egerdingius; cuius ego discessum valde Tecum dolui, quoniam non minus mihi, quam

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam Tibi,

qui eum omnium maxime haberes dilectum. Cuius ex desiderio sane vererer ne per omnem vitam tuam vehementius esses

laboraturus, nisi scirem quam alte in tua mente haereat, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quamdam quasi migrationem commutationemque vitae. Perge igitur, quod facis, hunc casum tuum fortiter ferre, et Te ipse, quantum potes, consolare existimans, non longinquum inter vos digressum et discessum fore.

Quoties autem — ut ad propositum redeat oratio — nos quidem soli essemus et inter nos, ut dicitur, viveremus, quando Te unquam vidi voluntati meae non deditum? quando non ultro et opinione mea citius paratum

— *partem solido demere de die,*

non Tibi ut indulgeres, quem scio, si solus sis, vix intermittere studia; sed mihi ut semper gratissimum faceres? Hoc enim ante omnia curare mihi visus es, ut, quacunque mihi maxime placeret ratione, seria iocis temperare possemus et, quidquid in buccam veniret, sublata severitate liceret garrire inter nos sine interpellatoribus. Quid multa? Eos dies sic domi tuae Tecum vivo, opere solutus et quantum fieri potest curis laxatus et negotiis, ut equidem non habeam, ubi per vacationes aestivas maiori cum voluptate otiari possim et iucundius.

Sed valde impudens sim, Hermanne, et turpiter ingratus, si voluptatum meminerim, quae breves esse solent et fluxae, taceam vero de utilitatibus et commodis, quae manent semper et quorum fructum a Te discedens et in urbem ad studia mea rediens mecum referre potui uberrimum. Sed dies me deficiat, si expromere coner, quantum studia mea identidem ex convictu nostro profecerint; et dubito fere dicere, qua ex re plus lucri facere mihi soleam, ex doctrina tua eximia et multiplici scientia, qua parem quem Tibi ponam, habeo neminem: an ex Bibliothecae tuae usu, quae et magnum numerum utilissimorum librorum continet, et eam habet, qua fere laborare videatur, copiam dissertationum, programmatum et id genus li-

bellorum rariorum, quae vulgo Monographiae vocantur: an denique ex tenacissima, qua gaudes, et qua precor diu gaudeas, innumerabilium rerum memoria, quae, non dicam eo adscendit, quo humanam mentem non facile credidissem posse pervenire nisi Te testem haberem, sed quae parum abest quin id assequatur ut se cum ipsa librorum fide exaequet. Quibus rebus factum est ut nunquam a Te discesserim nisi multis partibus doctior et eruditis spoliis onustus. Quae ubi domum redux singula in suum quaeque ordinem disponerem, quae vel ex ore tuo audita vel ex libris tuis et adversariis excerpta annotaveram; quid mirum est si dixero, venisse mihi subinde in mentem coenarum Platonicarum, quae non solum in praesentia sed etiam postero die iucundae esse dicebantur?

Longiorem epistolam facere necesse esset, si omnia vellem enumerare, quae Tibi debeo, Vir amicissime, et quibus me non solum amicitia sed fere cognatione Tibi coniunctum tenes. Quoties enim, ubi iuberes me in Academicorum studiorum memoriam Tecum redire, quod saepissime facis, audivi Te dicentem nihil omnino exoptatius Tibi potuisse accidere, quam si patrem meum habuisses praeceptorem; de cuius viri doctrina, modestia, liberalitate et pietate ita loqui soles ut, qui mihi fuit maxime inter omnes homines amatus, is Tibi facile fuisset secundus a Voorstio tuo, quem non modo praestantissimum studiorum ducem et auspicem, quod multi profitentur, sed alterum parentem Tibi fuisse gratissimo semper animo praedicas. Quo sermone num quid iucundius fieri potest filio memoriam patris pie inviolateque servanti? Qua vero benevolentia vel potius amore vere paterno vidi Te saepius et Lucam meum et Fredericum et vero omnem septenarium filiorum meorum numerum etiam atque etiam complectentem et ad litterarum studia excitantem! Qui haud scio an nullam reperire possint meliorem virtutis disciplinam, quam contemplationem atque imitationem Tui. Quam studiose denique et diligenter Te omnia curare intellexi, quae aut ad me pertinerent, aut ad

eos, qui mihi sunt carissimi! De quibus omnibus rebus scriberem ad Te pluribus verbis, si aut tua humanitas longiorem orationem exspectaret, aut id fieri nostra amicitia pateretur, aut res verba desideraret ac non pro se ipsa loqueretur.

Sed nefas tamen sit nihil omnino dixisse de commercio litterario, quod mihi Tecum intercedere solet iucundissimum; praesertim quod epistolae tuae proxime coniunctae sint cum horum Annalium editione. Mentiar enim si negem et hac in re me multum profecisse, tuis adiutum consiliis. Gratias igitur, quas mens concipere maximas potest, Tibi ago tum quod saepius a me consultus de rebus, quas ignorabam, certiorem me feceris; tum vero quod opportune me monueris ut ad eam rationem hos Annales disponerem, quae nunc mihi apparet multo melior esse, quam qua equidem rem istam conficere mihi proposueram. Ego enim quum cogitassem Annales Ciceronianos, quales a Schützio primum confecti, ab aliis deinde emendati et nuperrime a Nobbio praemissi sunt editioni Ciceronis stereotypae, appendicis loco annectere Commentariis a me fictis, sed nudos illos omni annotationis apparatu, citato tantum ad singula lemmata loco ex Commentariis; Tu mihi ante biennium fere melioris cogitationis initium attulisti. Quum enim et Tibi Annales isti magno opere probarentur viderenturque dignissimi qui commode a me possent repeti, ut Annotationis Chronologicae instar essent iis, qui Commentarios legerent; suasisti tamen simul ut et lemmatum numerum augerem pro ratione eorum, quae in Commentariis narrata essent, et sub singula lemmata subiicerem quum Ciceronis locos, qui in Commentariis non essent adhibiti, tum vero reliquorum veterum scriptorum testimonia: adderem denique etiam ea, quae, quum in Commentariis non potuissent memorari, aegre tamen in vita Ciceronis desiderarentur. Huic igitur consilio obsecutus, feci equidem, quod potui: sed utrum id assecutus sim, quod Tu volebas, iam Tu ipse iudicabis. Quodsi tamen satis Tibi fecerim et labor meus, quod vix sperare au-

deo, etiam aliis harum rerum peritis aliquid bonae frugis continere videatur, omne illud quidquid est aut Tibi debetur, cuius consilium mihi praesto fuit, aut Fischero, cuius *Tabulae Chronologicae* laborem mihi fecerunt faciliorem; quamquam hunc utilissimum librum sero demum nactus sum et quum eo iam pervenissem ut res non nisi ultimam, quod aiunt, manum requirere videretur.

Sed facta mentione eorum, qui bene de hoc libro meriti sunt, grati animi officium a me exigit ut et Bergmannum Tibi commemorem, amicum nostrum communem, et Kiehlium, collegam meum coniunctissimum: uterque enim, quoties a me rogati sunt ut plagularum inspiciendarum molestiam subirent, non solum qui ab operis, sed saepius etiam, qui a me commissi erant, errores correxerunt. Est igitur plane, quod utrique viro doctissimo gratias agam quam maximas.

Iam vero non morabor Te pluribus, mi Oosterdyki; sentio enim me longius provectum esse voluptate Tecum colloquendi. Brevi ergo si complexus ero, quod proposui, finem faciam scribendi. Avebam diu reddere Tibi aliquid, quod responderet beneficiis, quibus me affecisti plurimis. Dolebam vero, nihil me habere, quod Tibi gratum esse posset. Nunc tandem habeo, quod offerre possim, etsi Te indignum sit et nimis exiguum. Accipe tamen, quaeso, quod gratus Tibi offero: et, qua in alios esse soles, eadem in me utere liberalitate, ut magis respicias animum eius qui dedit, quam pretium eius quod Tibi datur.

Vale, Vir amicissime, et perge me amare.

Dat. Kalendis Martiis
CIↃIↃCCCLIV.

ANNALES CICERONIANI

IN QUIBUS AD SUUM QUAEQUE ANNUM REFERUNTUR

QUAE IN HIS COMMENTARIIS MEMORANTUR.

ANNALES CICERONIANI.

ANNUS VITAE CICERONIS I.

a. U. C.	Coss. C. ATILIUS SERRANUS.	a. A. C.
648.	Q. SERVILIUS CAEPIO.	106.

(1) M. Tullius Cicero a. d. III. Nonas Ianuarias [= 3 Ianuar.] nascitur. I. c. 9. 23. VII. c. 47. 123.

Gellius XV. c. 28. 3. *Q. Caepione et C. Serrano consulibus ante diem tertium Nonas Ianuarias M. Cicero natus est.* Plutarch. Cic. c. 2. 1. *Τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν — ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων Καλανδῶν, ἣν ἤ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος.*

(2) Patrem habuit M. Tullium Ciceronem, virum prudentissimum, I. c. 12. 31. equitem Romanum, I. c. 13. 37. matrem Helviam, matronam nobilem. I. c. 12. 31. Origo autem gentis Tulliae incerta est. I. c. 10. 25. c. 13. 36. II. c. 34. 91.

Velleius II. c. 34. 3. *M. Cicero — omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 81. *M. Tullius Cicero, genere Arpinas, patre equite Romano natus, genus a Tullo Attio rege duxit.* Silius Ital. VIII. 406. *Tullius aeratas raptabat in agmina turmas, Regia progenies, et Tullo sanguis ab alto.* XII. 175. *Clarum Volscorum Tulli decus.* Hieronym. in Euseb. Chron. *Olymp.* 168, 3. [rectius: Ol. 168, 2 med.] *Cicero Arpini nascitur matre Helvia, patre equestris ordinis ex regio Volscorum genere.* Cic. pro Caelio c. 2. 4. *Equitis autem Romani esse filium (Caelium), criminis loco poni ab accusatoribus neque his (equitibus) iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis.* Id. Tusc. I. c. 16. 38. *Pherecydes Syrius — antiquus sane; fuit enim meo regnante gentili (Servio Tullio).* Plutarch. Cic. c. 1. 1. *Κικέρωνος δὲ τὴν μὲν μητέρα λέγουσιν Ἑλβίαν καὶ γεγονέναι καλῶς καὶ βεβιωκέναι, περὶ δὲ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἦν πυθέσθαι μέτριον. Οἱ μὲν γὰρ ἐν πνοφαίῳ τινὶ καὶ γενέσθαι καὶ τρα-*

φῆναι τὸν ἄνδρα λέγομεν, οἱ δ' εἰς Τύλλον Ἄττιον ἀνάγουσι τὴν ἀρχὴν τοῦ γένους, βασιλεύσαντα λαμπρῶς ἐν Οὐολούσκοις καὶ πολεμήσαντα Ῥωμαίοις οὐκ ἀδυνάτως. Calenus ap. Dionem XLVI. c. 4. 2. Οὐ γάρ που καὶ ὁ πατὴρ αὐτῷ κναφεὺς, ὁ τὰς τε σταφυλὰς καὶ τὰς ἐλαίας ἀεί ποτε ἐργολαβῶν, ἢ γένος ἢ πλοῦτον κατέλιπεν, ἄνθρωπος ἀγαπητῶς ἔκ τε τούτων καὶ ἐκ τῶν πλυνῶν διατρεφόμενος, καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ νύκτα τῶν αἰσχίστων ἀναπιμπλάμενος. — c. 5. 3. πάνυ γὰρ πάντα τὰ προσήκοντα ἀκριβῶς ἐν τῷ κναφείῳ μεμάθηκεν — .

(3) Patria Ciceronis fuit Arpinum, I. c. 10. 25. II. c. 4. 10. municipium Latii (h. *Castellaccio*), in confinio Samnii, in colle excelso, ad Fibrenum fluvium (h. *Fiume della Posta*), qui per Arpinatem Ciceronis fundum ferebatur et praecipitabat in Lirem (h. *Garigliano*). I. c. 10. 27.

Cic. ad Brutum (ad Fam. XIII. 11. 1.) *Non dubito, quin scias, non salutem cuius municipii sim, sed etiam quam diligenter soleam meos municipes, Arpinates, tueri.* Id. Fragm. Orat. in Clod. et Curion. c. 4. *Primum homo durus ac priscus invectus est in eos, qui mense Aprili apud Baias essent et aquis calidis uterentur. — Quid homini, inquit, Arpinati cum Baiis, agresti ac rustico?* Schol. Bob. in Orat. pro Sulla p. 368. *Notissimum est autem fuisse Ciceronem natione Vulscum Arpino municipio.* Iuvenal. VIII. 236. *Sed vigilat consul —. Hic novus Arpinas, ignobilis, et modo Romae Municipalis eques galeatum ponit ubique Praesidium attonitis* cet. Cic. ad Q. fr. III. 1. 1. *Ego ex magnis caloribus (non enim meminimus maiores) in Arpinati summa cum amoenitate fluminis me refeci ludorum diebus* [a. U. C. 700.]. Silius Ital. VIII. 400. *At qui Fibreno miscentem flumina Lirim Sulfureum, tacitisque vadis ad littora lapsum, Accolit Arpinas* cet. Conf. Aurel. Victor l. c. Hieronym. in Euseb. Chron. l. c.

(4) Municeps igitur quum esset Cicero et equitis filius, multi, qui eius virtutibus invidebant, peregrinitatis et humilitatis infamiam ipsi concinnare studuerunt. I. c. 11. 28. c. 13. 36.

Cic. pro Sulla c. 7. 22. *At hic etiam, id quod tibi necesse minime fuit, (Torquate), facetus esse voluisti, quum Tarquinium et Numam, et me tertium peregrinum regem esse dixisti.* — c. 8. 24. *Ac, si tibi nos peregrini videmur, quarum iam et nomen et honos inveteravit et huic*

urbi et hominum famae ac sermonibus; quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri necesse erit, qui iam ex tota Italia delecti, tecum de honore et de omni dignitate contendunt. Schol. Bob. ad eum locum p. 363. *Novitatem Ciceronis multi quidem per illa tempora contumeliis agitare voluerunt, ut Catilina et Clodius et ipse, quamvis collega fuerit, C. Antonius. Cuius virtutibus obtrectare non poterant, eius humilitatem natalium maledica insectatione carpebant. Notissimum est autem fuisse Ciceronem natione Vulscum Arpino municipio, unde illi quaedam peregrinitatis ab invisoribus concinnabatur infamia. Nec in praesentis caussae iudicio Torquatus pepercerat, facta mentione regum peregrinorum Tarquinii et Numae.* Cic. pro Planc. c. 24. 59. *Quaeriti, (Cassi), utrum mihi putarem, equitis Romani filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari.* Id. de Harusp. resp. c. 8. 17. *Vidi enim hesterno die quendam murmurantem: quem aiebant negare, ferre me posse, quia, quum ab hoc eodem impurissimo parricida (Clodio) rogarer, cuius essem civitatis, respondi, me, probantibus et vobis et equitibus Romanis, eius esse, quae carere me non potuisset.* Id. Phil. III. c. 6. 15. *Videte, quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, id est, omnes plane. Quotus enim quisque nostrum non est?* Sallust. Cat. c. 31. *Sed ubi ille (Cicero) assedit, Catilina — voce supplici postulare, Patres conscripti ne quid de se temere crederent; — ne existumarent, sibi patricio homini — perdita republica opus esse, quum eam servaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romae.* Appian. B. C. II. c. 2. 2. *Κατιλίνας δ' αὐτὸν ἐς ὕβριν τῶν ἐλομένων ἐπέσκωπτεν, ἐς μὲν ἀγνωσίαν γένους, καινὸν ὀνομάζων· (καλοῦσι δ' οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων, γνωρίμους·) ἐς δὲ ξενίαν τῆς πόλεως, Ἰγκουιλῖνον, ᾧ ῥήματι καλοῦσιν τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις.*

(5) Eodem autem municipio quod ortus erat C. Marius, is qui septies consul fuit, magno id sibi ducit honori. I. c. 11. 28. IV. c. 30. 76. V. c. 36. 93.

Valer. Maxim. II. c. 2. 3. *Conspicuae felicitatis Arpinum municipium, sive litterarum gloriosissimum contemptorem* [Marium], *sive abundantissimum fontem* [Ciceronem] *intueri licet.* Conf. VI. c. 9. 14. Sallust. Iug. c. 63. *Is (C. Marius) natus et omnem pueritiam Arpini altus.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 67. *C. Marius, septies consul, Arpinas —.* Plinius H. N. XXXIII. c. 11. 53. *C. Marius — ille arator Arpinas et manipularis Imperator.* Iuvenal. VIII. 245. *Arpinas alius Volscorum in monte solebat Poscere mercedes alieno lassus aratro —: Hic tamen et Cimbros*

et summa pericula rerum Excipit cet. Conf. Sidon. Apollin. c. 11. 231. Plutarch. Mar. c. 3. 1. *Ὀψέ ποτε πόλιν εἶδε καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει διατριβῶν ἐγεύσατο, τὸν δὲ ἄλλον χρόνον ἐν κώμῃ Κερραιάτων τῆς Ἀρπίνης διαιτᾶτο εἶχε —.*

(6) Pridie Kal. Octob. [= 29 Sept.] natus Cn. Pompeius Magnus, quem Cicero per totam vitam plurimi fecit. II. c. 24. 64 sqq. III. c. 29. 89. V. c. 14. 36. c. 21. 53. VI. c. 5. 9. VII. c. 41. 108. VII. c. 47. 121. VIII. c. 3. 5. c. 20. 49. c. 35. 95. IX. c. 3. 8.

Velleius II. c. 53. 3. *C. Atilio et Q. Servilio consulibus.* Plinius H. N. XXXVII. 2. 6. *Pridie Kalend. Octob. die natalis sui.* Hieronym. in Euseb. Chron. *Olymp.* 166, 3 [= a. C. 106]. *Cn. Pompeius Magnus oritur.* Error est in iis, quae leguntur apud Euseb. Arm. ed. Mai. Rom. 1833. *Olymp.* 169, 1. *Anno* 1912 [= a. C. $10\frac{4}{5}$ = U. C. $65\frac{2}{5}$] *Cn. Pompeius M. oritur.* Cic. Brut. c. 68. 239. *Meus autem aequalis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset.* Conf. ad a. 706. 4.

(7) Iudicia, quae ex lege Sempronia (a. 631. lata) penes equestrem ordinem erant, Q. Servilius Caepio senatoribus restituit lege lata, quam L. Licinius Crassus suasit, summis tum laudibus ornans senatum. I. c. 9. 23.

Cassiodorus: *Q. Servilius et C. Atilius Serranus. His coss. per Servilium Caepionem consulem iudicia equitibus et senatoribus communicata.* Obsequens c. 101. *Q. Servilio Caepione, Atilio Serrano coss. Per Caepionem consulem senatorum et equitum iudicia communicata.* Tacitus Ann. XII. c. 60. *Claudius (procuratoribus suis) omne ius tradidit, — quum Sempronii rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursum Serviliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent.* [v. ad a. 673. 2. et 684. 1.] Cic. pro Cluent. c. 51. 140. *(L. Crassus) in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem* [a. 636.] *ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit, in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVIII. 4. p. 293.

(8) Hoc anno, ut videtur, P. Licinius Crassus, quum cognomine dives, tum copiis, functus est aedilicio maximo munere. II. c. 22. 60.

ANNUS VITAE CICERONIS II.

a. U. C.	Coss. P. RUTILIUS RUFUS.	a. A. C.
649.	CN. MALLIUS MAXIMUS.	105.

In petitione consulatus Cn. Mallium, hominem ignobilem, populus Romanus praetulit Q. Catulo, summa in familia nato: qua re apparet hoc anno non minus fallacem comitiorum rationem fuisse quam fuerat a. 638. quo Q. Fabius Maximus Eburnus praelatus est M. Scauro, homini gravissimo. II. c. 35. 97.

Cic. pro Planc. c. 5. 12. *Semper se dicet rogari voluisse (populus): — praeposuisse se Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, non dico C. Serranum, stultissimum hominem (fuit enim tamen nobilis), non C. Fimbriam, novum hominem (fuit enim et animi satis magni et consilii), sed Cn. Mallium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida.*

ANNUS VITAE CICERONIS III.

a. U. C.	Coss. C. MARIUS II.	a. A. C.
650.	C. FLAVIUS FIMBRIA.	104.

C. Fimbria, novus homo, sed animi satis magni et consilii, non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendit, ut ad summos honores perveniret. I. c. 13. 37.

Cic. pro Planc. l. c. Brut. c. 34. 129. *C. Fimbria — habitus est sane, ut ita dicam, truculentus, asper, maledicus, genere toto paullo fervidior atque commotior, diligentia tamen et virtute animi atque vita bonus auctor in senatu. Idem tolerabilis patronus nec rudis in iure civili, et quum virtute, tum etiam ipso orationis genere liber: cuius orationes*

pueri legebamus, quas iam reperire vix possumus. Cf. ibid. c. 66. 233. de Orat. II. c. 22. 91. de Off. III. c. 19. 77.

ANNUS VITAE CICERONIS IV.

a. U. C.	Coss. C. MARIUS III.	a. A. C.
651.	L. AURELIUS ORESTES.	103.

(1) L. Tullius Cicero, patruus M. Ciceronis, cum M. Antonio oratore in Ciliciam proficiscitur, quam hic ex praetura gesta provinciam habuit iure proconsulari. I. c. 15. 32. c. 16. 47.

Livius Epit. 68. *M. Antonius praetor in Ciliciam maritimos praedones consecutus est.* Cic. de Orat. I. c. 18. 82. (Antonius loquitur) *Quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus: sed, quum quotidie mecum haberem homines doctissimos — quumque hoc nescio quomodo apud eos increbruisset, me in causis maioribus — solere versari, pro se quisque ut poterat de officio et ratione oratoris disputabat.*

(2) L. Licinius Crassus et Q. Mucius Scaevola magnificentissima aedilitate funguntur. II. 22. c. 60.

Cic. in Verr. Act. II. L. IV. c. 59. 133. *L. Crasso, Q. Scaevolae — potentissimis hominibus, quorum aedilitates ornatissimas vidimus.* Plinius H. N. VIII. c. 16. 20. *Leonum simul plurium pugnam Romae princeps dedit Q. Scaevola P. filius in curuli aedilitate.* Idem XVII. c. 1. *Ac ne quis vilem de cetero Crassi domum — iudicet, iam columnas quattuor Hymettii marmoris, aedilitatis gratia ad scenam ornandam advectas, in atrio eius domus statuerat, quum in publico nondum essent ullae marmoreae.*

(3) T. Albucius ex Sardinia redux, quam propraetor obtinuerat a. 649. repetundarum postulatur a C. Iulio Caesare Strabone, qui ad caussam accessit a Sardis rogatus; negata nominis deferendi potestate Cn. Pompeio Straboni, qui Albucii quaestor fuerat. II. c. 9. 25. VI. c. 15. 36.

Cic. in Pison. c. 38. 92. *Albucius, quum in Sardinia triumphasset,*

Romae damnatus est. Id. pro Scauro c. 2. 40. *Damnatus est T. Albucius — ex Sardinia, nonnullis etiam laudantibus Sardis.* Sueton. Caes. c. 55. *Genus eloquentiae dumtaxat adolescens adhuc Straboni Caesarii secutus videtur: cuius etiam ex oratione, quae inscribitur Pro Sardis, ad verbum nonnulla transtulit in Divinationem suam.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LIV. 1. p. 331.

ANNUS VITAE CICERONIS V.

a. U. C.	Coss. C. MARIUS IV.	a. A. C.
652.	Q. LUTATIUS CATULUS.	102.

(1) Alter consulum, non litteris sed rebus gestis eruditus, durior fuit ad studia; alter quum rebus gestis tum humanitate, sapientia et litterarum scientia excelluit. I. c. 17. 53 sq.

Schol. Bob. ad Orat. pro Archia p. 355. *C. Marium Iugurthinum, qui ad consulatum septimum provectus est, non ignoramus a doctrinae studiis alienum, et sola rei militaris scientia floruisse; Q. vero Catulum non mediocriter litteris liberalibus informatum.* Cic. pro Font. c. 15. 43. *Recordamini — fuisse — C. Marium, P. Didium — non litteris homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditos.* Sallust. Iug. c. 85. 31. (Marius loquitur) *Non sunt composita verba mea: parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque litteras Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant. At ille multo optuma reipublicae doctus eram: hostem ferire, praesidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam; hiemem et aestatem iuxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam et laborem tolerare.* Plutarch. Mar. c. 2. 2. Ἀνδρώδης φύσει καὶ πολεμικὸς γενόμενος καὶ στρατιωτικῆς μᾶλλον ἢ πολιτικῆς παιδείας μεταλαβὼν ἄκρατον ἐν ταῖς ἐξουσίαις τὸν θυμὸν ἔσχε. Λέγεται δὲ μήτε γράμματα μαθεῖν Ἑλληνικὰ μήτε γλώττῃ πρὸς μηδὲν Ἑλληνίδι χρῆσθαι τῶν σπουδῆς ἐχομένων, ὡς γελοῖον γράμματα μανθάνειν ὧν οἱ διδάσκαλοι δουλεύοιεν ἑτέροις. Cic. de Orat. II. c. 7. 28. *Catulus accessit; cui non solum nos Latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere.* Ibid. III. c. 8. 29. *Quid iucundius auribus nostris umquam accidit oratione Catuli? quae*

est pura sic, ut Latine loqui paene solus videatur, sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos. Quid multa? istum audiens equidem sic iudicare soleo, quidquid aut addideris aut mutaveris aut detraxeris, vitiosius et deterius futurum. Id. Brut. c. 35. 133. *Fuit igitur in Catulo sermo Latinus; quae laus dicendi non mediocris ab oratoribus plerisque neglecta est. — Nec habitus est tamen — Catulus princeps in numero patronorum; sed erat talis, ut, quum quosdam audires, qui tum erant praestantes, videretur esse inferior: quum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres.* Conf. pro Murena c. 17. 36. pro Plancio c. 5. 12. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLIV. p. 270.

(2) His coss. Archias poeta, Antiochia ortus, Romam venit, qui Cimbricum bellum et Mithridaticum versibus persecutus est: quo deinde Cicero primis pueritiae annis usus est litterarum doctore. I. c. 17. 51 sqq.

Schol. Bob. ad Orat. pro Archia p. 353. *A. Licinius Archias se studiis poeticis dedidit et adprime, ut videbatur, excelluit in hoc genere litterarum.* Quintil. X. c. 7. 18. *Sicut in cogitatione praecipimus, ita facilitatem extemporalem a parvis initiis paullatim perducemus ad summam: — quum hanc felicitatem non prosa modo multi sint consecuti, sed etiam carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias.* Quae supersunt Archiae carmina, leguntur in Anthol. Graec. T. II. ed. Iacobsii, et in libro: *M. T. Ciceronis Oratio pro A. L. Archia, poeta, cum carminibus Archiae Graece et Latine. Praemissa est Epistola Critica de eo quod Archiae personam et ingenium spectat; studio* H. C. F. Hülsemann. *Lemgoviae* 1800. 8°.

(3) Hoc anno aut superiore, item Arpini, natus esse videtur Q. Cicero, Marci frater; quocum hic ut plurimum in omni vita familiarissime vixit. I. c. 10. 25. c. 12. 33. c. 16. 47. c. 37. 116. II. c. 34. 91. V. c. 8. 16. VII. c. 5. 12. VIII. c. 11. 24. (IX. c. 8. 22.)

Praeter Commentarium de petitione consulatus (v. ad a. 690. 1.), hic Cicero multa scripsit poemata, quorum tamen fere nihil superest.

Cic. ad Att. I. 17. 2. *Quanta sit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus et ad accipiendam et ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere.*

IX. 6. 4. *Quintus quidem frater, quidquid mihi placeret* [a. U. C. 705.], *id rectum se putare aiebat, id animo aequissimo ferebat.* X. 11. 1. *Quae de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil ὑπουλον, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quo velis, uno sermone possis perducere. Ne multa: omnes suos, etiam quibus irascitur crebrius, tamen caros habet, me quidem se ipso cariorem.* — Schol. Bob. ad Orat. pro Archia p. 354. *Q. Tullius non solum epici, verum etiam tragici carminis scriptor.* Cic. ad Q. fr. III. 4. 4. *De versibus, quos tibi a me scribi vis, deest mihi quidem opera, quae non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat; sed abest etiam ἐνθουσιασμός* —. *Simul et illud (sine ulla mehercule ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi.* Ibid. 6. 4. *Quod me de faciendis versibus rogas, incredibile est, mi frater, quam egeam tempore: nec sane satis commoveor animo ad ea, quae vis, canenda. Ὑποθέσεις vero ad ea, quae ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu, qui omnes isto eloquendi et exprimendi genere superasti, a me petis?* — *Quattuor tragoedias* XVI *diebus absolvisse quum scribas, tu quidquam ab alio mutuaris? et πλέος quaeris, quum Electram et Troadem scripseris?* — Quinti *Commentarius de petitione consulatus* plerumque edi solet cum operibus Marci fratris. In edit. Nobbiana exstat p. 1363—1368. Adiecti sunt *Versus quidam de* XII *signis* (Conf. Anthol. Lat. V. 41. *Burm.* T. II. p. 318 sqq.) et *Epigramma de amore feminarum* (III. 88. T. I. p. 541). — Conf. Guil. Pütz, *de Q. Tullii Ciceronis vita et scriptis.* Marcoduri 1833. 4°. G. Flauti, *Vita di Quinto Tullio Cicerone e nuova traduz. del suo Commentario sul concorso al consolato.* Neapel 1839. 8°. C. H. Blase, *de Q. Tullii Ciceronis Vita.* Bedburgi 1847. 4°.

ANNUS VITAE CICERONIS VI.

a. U. C.	Coss. C. MARIUS V.	a. A. C.
653.	M'. AQUILLIUS.	101.

(1) C. Marius cos. cum Q. Lutatio Catulo procos. a. d. III. Kal. Sext. [= 30 Iulii] citra Alpes in campis, quibus nomen erat Raudiis, influentes in Italiam Cimbrorum copias reprimit. VII. c. 44. 114.

Livius Epit. 68. *Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo pro-*

consule, qui fauces Alpium obsederat, et ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliqueratque, quum, virtute sua expliciti, fugientem proconsulem exercitumque consecuti, in Italiam traiecissent, iunctis eiusdem Catuli et C. Marii exercitibus, praelio victi sunt ab iis: in quo caesa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Velleius II. c. 12. 5. *Quinto (consulatu), citra Alpes in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipse cos. (Marius) et procos. Q. Lutatius Catulus fortunatissima decertavere praelia: caesa aut capta amplius C (millia) hominum.* Plutarch. Mar. c. 26. 6. *μετὰ τροπὰς θέρους τῆς μάχης γενομένης, ἃς ἄγουσι Ῥωμαῖοι πρὸ τριῶν ἡμερῶν τῆς νουμηνίας τοῦ νῦν μὲν Αὐγούστου, τότε δὲ Σεξτιλίου μηνός.* Conf. Orosius V. c. 16. Florus III. c. 3. 11—21. Eutropius V. c. 1. Chr. Cellarius, Dissert. *de Cimbris et Teutonis*, inter Diss. Acad. p. 488. Io. Müller, *Bellum Cimbricum*, Turici 1776. 8°. I. M. Schrant, *de Kimbren en hunne lotgevallen*. Leiden 1850. 8°.

(2) Cuius victoriae quum praecipua gloria cessisset Mario, Catulus librum conscripsit de consulatu et de rebus gestis suis, quo ostenderet non magis Mario quam sibi deberi partem triumphi. I. c. 5. 13.

Vell. II. c. 12. 5. *Hac victoria videtur meruisse Marius, ne eius nati rempublicam poeniteret, ac bona malis repensasse.* c. 22. 4. *Q. Catulus et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus.* Liv. Epit. 68. *Marius, totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit.* Plutarch. Mar. c. 27. 8. *Μάλιστα δὲ οἱ πολλοὶ κτίστην τε Ῥώμης τρίτον ἐκεῖνον ἀνηγόρευον, ὡς οὐχ ἧττονα τοῦ Κελτικοῦ τοῦτον ἀπεωσμένον τὸν κίνδυνον, ἐνθυμούμενοί τε μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν ἕκαστοι κατ' οἶκον ἅμα τοῖς θεοῖς καὶ Μαρίῳ δεῖπνου καὶ λοιβῆς ἀπήρχοντο καὶ θριαμβεύειν μόνον ἠξίουν ἀμφοτέρους τοὺς θριάμβους.* Cf. quae scripsimus in Progr. Scholast. de Romanis Autobiographis (Lugd. Bat. 1846. 4°.) p. 11 sqq.

(3) Idem Catulus de manubiis Cimbricis in Palatio in area Flacciana exstruxit porticum, quam P. Clodius postea [v. ad a. 696. 17.] simul cum Ciceronis domo, adiutore Sext. Clodio ex parte diruit. VI. c. 6. 14. c. 9. 20. c. 12. 27.

Cic. pro Domo sua c. 43. 114. *Tu, Q. Catule, M. Fulvii domum, quum is fratris tui socer fuisset, monumentum tuarum manubiarum esse voluisti, ut eius, qui perniciosa reipublicae consilia cepisset,*

omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. Hoc si quis tibi aedificanti illam porticum diceret, fore tempus, quum is tribunus plebis, qui auctoritatem senatus, iudicium bonorum omnium neglexisset, tuum monumentum, consulibus non modo inspectantibus, verum adiuvantibus, disturbaret, everteret, idque cum eius civis, qui rempublicam ex senatus auctoritate consul defendisset, domo contingeret; nonne responderes, id, nisi everso civitate, accidere non posse? Valer. Max. VI. c. 3. 1. *Flacciana area, quum diu penatibus vacua mansisset, a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est.*

ANNUS VITAE CICERONIS VII.

a. U. C.	Coss. C. MARIUS VI.	a. A. C.
654.	L. VALERIUS FLACCUS.	100.

(1) L. Appuleius Saturninus, adiuvante C. Mario, tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter gessit tribunatum, quam petierat; et, quum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam non iuraverat, diem dixit: qui in exsilium voluntarium Rhodum profectus est. (Liv. Ep. 69.) Cuius de patria discessus molestus omnibus, ipsi ne luctuosus quidem est visus, utpote qui Urbe maluit quam sententia decedere. I. c. 6. 17. c. 7. 19.

Cic. pro Sextio c. 16. 37. *Quid enim simile fuit in Q. Metello? cuius causam etsi omnes boni probabant, tamen neque senatus publice, neque ullus ordo proprie, neque suis decretis Italia tota susceperat. Ad suam enim magis quamdam ille gloriam, quam ad perspicuam salutem reipublicae spectarat, quum unus in legem per vim latam iurare noluerat: denique videbatur ea conditione tam fortis fuisse, ut cum patriae caritate constantiae gloriam commutaret. Erat autem ei res cum exercitu C. Marii invicto: habebat inimicum C. Marium, conservatorem patriae, sextum iam illum consulatum gerentem: res erat cum L. Saturnino, iterum tribuno plebis, vigilante homine, et in causa populari si non moderate, at certe populariter abstinenterque versato. Cessit, ne aut victus a fortibus viris cum dedecore caderet, aut victor multis et fortibus civibus rempublicam orbaret.* Ibid. c. 47. 101. *Q.*

Metellus — *qui, quum florentem hominem in populari ratione, L. Saturninum, censor notasset, quumque insitivum Gracchum contra vim multitudinis incitatae censu prohibuisset, quumque in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat, iurare noluisset, de civitate maluit, quam de sententia demoveri.* Cic. in Pisonem c. 9. 20. *Alia enim causa praestantissimi viri, Q. Metelli, fuit: quem ego civem, meo iudicio, cum deorum immortalium laude coniungo: qui C. illi Mario, fortissimo viro et consuli et sextum consuli, et eius invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit.* Id. pro Plancio c. 36. 89. *Q. Metello laudi datum est, hodieque est et semper erit maximae gloriae; quem — constat, invitissimis viris bonis, cessisse: nec fuisse dubium, quin contentione et armis superior posset esse.* Post red. in sen. c. 10. 25. *Omnes Metellos, praestantissimos cives, — in quibus Numidicum illum, cuius quondam de patria discessus molestus omnibus, ipsi ne luctuosus quidem visus est.* Aur. Victor de Vir. ill. c. 62. *Q. Caecilius Metellus, Numidicus, qui consul* [a. U. C. 645.] *de Iugurtha rege Numidiae triumphavit, censor* [a. U. C. 652.] *Quinctium, qui se Tiberii Gracchi filium mentiebatur, in censum non recepit. Idem in legem Appuleiam per vim latam iurare noluit, quare in exsilium actus, Smyrnae exsulavit.* Id. c. 73. *Lucius Appuleius Saturninus, tribunus plebis seditiosus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, ut veteranis centena agri iugera in Africa dividerentur; — aqua et igni interdixit ei, qui in leges suas non iurasset. Huic legi multis nobilibus obrogantibus quum tonuisset, clamavit: Iam, inquit, nisi quiescitis, grandinabit. Metellus Numidicus exsulare quam iurare maluit.* Florus III. c. 16. 1. *Appuleius Saturninus Gracchanas asserere leges non destitit. — Quum tot tantisque ludibriis exsultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, ut senatum quoque cogeret in verba iurare; quum abnuentibus aqua et igni interdicturum se minaretur. Unus tamen exstitit, qui mallet exsilium.* Valer. Max. III. c. 8. 4. *Metellus Numidicus — quum animadverteret, quo tenderent Saturnini tribuni plebis funesti conatus, quantoque malo reipublicae, nisi his occurreretur, erupturi essent, in exsilium, quam in legem eius, ire maluit.* Appian. B. C. I. c. 29. *Ἐξηλάθη δὲ καὶ Μέτελλος ὑπ' αὐτῶν, προσλαβόντων Γάϊον Μάριον, ἕκτην ἄρχοντα ὑπατείαν, ἐχθρὸν ἀφανῆ τοῦ Μετέλλου. Καὶ συνέπραξαν ὧδε ἅπαντες ἀλλήλοις. Ὁ μὲν Ἀπουλήϊος νόμον ἐσέφερε, Διαδάσασθαι γῆν, ὅσην ἐν τῇ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων καλουμένῃ Γαλατίᾳ Κίμβροι γένος Κελτῶν κατειλήφεσαν· καὶ αὐτοὺς ὁ Μάριος ἔναγχος ἐξελάσας, τὴν γῆν ὡς οὐκέτι Γαλατῶν ἐς Ῥωμαίους περιεσπάκει. Προσέκειτο δὲ, Εἰ κυρώσειε τὸν νόμον ὁ δῆμος, τὴν βουλὴν πένθ' ἡμέραις ἐπομόσαι,*

πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ· ἢ τὸν οὐκ ὀμόσαντα μήτε βουλεύειν, καὶ ὄφλειν τῷ δήμῳ τάλαντα εἴκοσιν· ὑπονοοῦντες, οὕτως ἄλλους τε τῶν δυσχεραινόντων ἀμυνεῖσθαι, καὶ Μέτελλον ὑπὸ φρονήματος οὐκ ἐνδώσοντα πρὸς τὸν ὅρκον. Orosius v. c. 17. *Marius sextum consul et Glaucia praetor et Saturninus tribunus plebis conspiraverunt Metellum Numidicum in exsilium quacunque vi agere. Die dicta, a suppositis eiusdem factionis iudicibus per scelus innocens Metellus damnatus, in exsilium cum totius urbis dolore discessit.*

(2) Idem Saturninus, occiso C. Memmio, candidato consulatus, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, oppressus armis cum C. Servilio Glaucia praetore et aliis eiusdem furoris sociis interfectus est (Liv. Ep. 69). III. c. 25. 81. In quibus quum et Q. Labienus fuisset, postea, Cicerone consule (v. ad a. 691. 7.), T. Labienus tribunus plebis C. Rabirio perduellionis crimen intendit, quod Saturninum interfecisset. III. c. 8. 22 sqq.

Cic. pro Rabirio c. 7. 20. *Fit senatus consultum, ut C. Marius, L. Valerius, consules, adhiberent tribunos plebis et praetores, quos eis uideretur, operamque darent, ut imperium populi Romani maiestasque conseruaretur. Adhibent omnes tribunos plebis praeter Saturninum, praetores praeter Glauciam: qui rempublicam salvam esse vellent, arma capere et se sequi iubent. Parent omnes. Ex aedibus sacris armamentariisque publicis arma populo Romano, C. Mario consule distribuente, dantur. — Quum Saturninus Capitolium teneret armatus, esset una C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus; — in foro autem C. Marius et L. Valerius Flaccus, consules, post cunctus senatus, — quum equester ordo — quum omnes omnium ordinum homines, qui in salute reipublicae salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cepissent* cet. Id. Brut. c. 62. 224. *Longe autem post natos homines improbissimus C. Servilius Glaucia, sed peracutus et callidus cum primisque ridiculus. Is ex summis et fortunae et vitae sordibus in praetura consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. Nam et plebem tenebat et equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. Is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario et Flacco consulibus, publice est interfectus.* Florus III. c. 16. 3. *Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, quum iam tertium annum dominaretur, eo vesaniae progressus est, ut consularia quoque comitia nova caede turbaret. Quippe ut*

satellitem furoris sui, Glauciam, consulem faceret, C. Memmium competitorem interfici iussit: et in eo tumultu regem ex satellitibus suis se appellatum laetus accepit. Tum vero iam conspiratione senatus, ipso quoque iam Mario consule, quia tueri non poterat, adverso, directae in foro acies: expulsus inde Capitolium invasit. Sed quum abruptis fistulis obsideretur, senatuique per legatos poenitentiae fidem faceret, ab arce degressus cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi eum, facta irruptione, populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit. Cf. Orosius v. c. 17. Appian. B. C. I. c. 32. *Προτεθείσης δὲ ὑπάτων χειροτονίας, Μάρκος μὲν Ἀντώνιος ἐπὶ τὴν ἑνέραν ἀναμφιλόγως ἠρέθη· τὴν δὲ ὑπόλοιπον Γλαυκίας ὅδε καὶ Μέμμιος μετῄεσαν. Μεμμίου δ' ὄντος ἐπιδοξοτέρου παρὰ πολύ, δείσας ὁ Γλαυκίας καὶ ὁ Ἀπουλήϊος, ἐπιπέμπουσί τινας αὐτῷ σὺν ξύλοις ἐν αὐτῇ τῇ χειροτονίᾳ, οἳ τὸν Μέμμιον παίοντες ἐν μέσῳ πάντων ὁρώντων συνέκοψαν. Καὶ ἡ μὲν ἐκκλησία θορυβηθεῖσα διελύετο, οὔτε νόμων οὔτε δικαστηρίων οὔτε τινὸς αἰδοῦς ἔτι ὑπούσης· ὁ δὲ δῆμος, ἀγαναχτῶν, ἐς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν μετ' ὀργῆς συνέτρεχεν, ὡς κτενοῦντες τὸν Ἀπουλήϊον. Ὁ δ', ἄλλο πλῆθος ἁλίσας ἀπὸ τῶν ἀγρῶν, μετὰ Γλαυκίου καὶ Γαΐου Σαυφηΐου ταμίου τὸ Καπιτώλιον κατέλαβεν. — Μάριος δ', αὐτίκα πάντων αὐτοὺς ἀναιρεῖν κελευόντων, ἐς τὸ βουλευτήριον συνέκλεισεν, ὡς ἐννομώτερον ἐργασόμενος. Οἱ δὲ, πρόφασιν τοῦτ' εἶναι νομίσαντες, τὸν κέραμον ἐξέλυον τοῦ βουλευτηρίου, καὶ τοὺς ἀμφὶ τὸν Ἀπουλήϊον ἔβαλλον, ἕως ἀπέκτειναν· ταμίαν τε, καὶ δήμαρχον, καὶ στρατηγὸν, ἔτι περικειμένους τὰ σύμβολα τῆς ἀρχῆς.*

(3) Hoc anno a. d. IV. Id. Quint. [= 12 Iulii] natum esse oportet C. Iulium Caesarem, siquidem a. 710. perierit annum agens LVI. De Caesare autem non semper idem sensisse Ciceronem, quod vulgo crimini datur, ex his inprimis apparet locis: IV. c. 19. 47. VII. c. 42. 109 sqq. VIII. c. 22. 55. c. 25. 65. c. 28. 70. IX. c. 9. 25. c. 10. 29. c. 12. 36. c. 13. 38. c. 14. 42. c. 15. 43. c. 29. 84. c. 32. 94. c. 34. 98.

Macrob. Sat. I. c. 12. *Sequitur Iulius, qui quum — Quintilis a numero vocaretur — postea in honorem Iulii Caesaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio consule, Iulius appellatus est, quod hoc mense a. d. quartum Idus Quintiles Iulius procreatus sit.* Lydus de Mensib. 63. p. 109. *Ὁ Καῖσαρ — εὑρὼν τὸν Κυντίλιον μῆνα, τὴν προσηγορίαν μετέβαλεν, οὐ διὰ τὴν τοῦ ἀριθμοῦ μόνον τελειότητα,*

ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ αὐτὸν ἀκοῦσαι κατὰ τὴν πρὸ τεσσάρων Εἰδῶν τοῦ μηνὸς τούτου τεχθῆναι. Appian. B. C. II. c. 106. Ἐς τε τιμὴν τῆς γενέσεως αὐτοῦ (Καίσαρος) τὸν Κοϊντίλιον μῆνα Ἰούλιον ἀντὶ Κοϊντιλίου μετωνόμασαν εἶναι. — Sueton. Caes. c. 88. *Periit sexto et quinquagesimo aetatis anno.* Appian. B. C. II. c. 149. Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν — ἔτος ἄγων ἕκτον ἐπὶ πεντήκοντα. Plut. Caes. c. 69. Θνήσκει δὲ Καῖσαρ τὰ μὲν πάντα γεγονὼς ἔτη πεντήκοντα καὶ ἕξ. [v. ad a. 710. 3.]

ANNUS VITAE CICERONIS VIII.

a. U. C.	Coss. M. ANTONIUS (orator).	a. A. C.
655.	A. POSTUMIUS ALBINUS.	99.

(1) Post necem Saturnini, Q. Metellus Numidicus, superiori anno pulsus, rogatione Q. Calidii tribuni plebis in civitatem restituitur. I. c. 7. 19.

Cic. Ep. ad Lentulum (ad Fam. I. 9. 16.) *Quum Metellum unius tribuni plebis rogatio — reciperavisset.* Cic. pro Planc. c. 28. 69. *Calidium adiungis, cuius lege Q. Metellus in civitatem sit restitutus.* Schol. Bob. in Orat. de aere alieno Mil. p. 347. *C. Gracchi et Saturnini exempla intulerat, quorum alter in Aventino interfectus est, alter Capitolio deductus cum Glaucia praetore iugulatus. Post quorum necem restitutos in civitatem significat P. Popilium, qui Graccho cesserat, et Q. Metellum Numidicum, qui, ut violentiam L. Appuleii subterfugeret, exsulaverat.* Liv. Epit. 69. *Q. Caecilius Metellus ab exsilio, ingenti totius civitatis favore, reductus est.* Gellius XIII. c. 18. 1. *Verba sunt Claudii Quadrigarii ex Annalium eius tertio decimo:* »*Contione dimissa Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus; inde quum domum proficiscitur, tota civitas eum reduxit.*" Valer. Max. IV. c. 1. 13. *Numidicus Metellus populari factione patria pulsus in Asiam secessit. In qua quum ei forte ludos Trallibus spectanti litterae redditae essent, quibus scriptum erat, maximo senatus et populi consensu reditum illi in Urbem datum, non e theatro prius abiit, quam spectaculum ederetur: non laetitiam suam proxime sedentibus ulla ex parte patefecit; sed summum gaudium intra se continuit. Eumdem constat pari vultu et exsulem fuisse, et restitutum: adeo moderationis beneficio, medius*

semper inter secundas et adversas res animi firmitate versatus est. Idem V. c. 2. 7. *Metellus Pius pertinaci erga exulem patrem amore, tam clarum lacrimis, quam alii victoriis, cognomen assecutus, non dubitavit consul pro Q. Calidio praeturae candidato supplicare populo, quod tribunus plebis legem, qua pater eius in civitatem restitueretur, tulerat.* Cf. Orosius V. c. 17. Appian. B. C. I. c. 33. *Ἀναιρεθέντων δὲ τῶν ἀμφὶ τὸν Ἀπουλήϊον, ἡ μὲν βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐπεφάγεσαν κατακαλεῖν Μέτελλον. Πούπλιος δὲ Φούριος δήμαρχος — θρασέως ἐνίστατο αὐτοῖς· καὶ οὐδὲ Μετέλλου, τοῦ Μετέλλου παιδὸς, ἱκετεύοντος αὐτὸν ἐν ὄψει τοῦ δήμου, καὶ δακρύοντος, καὶ τοῖς ποσὶ προσπίπτοντος, ἀνεκλάσθη. — Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους* [a. U. 655], *Φούριον μὲν ἐπὶ τῷδε ἐς δίκην Γάϊος Κανουλήϊος δήμαρχος ὑπῆγε —. Μετέλλῳ δ' ἡ κάθοδος ἐδόθη. Καί φασιν, αὐτῷ τὴν ἡμέραν οὐκ ἀρκέσαι, περὶ τὰς πύλας δεξιουμένῳ τοὺς ἀπαντῶντας.* Diodor. T. X. p. 173. *περὶ τῆς τοῦ Μετέλλου φυγῆς ἐπ' ἔτη δύω γενομένων λόγων ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ὁ υἱὸς αὐτοῦ — περιῆλε κατὰ τὴν ἀγορὰν, δεόμενος τῶν πολιτῶν· κτὲ.*

(1) Augurum decreto tollitur lex, quam de agris populo dividendis tulerat Sex. Titius, tribunus plebis seditiosus et turbulentus, cui maxime consul restitit Antonius. VI. c. 39. 101.

Obsequens c. 45. *M. Antonio A. Postumio coss. Sex. Titius tribunus plebis de agris dividundis populo quum repugnantibus collegis pertinaciter legem ferret, corvi duo numero in alto volantes ita pugnarunt supra contionem, ut rostris unguibusque lacerarentur. Aruspices sacra Apollini litanda et de lege, quae ferebatur, supersedendum pronuntiarunt.* Valer. Max. VIII. c. 1. Damn. 3. *Sex. quoque Titium similis casus prostravit. Erat innocens; erat agraria lege lata gratiosus apud populum. Tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota cognitio oppressit.* Cic. de Orat. II. c. 11. 48. (Antonius loquitur) *Testimonium saepe dicendum est, ac nonnumquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium, seditiosum civem et turbulentum; explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro republica restitissem, quaeque ab eo contra rempublicam facta arbitrarer, exposui. Diu retentus sum, multa audivi, multa respondi.* Id. pro Rabir. c. 9. 24. *Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suae, comdemnatus est. Statuerunt equites Romani illi iudicio, improbum civem esse, et non retinendum in civitate, qui hominis, hostilem in modum seditiosi, ima-*

gine aut mortem eius honestaret, aut desideria imperitorum misericordia commoveret, aut suam significaret imitandae improbitatis voluntatem. Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVII. 3. p. 284.

(3) C. Claudius Pulcher magnificentissima aedilitate fungitur. II. c. 22. 60.

Plinius H. N. VIII. c. 7. *Romae pugnasse (elephantos) Fenestella tradit primum omnium in Circo, Claudii Pulchri aedilitate curuli, M. Antonio A. Postumio coss., anno Urbis sexcentesimo quinquagesimo quinto.* Cic. in Verr. Act. II. L. IV. c. 3. 6. *C. Claudius, cuius aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine tamdiu, dum forum diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum.* Ibid. c. 59. 133. *Nisi arbitramini L. Crasso, Q. Scaevolae, C. Claudio, potentissimis hominibus, quorum aedilitates ornatissimas vidimus, commercium istarum rerum cum Graecis hominibus non fuisse.*

ANNUS VITAE CICERONIS IX.

a. U. C.	Coss. Q. CAECILIUS METELLUS NEPOS.	a. A. C.
656.	T. DIDIUS.	98.

(1) Ab his consulibus lata est lex Caecilia Didia, ab utriusque nomine dicta, cuius mentio fit III. c. 9. 27. (ubi leg. *Caeciliam Didiam, Liciniam Iuniam.*)

Schol. Bob. ad Orat. pro Sextio p. 310. (*Lex Caecilia et Didia*) *iubebat in promulgandis legibus trinundinum tempus observari.* Cic. Phil. V. c. 3. 8. *Ubi lex Caecilia et Didia? ubi promulgatio trinum nundinum?* pro Domo sua c. 16. 41. *Si, quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum: nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt: si decrevit senatus, M. Drusi legibus, quae contra legem Caeciliam et Didiam latae essent, populum non teneri; iam intelligis — te tribunum plebis non fuisse.* c. 20. 53. *Quae est, quaeso, alia vis, quae sententia Caeciliae legis et Didiae, nisi haec, ne populo necesse sit in coniunctis rebus compluribus aut id, quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare?*

(2) M'. Aquillius (cos. a. 653.), confecto in Sicilia bello

Servili, a L. Fufio repetundarum accusatur; quem defendit M. Antonius. VI. c. 15. 36.

Liv. Epit. 70. *Quum M'. Aquillius de pecuniis repetundis caussam diceret, ipse iudices rogare noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore eius discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero eius rei solus auctor.* Cic. in Verr. Act. II. L. V. c. 1. 3. *Venit mihi in mentem, in iudicio M'. Aquillii quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonii habuisse existimata sit: qui, ut erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis, caussa prope perorata, ipse arripuit M'. Aquillium constituitque in conspectu omnium tunicamque eius a pectore abscidit, ut cicatrices populus Romanus iudicesque aspicerent adverso corpore exceptas: simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit, eoque adduxit eos, qui erant iudicaturi, vehementer ut vererentur, ne, quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, quum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi Romani laudem, sed ad iudicum crudelitatem videretur esse servatus.* Id. de Orat. II. c. 28. 124. *Tum Crassus, Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut instituisti. — Quod enim ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in caussa peroranda non dubitavit excitare reum consularem et eius diloricare tunicam et iudicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere?* Ibid. c. 47. 194. (Antonius loquitur) *Nolite existimare meipsum, — quum mihi M'. Aquillius in civitate retinendus esset, quae in illa caussa peroranda fecerim, sine magna dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem ornatum a senatu, ovantem in Capitolium ascendisse meminissem, hunc quum afflictum, debilitatum, maerentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem, tum magna opere moveri iudices, quum excitavi maestum ac sordidatum senem et quum ista feci, quae tu, Crasse, laudas, non arte, — sed motu magna animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem.* Id. pro Flacco c. 39. 98. *M'. Aquillium patres nostri multis avaritiae criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, iudicio liberaverunt.* Quintil. II. c. 15. 7. *Nam et M'. Aquillium defendens Antonius, quum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore adverso susceperat, ostendit, non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani vim attulit, quem illo ipso aspectu maxime motum in hoc, ut absolveret reum, creditum est.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVII. 4. p. 285.

ANNUS VITAE CICERONIS X.

a. U. C.	Coss. CN. CORNELIUS LENTULUS.	a. A. C.
657.	P. LICINIUS CRASSUS.	97.

C. Aculeonem, Ciceronis propinquum, a Gratidiano reum factum, defendit L. Crassus, qui eum ex omnibus plurimum dilexit. I. c. 12. 34. c. 16. 47.

Cic. de Orat. II. c. 65. 262. *Invertuntur autem verba, ut Crassus apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone quum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aelius Lamia, deformis, ut nostis; qui quum interpellaret odiose, Audiamus, inquit, pulchellum puerum, Crassus. Quum esset arrisum, Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipse fingere; ingenium potui. Tum hic, Audiamus, inquit, disertum. Multo etiam arrisum est vehementius.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVIII. 5. p. 302.

ANNUS VITAE CICERONIS XI.

a. U. C.	Coss. CN. DOMITIUS AHENOBARBUS.	a. A. C.
658.	C. CASSIUS LONGINUS.	96.

(1) Hac fere aetate Cicero iis videtur eruditus fuisse doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, praecipue autem Graecis litteris; I. c. 18. 55 sqq. generosos habens condiscipulos, in disciplina domestica Q. fratrem et consobrinos suos Aculeonis filios; I. c. 16. 47. in publica autem T. Pomponium, L. Torquatum, C. Marium filium.

Dialog. de Orat. c. 34. 1. *Apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina* cet. Nepos Att. c. 1. 3. *Erat autem in puero (T. Pomponio), praeter docilitatem ingenii, summa suavitas oris ac vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Qua ex re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo aequo ferre possent. Itaque incita-*

bat omnes studio suo; quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero, quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior.

(2) Florebant eo tempore maxime in foro M. Antonius et L. Licinius Crassus; de quibus fere dubium videtur, utri maiorem eloquentiae laudem tribuerit Cicero. I. c. 16. 47 sq. VII. c. 56. 96.

Cic. Brut. c. 37. 139. *Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur: sed ita erat paratus, ut iudices, illo dicente, nonnumquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse.* cet. c. 38. 143. *Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. Illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem esse, qui horum alterutro patrono cuiusquam ingenium requireret. Equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas; erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis, lepos; Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia; in disserendo mira explicatio; quum de iure civili, quum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia.* c. 56. 206. *Venio ad eos, in quibus iam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi sine controversia magnos oratores, Crassum et Antonium.* Velleius II. c. 9. 1. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores, Scipio Aemilianus Laeliusque — et ante omnes L. Crassus et M. Antonius.* Macrobius Saturn. V. c. 1. *Sunt stili dicendi duo, dispari moralitate diversi: unus est maturus et gravis, qualis Crasso assignatur; alter huic contrarius, ardens et erectus et infensus, quali est usus Antonius.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVII. p. 280. XLVIII. p. 291.

ANNUS VITAE CICERONIS XII.

a. U. C.	Coss. L. LICINIUS CRASSUS.	a. A. C.
659.	Q. MUCIUS SCAEVOLA.	95.

His coss. Q. Hortensius primum in foro dixit, undevi-

ginti annos natus, VII. c. 35. 95. c. 38. 101. quem summum sui temporis oratorem Cicero (qui octo annis minor erat, I. c. 31. 99.) in multis caussis habuit adversarium; II. c. 15. 40. c. 25. 68. c. 31. 84. IV. c. 8. 18. aliquando etiam defensionis socium; III. c. 8. 23. IV. c. 17. 44. VI. c. 18. 44.

Cic. de Orat. III. c. 61. 228. *Me quidem, inquit Catulus, istius sermonis participem factum esse gaudeo: ac vellem, meus gener, — Hortensius, affuisset; quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu* (Crassus) *oratione complexus es, excellentem fore. Et Crassus, Fore dicis? inquit: ego vero esse iam iudico et tum iudicavi, quum, me consule, in senatu caussam defendit Africae. — Nihil enim isti adolescenti neque a natura neque a doctrina deesse sentio. — Non enim ille mediocris orator — sed et ingenio peracri et studio flagranti et doctrina eximia et memoria singulari.* Nepos Att. c. 5. 4. (*Atticus*) *utebatur intime Q. Hortensio, qui his temporibus principatum eloquentiae tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero an Hortensius; et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula.* Quintil. XI. c. 3. 8. (*Hortensii*) *scripta tantum intra famam sunt, qua diu princeps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est, novissime, quoad vixit, secundus: ut apparent, placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus.* Cic. Orat. c. 38. 132. *Dicebat melius, quam scripsit, Hortensius.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 1. p. 365. L. C. Luzac, Specim. Hist. Iurid. *de Q. Hortensio oratore, Ciceronis aemulo.* Lugd. Bat. 1810. 8°. I. G. Linsén et G. W. af Gadolin, Diss. *de Hortensio oratore, Ciceronis aemulo.* Aboae 1822. 4°.

ANNUS VITAE CICERONIS XIII.

a. U. C.	Coss. C. CAELIUS CALDUS.	a. A. C.
660.	L. DOMITIUS AHENOBARBUS.	94.

(1) C. Caelius, homo novus, non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendit, ut ad summos honores perveniret. I. c. 13. 57.

Cic. de Orat. I. c. 25. 117. *Quis enim non videt C. Caelio — magno honori fuisse, homini novo, illam ipsam, quamcunque assequi potuerit, in dicendo mediocritatem?* Id. Brut. c. 45. 165. *Idem de C. Caelio dixerim, industriam in eo summam fuisse summasque virtutes, eloquentiae tantum, quod esset in rebus privatis amicis eius, in republica ipsius dignitati satis.* Q. Cic. de petit. cons. c. 3. 11. *Quanto melior tibi fortuna petitionis data est, quam nuper homini novo C. Caelio! Ille cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat, ut tamen in iis omnia pluris essent, quam ipsa nobilitas; summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio ac diligentia petendi. Tamen eorum alterum Caelius, etiam quum multo esset inferior genere, superior nulla re paene, superavit.* ad q. l. Palermus haec annotavit: »Qui fuerint illi duo, quibuscum Caelius consulatum petierit, quaeri video. Ego, ut de utroque respondere non possum, sic de altero nihil dubito, quin fuerit L. Domitius, qui cum eodem consul factus est: quem ideo superatum a Caelio dixit, quoniam prior fortasse consul renuntiatus sit; qui locus omnino erat dignior." cet.

(2) P. Sulpicius Rufus C. Iunium Norbanum ob seditiosum tribunatum accusat. Sed accusatoris eloquentiam et Scauri testis auctoritatem vincit Antonii oratio; qua factum est, ut reus nocentissimus absolveretur. VI. c. 15. 35.

Cic. de Orat. II. c. 21. 88. (Antonius loquitur) *Ego Sulpicium primum in caussa parvula* [a. 659.] *adolescentulum audivi, voce et forma et motu corporis et reliquis rebus aptis ad hoc munus, de quo quaerimus, oratione autem celeri et concitata, quod erat ingenii, et verbis efferescentibus et paullo nimium redundantibus, quod erat aetatis. — Vidi statim indolem neque demisi tempus et eum sum cohortatus ut forum sibi ludum putaret esse ad dicendum, magistrum autem, quem vellet, eligeret. — Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meae, quum iste accusavit C. Norbanum, defendente me. Non est credibile, quid interesse mihi sit visum inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat.* c. 25. 107. *Iam quid vocetur, quaeritur, quum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur: ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani caussa summa contentio. Pleraque enim de iis, quae ab isto obiiciebantur, quum confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam negabam; ex quo verbo lege Appuleia tota illa caussa pendebat.* c. 28. 124. c. 40. 167. c. 47. 197. Valer. Max. VIII. c. 5. 2. *M. Aemilius Scaurus, princeps senatus — C. Norbanum, maiestatis crimine publicae quaestioni subiectum, ex professo opprimere conatus est*

nec tamen aut auctoritate, qua plurimum pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, affligere potuit. Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVII. 6. p. 287. LVIII. 2. p. 348.

ANNUS VITAE CICERONIS XIV.

a. U. C.	Coss. C. VALERIUS FLACCUS.	a. A. C.
661.	M. HERENNIUS.	93.

Apparuit denuo quam fallax sit tota comitiorum ratio, quum Herennius in petitione consulatus superarit L. Marcium Philippum. II. c. 35. 97.

Cic. Brut. c. 45. 166. *Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus Latine et diligenter loquentibus numeratus est: qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum, in consulatus petitione superavit.* c. 47. 173. *Duobus igitur summis, Crasso et Antonio, L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus* cet. De Philippo, qui duobus tamen annis post consul creatus est, conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LII. p. 323.

ANNUS VITAE CICERONIS XV.

a. U. C.	Coss. C. CLAUDIUS PULCHER.	a. A. C.
662.	M. PERPERNA.	92.

L. Lucullus cum Marco fratre P. Servilium augurem reum fecerunt, a quo patrem suum L. Licinium, qui praetor adversus fugitivos in Sicilia male rem gesserat, repetundarum postulatum dolebant. VI. c. 15. 36.

Cic. de prov. cons. c. 9. 21. *Quae fuerunt inimicitiae graviores in civitate, quam Lucullorum atque Serviliorum?* Id. Acad. pr. II. c. 1. 1. (*L. Lucullus*) *admodum adolescens, cum fratre, pari pietate et in-*

dustria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus. Plutarch. Lucull. c. 1. 2. *Αὐτὸς δ' ὁ Λούκουλλος ἔτι μειράκιον ὤν, πρὶν ἀρχὴν τινα μετελθεῖν καὶ πολιτείας ἅψασθαι, πρῶτον ἔργον ἐποιήσατο τὸν τοῦ πατρὸς κατήγορον κρῖναι Σερουίλιον αὔγουρα, λαβὼν ἀδικοῦντα δημοσίᾳ. Καὶ τὸ πρᾶγμα λαμπρὸν ἐφάνη Ῥωμαίοις καὶ τὴν δίκην ἐκείνην ὥσπερ ἀριστείαν διὰ στόματος ἔσχον. — Οὐ μὴν ἀλλὰ μεγάλης περὶ τὴν δίκην ἐκείνην φιλονεικίας γενομένης, ὥστε καὶ τρωθῆναί τινας καὶ πεσεῖν, ἀπέφυγεν ὁ Σερουίλιος.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXIII et LXIV. 1. p. 359.

ANNUS VITAE CICERONIS XVI.

a. U. C.	Coss. L. MARCIUS PHILIPPUS.	a. A. C.
663.	SEX. IULIUS CAESAR.	91.

(1) M. Livius Drusus, tribunus plebis, iudicia ab equitibus ad senatum transferre cupiens, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit: iisque adiuvantibus per vim, legibus agrariis frumentariisque latis, iudiciariam quoque pertulit, Ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent (Liv. Epit. 71.). Quae leges, quamquam adversante Crasso, Philippus consul a senatu obtinuit ut uno senatus consulto tollerentur. VI. c. 39. 101.

Cic. de Legib. II. c. 6. 14. (*Leges Liviae*), *quae praesertim uno versiculo senatus puncto temporis sublatae sint.* Id. pro Domo sua c. 16. 41. *Decrevit senatus, M. Drusi legibus, quae contra legem Caeciliam et Didiam* [v. ad a. 656. 1.] *latae essent, populum non teneri.* Id. pro C. Cornelio I. fr. 11. *Quattuor omnino genera sunt, in quibus per senatum, more maiorum, statuatur aliquid de legibus. — Alterum, quae lex lata esse dicatur, ea non videri populum teneri: ut L. Marcio, Sex. Iulio consulibus, de legibus Liviis.* ad q. l. Asconius p. 68. *Puto vos reminisci, has esse leges Livias, quas illis consulibus M. Livius Drusus, tribunus plebis, tulerit. Qui quum senatus partes tuendas suscepisset et leges pro optimatibus tulisset, postea eo licentiae est progressus, ut nullum in his morem servaret. Itaque Philippus consul, qui ei inimicus erat, obtinuit a senatu, ut leges eius omnes uno*

senatus consulto tollerentur. Decretum est enim, contra auspicia esse latas, neque iis teneri populum. Cf. Florus III. c. 17. Valer. Max. VI. c. 2. 2. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVIII. 10. p. 312 et LII. 2. p. 325. E. A. I. Ahrens, *Die drei Volkstribunen Tib. Gracchus, M. Livius Drusus, P. Sulpicius Rufus.* Leipzig, 1836.

(2) Hoc anno *Disputatio de Oratore* (v. ad a. 699. 7.) in Tusculano habita fingitur. VI. c. 34. 38. Eodem anno, septimo die post Idus Septembres [= XII. Kal. Octob. = 20 Septemb.] moritur L. Licinius Crassus, orator. I. c. 31. 99.

Cic. de Orat. I. c. 7. 24. *Quum igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus, Drusique tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi iam debilitarique videretur, dici mihi memini ludorum Romanorum diebus, L. Crassum quasi colligendi sui caussa se in Tusculanum contulisse; venisse eodem, socer eius qui fuerat, Quintus Mucius dicebatur, et M. Antonius, homo et consiliorum in republica socius et summa cum Crasso familiaritate coniunctus. Exierant autem cum ipso Crasso adolescentes duo, Drusi maxime familiares, et in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suae collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat,* [v. ad a. 663. 3.] *et P. Sulpicius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur* [v. ad a. 666. 2.]. *Hi primo die de temporibus deque universa republica, quam ob caussam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei collocuti sunt.* cet. Ibid. III. c. 1. 1. *Instituenti mihi, Quinte frater, eum sermonem referre et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi morte exstincta subita est vix diebus decem post eum diem, qui hoc et superiore libro continetur. Ut enim Romam rediit extremo scenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo, quem dixisse constabat »videndum sibi aliud esse consilium; illo senatu se rempublicam gerere non posse": mane Idibus Septembribus et ille et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Ibi quum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus.* — c. 2. 6. *Tum latus ei dicenti condoluisse sudoremque multum consecutum esse audiebamus; ex quo quum cohorruisset, cum febri domum rediit dieque septimo lateris dolore consumptus est.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLVIII. p. 291.

(3) Paucis diebus post mortem Crassi, C. Aurelius Cotta tribunatu depulsus est, et sequenti anno (v. ad a. 664. 3.) sponte in exsilium abiit. I. c. 31. 99 sq. Qui quum redisset a. 672. maxime floruit in foro. I. c. 34. 108. II. c. 1. 1.

Cic. de Orat. III. c. 3. 11. *Non vidit eorum ipsorum, qui tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosque casus. Ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate.* Brut. c. 49. 182. *Iisdem fere temporibus aetate inferiores paullo, quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Valerius, Cn. Pompeius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius, nec ulla aetate uberior oratorum fetus fuit. Ex his Cotta et Sulpicius, quum meo iudicio, tum omnium, facile primas tulerunt.* c. 55. 202. *Inveniebat acute Cotta, dicebat pure ac aplute; et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum; illudque maximum, quod quum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati.* alibi. Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LVII. p. 338.

(4) Post mortem Crassi, Cicero venit in forum, I. c. 31. 99. dudum inter aequales suos (v. ad a. 658. 1.) litterarum studio eminens. I. c. 35. 109.

Plutarch. Cic. c. 2. 1. *Ἐν ἡλικίᾳ τοῦ μανθάνειν γενόμενος, δι' εὐφυΐαν ἐκλάμψας καὶ λαβὼν ὄνομα καὶ δόξαν ἐν τοῖς παισὶν, ὥστε τοὺς πατέρας αὐτῶν ἐπιφοιτᾶν τοῖς διδασκαλείοις ὄψει τε βουλομένους ἰδεῖν τὸν Κικέρωνα καὶ τὴν ὑμνουμένην αὐτοῦ περὶ τὰς μαθήσεις ὀξύτητα καὶ σύνεσιν ἱστορῆσαι, τοὺς δ' ἀγροικοτέρους ὀργίζεσθαι τοῖς υἱέσιν ὁρῶντας ἐν ταῖς ὁδοῖς τὸν Κικέρωνα μέσον αὐτῶν ἐπὶ τιμῇ λαμβάνοντας. Γενόμενος δ', ὥσπερ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπαζέσθαι πᾶν μάθημα καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος, ἐρρύη πως προθυμότερον ἐπὶ ποιητικήν. Καί τι καὶ ποιημάτιον ἔτι παιδὸς αὐτοῦ διασώζεται, Πόντιος Γλαῦκος, ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον* [v. ad a. 664. 6.].

ANNUS VITAE CICERONIS XVII.

a. U. C.	Coss. L. IULIUS CAESAR.	a. A. C.
664.	P. RUTILIUS LUPUS.	90.

(1) Bellum oritur Sociale seu Marsicum; I. c. 31. 99. cuius belli historiam Graece conscripsit L. Lucullus. III. c. 35. 110.

Livius Epit. 71. *Quum deinde promissa sociis civitas* [v. ad a. 663. 1.] *praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt. — Propter quae Livius Drusus, invisus etiam senatui factus, velut Socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.* Ibid. 72. *Italici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli a Picentibus moto.* Florus III. c. 17. 9. *Sed pretium rogationis statim socii flagitare: quum interim imparem Drusum, aegrumque rerum temere motarum, matura, ut in tali discrimine, mors abstulit; nec ideo minus socii promissa Drusi a populo Romano reposcere desierunt.* Ibid. c. 18. 3. *Itaque, quum ius civitatis, quam viribus auxerant, socii iustissime postularent, ad quam spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat; postquam ille domestico scelere oppressus est, eadem fax, quae illum cremavit, socios in arma et oppugnationem Urbis accendit. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? quum omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis, atque Campania, postremo Italia, contra matrem ac parentem suam Urbem consurgerent.* cet. Velleius II. c. 15. 1. *Mors Drusi iam pridem tumescens bellum excitavit Italicum. Quippe L. Caesare et P. Rutilio coss. — universa Italia, quum id malum ab Asculanis ortum esset, — ac deinde a Marsis exceptum in omnes penetrasset regiones, arma adversus Romanos cepit.* cet. Plutarch. Lucull. c. 1. 8. *Περὶ μὲν οὖν τῆς φιλολογίας αὐτοῦ (Λουκούλλου) πρὸς τοὺς εἰρημένους καὶ ταῦτα λέγεται· νέον ὄντα πρὸς Ὁρτήσιον τὸν διπλόγον καὶ Σισσεννᾶν τὸν ἱστορικὸν ἐκ παιδιᾶς τινος εἰς σπουδὴν προελθούσης ὁμολογῆσαι, προθεμένων ποίημα καὶ λόγον Ἑλληνικόν τε καὶ Ῥωμαϊκόν, εἰς ὅ τι ἂν λάχῃ τούτων, τὸν Μαρσικὸν ἐντεῦξιν πόλεμον. Καί πως δοῦναι εἰς λόγον Ἑλληνικὸν ὁ κλῆρος ἀφικέσθαι· διασώζεται γὰρ Ἑλληνικῇ τις ἱστορία τοῦ Μαρσικοῦ πολέμου.* Conf. Eutrop. V. c. 3. Orosius V. c. 18. Appian. B. C. I. c. 36 sqq. C. Guil. Keferstein, *de Bello Marsico.* Halis, 1812. 8°. Weiland, *de Bello Marsico*, Berolin. 1835. 8°.

(2) Deficientibus ob negatam civitatem sociis Italis, Q. Varius legem tulit, ut quaereretur de iis, qui istorum conatibus clam palamve favissent. Quo in tempore senatus decrevit, ut una lege Varia iudicium exerceretur, ceteris, dum tumultus Italicus esset, intermissis. I. c. 31. 99.

Valer. Max. VIII. c. 6. 4. *Q. Varius, propter obscurum ius civitatis Hybrida cognominatus, tribunus plebis legem adversus intercessionem collegarum perrogavit, qua iubebat quaeri, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent; magna cum clade reipublicae: Sociale enim prius, deinde Civile bellum excitavit.* Ascon. in Scaurian. p. 22. *Italico bello exorto, quum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius, tribunus plebis, legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent.* Id. in Cornelian. p. 73. *Bello Italico, quod fuit adolescentibus illis, qui tum in republica vigebant, quum multi Varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus conflatum esset, crebraeque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob eius tristitiae occasionem senatus decrevit, ne iudicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur.* Appian. B. C. I. c. 37. *Οἱ ἱππεῖς — Κόϊντον Οὐάριον δήμαρχον ἔπεισαν εἰσηγήσασθαι, κρίσεις εἶναι κατὰ τῶν τοῖς Ἰταλιώταις ἐπὶ τὰ κοινὰ φανερῶς ἢ κρύφα βοηθούντων· ἐλπίσαντες τοὺς δυνατοὺς ἅπαντας αὐτίκα εἰς ἔγκλημα ἐπιφθονον ὑπάξεσθαι, καὶ δικάσειν μὲν αὐτοί, γενομένων δ' ἐκείνων ἐκποδὼν, δυνατώτερον ἔτι τῆς πόλεως ἐπάρξειν. Τὸν μὲν δὴ νόμον, ἀπαγορευόντων τῶν ἑτέρων δημάρχων μὴ τίθεσθαι, περιστάντες οἱ ἱππεῖς σὺν ξιφιδίοις γυμνοῖς ἐκύρωσαν.*

(3) Qua lege multi nobiles quum in iudicium vocati essent, alii sponte in exsilium abierunt, alii, qua se defenderent, pro se ipsi orationem habuerunt. I. c. 31. 99.

Ascon. in Cornelian. l. c. Appian. B. C. I. c. 37. *Ὡς δ' ἐκεκύρωτο, αὐτίκα τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν βουλευτῶν ἐπεγράφοντο κατήγοροι. Καὶ Βηστίας μὲν, οὐδ' ὑπακούσας, ἑκὼν ἔφευγεν, ὡς οὐκ ἐκδώσων ἑαυτὸν ἐς χεῖρας ἐχθρῶν. Καὶ Κόττας, ἐπ' ἐκείνῳ, παρῆλθε μὲν ἐς τὸ δικαστήριον· συμνολογήσας δὲ ὑπὲρ ὧν ἐπεπολίτευτο, καὶ λοιδορησάμενος τοῖς ἱππεῦσι φανερῶς, ἐξῆλθε τῆς πόλεως καὶ ὅδε πρὸ τῆς ψήφου. Μούμμιος δ', ὁ τὴν Ἑλλάδα ἑλών, αἰσχρῶς ἐνεδρευθεὶς ὑπὸ τῶν ἱππέων, ὑποσχομένων αὐτὸν ἀπολύσειν, κατεφρόνησε φεύγειν, καὶ ἐν Δήλῳ διεβίωσεν.* Cic. pro Scauro

c. 1. 3. *Ab eodem (Q. Caepione) etiam lege Varia custos ille reipublicae (Scaurus) proditionis est in crimen vocatus: vexatus a Q. Vario tribuno plebis est non multo ante.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XXXVIII. 9 et 10. p. 259 sqq. et L. 3. p. 321. Cic. Tusc. II. c. 24. 57. *Genu mehercule M. Antonium vidi, quum contente pro se ipse lege Varia diceret, terram tangere.* Cf. Meyer. l. c. XLVII. 7. p. 290. Cic. Brut. c. 89. 304. *Pro se ipsi dicebant oratores, non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen.* Cf. Meyer. l. c. LVI. 1. p. 338. Cic. Brut. c. 56. 205. *Cottae oratio pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu.* Cf. Meyer. l. c. LVII. 2. p. 340.

(4) C. Iulius Caesar Strabo, L. Iulii consulis frater, aedilis curulis, quotidie fere conciones habet. I. c. 31. 100.

Ascon. in Scaurian. p. 24. *Iulios quum dicit, duos Caesares fratres, Caium et Lucium, significat: ex quibus Lucius et consul et censor fuit; Caius aedilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut caussa belli civilis contentio eius cum Sulpicio tribuno fuerit. — Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est.* Cic. de Orat. II. c. 23. 98. (*Caesar*) *inusitatum nostris quidem oratoribus leporem quemdam et salem — est consecutus.* Id. de Off. I. c. 37. 133. *Sale et facetiis Caesar, Catuli patris frater, vicit omnes, ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret.* Id. Brut. c. 48. 177. *Festivitate et facetiis C. Iulius L. F. et superioribus et aequalibus suis omnibus praestitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, sicut ex eiusdem tragoediis, lenitas eius sine nervis perspici potest.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LIV. p. 330.

(5) De senatus sententia L. Iulius cos. templum refecit Iunonis Sospitae, ex Caeciliae, Balearici filiae, somnio. X. c. 17. 44.

Cic. de Divin. I. c. 44. 99. *Caeciliae Q. filiae somnio modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum.* Obsequens c. 115. *Metella Caecilia somnio Iunonem Sospitam profugientem, quod immunde sua templa foedarentur, quum suis precibus aegre revocatam diceret, aedem, matronarum sordidis obscoenisque corporis coinquinatam ministeriis, in qua etiam sub simulacro Deae cubile canis confectae erat, commundatam supplicationibus habitis, pristino splendori restituit.*

(6) Hoc fero anno Cicero, quum togam sumpsisset viri-

lem, I. c. 26. 85. *Arati Phaenomena* (v. ad a. 694. 7.) Latinis versibus reddidisse censetur. I. c. 24. 79.

Hieronym. in praefat. in Euseb. Chron. p. 3. (Scal.) *Tullius — Aratum Romanum hexametris versibus edidit.* Io. Fr. Iugler, *de Poesi Ciceronis.* Lipsiae, 1744. 4°. Ioann. Badenus in Prolus. *de Poetica facultate Ciceronis.* Havniae, 1791. 4°. non dubitandum esse censet, quin Cicero, si ad carmina condenda divinum ingenium convertisset, nec civitatis utilitas, quae oratoribus magis indigebat quam poetis, alio vocasset, aeque magnus poeta exstitisset, ac nunc oratorem miramur. Cf. tamen quae diximus in Progr. Scholast. *de Mythographo Astronom. qui vulgo dicitur Scholiastes Germanici.* Lugd. Bat. 1842. 4°. p. 3. Add. Hand, *Cicero als Schriftsteller*, in Ersch und Gruber's Encyclop. T. XVII. p. 240. et F. M. Frantzen, *de Cicerone poeta.* Aboae, 1800. 8°.

ANNUS VITAE CICERONIS XVIII.

a. U. C.	Coss. CN. POMPEIUS STRABO.	a. A. C.
665.	L. PORCIUS CATO.	89.

(1) Cicero iuris civilis studio multum operae dat Q. Scaevolae auguri, I. c. 31. 101. ad quem simul cum Attico ventitabat, I. c. 25. 81. deductus, ut Romani moris erat, ad ipsum a patre. I. c. 26. 85. Durante tamen bello Marsico in Pompeii consulis exercitu militat tiro, sub L. Sulla, legato. I. c. 26. 86.

Dial. de Orat. c. 34. 1. *Apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem in civitate locum tenebat: hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, sive in iudiciis, sive in concionibus, assuescebat, ita ut altercationes quoque exciperet et iurgiis interesset atque, ut sic dixerim, pugnare in praelio disceret.* c. 30. 2. *Notus est vobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte — sua initia, suos gradus, quae eloquentiae velut quamdam educationem refert: se apud Q. Mucium ius civile didicisse* cet. Plutarch. Cic. c. 3. 1. *Ἅμα δὲ τοῖς περὶ Μούκιον ἀνδράσι συνὼν*

πολιτικοῖς καὶ πρωτεύουσι τῆς βουλῆς, εἰς ἐμπειρίαν τῶν νόμων ὠφελεῖτο· καί τινα χρόνον καὶ στρατείας μετέσχεν ὑπὸ Σύλλα περὶ τὸν Μαρσικὸν πόλεμον. Cic. de Divin. I. c. 33. 72. (Q. Cicero loquitur) *Ut in Sisennae scriptum historia videmus, quod, te inspectante, factum est, ut, quum ille in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret; quum quidem C. Postumius haruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret: id quum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra cepit.*

(2) Hortensius, qui superiore anno miles fuerat, hoc anno fuit tribunus militum; aberantque plures oratores, qui legati munere fungerentur. I. c. 31. 99.

Cic. pro Font. c. 15. 43. *Recordamini, quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit. Scietis fuisse tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sullam, praetorios homines, belli gerendi peritissimos: praeterea C. Marium, P. Didium, Q. Catulum, P. Crassum, non litteris homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditos.*

(3) Q. Varius sua lege (v. ad a. 664. 2.) damnatus excessit. I. c. 31. 101.

Valer. Max. VIII. c. 6. 4. *Q. Varius — dum ante pestiferum tribunum plebis quam certum civem agit, sua lex eum domesticis laqueis constrictum abstumpsit.* Cic. de N. D. III. c. 33. 81. *Summo cruciatu supplicioque Q. Varius, homo importunissimus, periit; si, quia Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat, illos conservari melius fuit, quam poenas sceleris Varium pendere.*

ANNUS VITAE CICERONIS XIX.

a. U. C.	Coss. L. CORNELIUS SULLA.	a. A. C.
666.	Q. POMPEIUS RUFUS.	88.

(1) Romani, audita Mithridatis irruptione in Asiam, bellum contra eum decernunt; cuius belli imperium quum traditum esset Sullae consuli, orta est dissensio civilis. III. c. 32. 101.

Velleius II. c. 18. 1. *Mithridates, Ponticus rex, — occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis, — quum terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullae Asia provincia.* Eutrop. V. c. 4. *Caussam bello civili C. Marius sexies cos. dedit. Nam quum Sulla consul contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam et Achaiam occupaverat, mitteretur, isque exercitum in Campania paullisper teneret, ut belli Socialis — reliquiae tollerentur, Marius adfectavit, ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur.* Appian. B. C. I. c. 55. *Ἐπειδὴ Μιθριδάτης, ὁ τοῦ Πόντου καὶ ἄλλων ἐθνῶν βασιλεύς, ἐς Βιθυνίαν καὶ Φρυγίαν καὶ τὴν ὅμορον αὐταῖς Ἀσίαν ἐνέβαλεν, — Σύλλας μὲν ὑπατεύων ἔλαχε στρατηγεῖν τῆς Ἀσίας καὶ τοῦδε τοῦ Μιθριδατείου πολέμου.* Id. B. Mithr. c. 22. *Ῥωμαῖοι δ', ἐξ οὗ τῆς πρώτης αὐτοῦ ὁρμῆς τε καὶ ἐς τὴν Ἀσίαν ἀσβολῆς ἐπύθοντο, στρατεύειν ἐπ' αὐτὸν ἐψηφίσαντο· — κληρουμένων δὲ τῶν ὑπάτων, ἔλαχε μὲν Κορνήλιος Σύλλας ἄρχειν τῆς Ἀσίας καὶ πολεμεῖν τῷ Μιθριδάτῃ.* Plutarch. Sull. c. 7. 1. *Τότε δὲ — ἐπτόητο τῇ γνώμῃ πρὸς τὸν Μιθριδατικὸν πόλεμον. Ἀντανίστατο δὲ αὐτῷ Μάριος ὑπὸ δοξομανίας καὶ φιλοτιμίας. — Καὶ τοῦ Σύλλα πρὸς τὰς ἐπιλήπτους πράξεις ὁρμήσαντος εἰς τὸ στρατόπεδον, αὐτὸς οἰκουρῶν ἐτεκταίνετο τὴν ὀλεθριωτάτην ἐκείνην καὶ ὅσα σύμπαντες οἱ πόλεμοι τὴν Ῥώμην οὐκ ἔβλαψαν ἀπεργασαμένην στάσιν.* Conf. Id. Mar. c. 34. Orosius V. c. 19. Valer. Max. III. c. 8. 5. Florus III. c. 21. Cybulski, *de Bello Civili Sullano.* Berol. 1838. 8°.

(2) P. Sulpicium Rufum, tribunum plebis, qui pro Mario contra Sullam stabat, quotidie concionantem audivit Cicero. I. c. 31. 101.

Cic. Brut. c. 49. 182. *Iisdem fere temporibus aetate inferiores paullo, quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Valerius,* cet. — *Ex his Cotta et Sulpicius quum meo iudicio, tum omnium, facile primas tulerunt.* — c. 55. 203. *Fuit Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis et, ut ita dicam, tragicus orator. Vox quum magna, tum suavis et splendida; gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur; incitata et volubilis, nec ea redundans tamen nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari; Cotta malebat Antonium: sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos.* — c. 26. 204. *Atque in his oratoribus illud animadvertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. Nihil enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurimum*

praestitit. Id. de Orat. III. c. 8. 31. Velleius II. c. 9. 1. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores, Scipio Aemilianus Laeliusque*, cet. *Nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus. Quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LVIII. p. 343. E. A. L. Ahrens, *Die drei Volkstribunen Tib. Gracchus, M. Livius Drusus, P. Sulpicius Rufus.* Leipzig, 1836.

(3) Is quum leges promulgaret perniciosas reipublicae, et hac de re capitali odio a Q. Pompeio cos. dissideret, X. c. 22. 61. occisus est a Sulla. I. c. 31. 101. III. c. 32. 101.

Livius Epit. 77. *Quum P. Sulpicius tribunus plebis, auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, (Ut exsules revocarentur et novi cives libertinique distribuerentur in tribus XXXV, et Ut C. Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur,) et adversantibus consulibus Q. Pompeio et L. Sullae vim intulisset, occiso Q. Pompeio consulis filio, genero Sullae; L. Sulla consul cum exercitu in Urbem venit, et adversus factionem Sulpicii et Marii in ipsa Urbe pugnavit, eamque expulit: ex qua duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, iudicati sunt. P. Sulpicius, quum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est.* Ascon. in Cornelian. p. 64. *P. Sulpicium in tribunatu hanc eamdem legem* (de libertinorum suffragiis) *significavimus tulisse. Tulit autem L. Sulla, qui postea Felix appellatus est, Q. Pompeio consulibus, — quum per vim rempublicam possedisset, et ab initiis bonarum actionum ad perditas progressus esset: quod et initium bellorum civilium fuit, et propter quod ipse Sulpicius consulis armis iure oppressus esse visus est.* Plutarch. Sulla c. 10. 1. Σύλλας δὲ τὴν βουλὴν συναγαγὼν καταψηφίζεται θάνατον αὐτοῦ τε Μαρίου καὶ ὀλίγων ἄλλων, ἐν οἷς Σουλπίκιος ἦν ὁ δήμαρχος. Ἀλλὰ Σουλπίκιος μὲν ἀπεσφάγη προδοθεὶς ὑπὸ θεράποντος. Appian. B. C. I. c. 60. Τότε δὲ Σουλπίκιον, δημαρχοῦντα ἔτι, καὶ σὺν αὐτῷ Μάριον, ἑξάπους ὑπατευκότα, καὶ τὸν Μαρίου παῖδα, καὶ Πούπλιον Κέθηγον, καὶ Ἰούνιον Βροῦτον, καὶ Γναῖον καὶ Κόϊντον Γράνιον, καὶ Πούπλιον Ἀλβινουανόν, καὶ Μάρκον Λαιτώριον, ἑτέρους τε ὅσοι μετ' αὐτῶν, ἐς δώδεκα μάλιστα, ἐκ Ῥώμης διεπεφεύγεσαν, ὡς στάσιν ἐγείραντας καὶ πολεμήσαντας ὑπάτοις, καὶ δούλοις κηρύξαντας ἐλευθερίαν εἰς ἀπόστασιν, πολεμίους Ῥωμαίων ἐψηφίστο εἶναι, καὶ τὸν ἐντυχόντα νηποινεὶ κτείνειν, ἢ ἀνάγειν ἐπὶ τοὺς ὑπάτους· τά τε ὄντα αὐτοῖς δεδήμευτο. Καὶ ζητηταὶ διέδεσαν ἐπὶ τοὺς ἄνδρας· οἳ Σουλπίκιον μὲν καταλαβόντες ἔκτειναν. Conf. Nepos Att. c. 2. 1. Velleius II. c. 18 sq. Florus III. c. 21. Eutrop. V. c. 4. Oros. V. c. 19.

(4) Marius, a Sulla pulsus, primum Minturnas deinde in Africam fugit. I. c. 7. 19. III. c. 32. 101. IV. c. 30. 76. V. c. 36. 94.

Cic. in Pison. c. 19. 43. *C. Marius, quem Italiâ, servata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa, devicta ab eodem, expulsum et naufragum vidit.* Livius Epit. 77. *C. Marius pater, quum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis: et, quum missus ad occidendum eum servus, nationę Gallus, maiestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publicę in navim delatus est in Africam.* Velleius II. c. 19. 1. *Tum Sulla contracto exercitu ad Urbem rediit, eamque armis occupavit. — Marius post sextum consulatum annumque LXX. nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricae, in quam se, fugiens consectantes Sullae equites, abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnensium iussu duumviri perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno eiulatu, expromente indignationem casus tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere. Tum cives, ab hoste misereri paullo ante principis viri docti, instructum eum viatico collataque veste in navem imposuerunt. At ille, adsecutus circa Aenariam filium, cursum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit.* Orosius V. c. 19. Appian. B. C. I. c. 61 sq. *Ὁ δὲ Μάριος αὐτοὺς ἐς Μιντούρνας διέφυγεν, ἔρημος ὑπηρέτου τε καὶ θεραπόντος.* c. 62. *Οἱ τῆς Μιντούρνης ἄρχοντες — τὸν Μάριον αὐτίκα τῆς πόλεως ἐξέπεμπον ὅπῃ δύναιτο σώζεσθαι. — Κατήχθη δὲ ἔς τινα νῆσον, ὅθεν ναῦς οἰκείων ἀνδρῶν παραπλεούσης ἐπιτυχών, ἐς Λιβύην ἐπέρα.* Plutarch. Mar. c. 38 sqq. Quodsi Marius, ut Velleius l. c. scribit, h. a. iam attigerit septuagenariam aetatem, necesse est eum natum fuisse a. U. C. 596. [666—70 = 596.] Conf. ad a. 668. 1.

(5) L. Plotius Gallus, quem eximie dilexit C. Marius, I. c. 2. 4. primus Latine docere coepit Romae. I. c. 18. 55.

Hieronym. in Euseb. Chron. ad Olymp. 173. 1. [= a. U. C. 666.] *L. Plotius Gallus primus Romae Latinam Rhetoricam docuit; de quo Cicero sic refert: »Memoria teneo, pueris nobis, primum Latine docere coepisse Plotium quendam.«* Seneca Controv. Praef. Lib. II. p. 134. (Bip.) *Primus omnium Latinus rhetor Romae fuit, puero Cicerone, Plotius.* Quintil. II. c. 4. 42. *Latinos dicendi praeceptores extremis L. Crassi*

temporibus [v. ad a. 663. 2.] *coepisse, Cicero auctor est* [de Orat. III. c. 24. 93.]: *quorum insignis maxime Plotius fuit.* Cf. II. c. 8. 143. Schol. Bob. ad Orat. pro Archia p. 357. A. Weichert. Poetar. Latin. Reliq. p. 218. 7. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXVIII. p. 380.

(6) M. Aemilius Scaurus, qui per triginta et plures annos seditiosis omnibus restiterat, senex confert se ad scribendum libros de Vita sua. I. c. 5. 12.

Cic. pro Sextio c. 47. 101. *Propugnatores autem reipublicae qui esse voluerunt, si leviores sunt, desciscunt: si timidiores, desunt: permanent illi soli, atque omnia reipublicae caussa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, quem nulla umquam vis, nullae minae nulla invidia labefecit.* Cfr. quae de his libris diximus in Programmate Scholastico de Romanis Autobiographis p. 4 sqq.

(7) Cicero Romae operam dat Phaedro Epicureo; I. c. 28. 92. deinde Philoni, Academiae principi: qui cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugus Romam venerat. I. c. 31. 101. X. c. 5. 12.

Dialog. de Orat. c. 30. 2. *Natus est vobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte — refert — se apud Q. Mucium ius civile didicisse* [v. ad a. 665. 1.], *apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum* [v. ad a. 669. 2.], *omnes philosophiae partes penitus hausisse.* Plutarch. Cic. c. 3. 4. *Ἀπαλλαγὶς δὲ τῶν ἐν παισὶ διατριβῶν Φίλωνος ἥψατο τοῦ ἐξ Ἀκαδημίας, ὃν μάλιστα Ῥωμαίων τῶν Κλειτομάχου συνήθων καὶ διὰ τὸν λόγον ἐθαύμασαν καὶ διὰ τὸν τρόπον ἠγάπησαν.* Id. Lucull. c. 42. 3. *Τὸν Ἀσκαλωνίτην Ἀντίοχον — ὁ Λούκουλλος — ἀνεστάτωτο τοῖς Φίλωνος ἀκροαταῖς, ὧν καὶ Κικέρων ἦν.* De Phaedro cf. C. Petersen, *Phaedri Epicurei, vulgo Anonymi, Fragmentum de Natura Deorum* (*Herculani repertum*) Hamb. 1833. 4°. Alex. Ollevis, *de Phaedro Epicureo s. de Romanis Epicuri sectatoribus circa Caesaris tempora.* Paris. 1841. 8°. De Philone cf. C. L. Grysar, *Die Akademiker Philo u. Antiochus.* Köln, 1849. 4°. C. F. Hermann, *Disput. de Philone Larissaeo.* Gotting. 1851. 4°.

(8) Hoc anno Q. Mucius Scaevola augur Laelii de Amicitia sermonem, habitum ab illo paucis diebus post mortem Africani, Aquillio et Tuditano coss. a. 624., Ciceroni exposuit; quem sermonem hic postea (a. 710.) litteris consignavit. X. c. 22. 61.

Ad hunc certe annum vixisse Scaevolam augurem apparet inde quod Sullae victori se opposuerit: Valer. Max. III. c. 8. 5. *Dispulsis prostratisque inimicorum partibus, Sulla occupata Urbe senatum armatus coegerat, ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius quam celerrime hostis iudicaretur. Cuius voluntati nullo obviam ire audente, solus Scaevola interrogatus de hac re sententiam dicere noluit. Quin etiam truculentius sibi minitanti Sullae: »Licet, inquit, mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes; licet mortem identidem mineris; numquam tamen efficies, ut propter exiguum senilemque sanguinem meum, Marium, a quo Urbs et Italia conservata est, hostem iudicem.«*

(9) Mortuo Scaevola augure, Cicero se confert ad Q. Mucium Scaevolam pontificem, iurisconsultum eloquentissimum. I. c. 26. 87.

Cic. Brut. c. 39. 145. *Eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola.* c. 44. 163. *Scaevolae dicendi elegantiam satis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam.* Velleius II. c. 9. 2. *Q. Mucius iuris scientia quam proprie eloquentiae nomine celebrior fuit.* Quintil. XII. c. 3. 9. *M. Cato quum in dicendo praestantissimus, tum iuris idem fuit peritissimus, et Scaevolae Servioque Sulpicio concessa est etiam facundiae virtus.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLIX. p. 317.

ANNUS VITAE CICERONIS XX.

a. U. C.	Coss. CN. OCTAVIUS.	a. A. C.
667.	L. CORNELIUS CINNA.	87.

(1) Sulla, rebus in Urbe compositis, ad bellum Mithridaticum proficiscitur; unde demum rediit a. 671., per quod intervallum fere respublica sine iure fuit et sine ulla dignitate, excitatis continuo motibus a Cinna, Mario, aliis. I. c. 32. 102.

Livius Epit. 77. *L. Sulla civitatis statum ordinavit: exinde colonias deduxit.* Eutropius V. c. 4. (*Sulla*) *primus urbem Romam armatus ingressus est, Sulpicium interfecit, Marium fugavit; atque ita, cos. ordinatis in futurum annum Cn. Octavio et L. Cornelio Cinna, ad Asiam*

profectus est. c. 7. *Dum Sulla in Achaia atque Asia Mithridatem vincit, Marius, qui fugatus erat, et Cornelius Cinna, unus ex consulibus, bellum in Italia reparārunt, et ingressi urbem Romam, nobilissimos ex senatu et consulares viros interfecerunt, multos proscripserunt: ipsius Sullae domo eversa, filios et uxorem ad fugam compulerunt: universus reliquus senatus, ex Urbe fugiens, ad Sullam in Graeciam venit, orans, ut patriae subveniret.* Florus III. c. 21. 9. *Cornelio Cinna, Cnaeo Octavio coss. male obrutum resurrexit incendium, et quidem ab ipsorum discordia, quum de revocandis, quos senatus hostes iudicaverat, ad populum referretur. Cincta quidem gladiis concione, sed vincentibus quibus pax et quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes. Redit ab Africa Marius clade maior, siquidem carcer, catenae, fuga, exsilium horrificaverant dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri late concurritur: servitia (pro nefas!) et ergastula armantur: et facile invenit exercitum miser imperator.* Velleius II. c. 23. 3. *Dominante in Italia Cinna maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit.* c. 24. 4. *quum per triennium Cinnanae Marianaeque partes Italiam obsiderent* cet. Plutarch. Sulla c. 10. 1. *Σύλλας δὲ τὴν βουλὴν συναγαγὼν καταψηφίζεται θάνατον αὐτοῦ τε Μαρίου καὶ ὀλίγων ἄλλων, — καὶ θεραπεύων τὸ τῶν πολλῶν μῖσος ὕπατον κατέστησεν ἀπὸ τῆς ἐναντίας στάσεως Λεύκιον Κίνναν ἀραῖς καὶ ὅρκοις καταλαβὼν εὐνοήσειν τοῖς ἑαυτοῦ πράγμασιν. — Παραλαβὼν δὲ τὴν ἀρχὴν εὐθὺς ἐπεχείρει τὰ καθεστῶτα κινεῖν καὶ δίκην ἐπὶ τὸν Σύλλαν παρεσκεύασε καὶ κατηγορεῖν ἐπέστησεν Οὐεργίνιον, ἕνα τῶν δημάρχων, ὃν ἐκεῖνος ἅμα τῷ δικαστηρίῳ χεῖρας ἐᾶσας ἐπὶ Μιθριδάτην ἀπῆρε.* Conf. Id. Mar. c. 41. Appian. B. C. I. c. 64 sq. Oros. V. c. 19.

(2) Cn. Octavius collegam suum, L. Cornelium Cinnam, novas turbas concitantem latis per vim legibus perniciosis, ex Urbe expellit; abrogatoque magistratu senatus in pulsi consulis locum sufficit L. Cornelium Merulam. III. c. 32. 101.

Cic. de Harusp. resp. c. 25. 54. *Cum Octavio collega Cinna dissedit. Utrique horum secunda fortuna regnum est largita, adversa mortem.* Livius Epit. 79. *L. Cornelius Cinna quum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus Urbe a Cn. Octavio collega cum sex tribunis plebis.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 69. *L. Cornelius Cinna primo consulatu legem de exsulibus revocandis ferens ab Octavio collega prohibitus et honore privatus Urbe profugit.* Velleius II. c. 20. 3. (*Cinna*) *pulsus collegae optimatiumque viribus, quum in Campaniam tenderet,*

ex auctoritate senatus consulatus ei abrogatus est, suffectusque in eius locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis. Appian. B. C. I. c. 65. *Ἡ μὲν δὴ βουλὴ τὸν Κίνναν, ὡς ἐν κινδύνῳ τε τὴν πόλιν καταλιπόντα ὕπατον, καὶ δούλοις ἐλευθερίαν κηρύξαντα, ἐψηφίσατο μήτε ὕπατον μήτε πολίτην ἔτι εἶναι· καὶ Λεύκιον Μερόλαν ἐχειροτόνησαν ἀντ' αὐτοῦ, τὸν ἱερέα τοῦ Διός.* Plutarch. Mar. c. 41. 1. *Ἐν δὲ Ῥώμῃ Σύλλας μὲν ἠκούετο τοῖς Μιθριδάτου πολεμεῖν στρατηγοῖς περὶ Βοιωτίαν, οἱ δὲ ὕπατοι στασιάσαντες ἐχώρουν εἰς ὅπλα. Καὶ μάχης γενομένης Ὀκτάβιος μὲν κρατήσας ἐξέβαλε Κίνναν ἐπιχειροῦντα τυραννικώτερον ἄρχειν καὶ κατέστησεν ἀντ' αὐτοῦ Κορνήλιον Μερουλᾶν ὕπατον, ὁ δὲ Κίννας ἐκ τῆς ἄλλης Ἰταλίας συναγαγὼν δύναμιν αὖθις διεπολέμει πρὸς αὐτούς.*

(3) Cinna autem Italicas civitates sollicitat, App. Claudii exercitum ad Nolam in potestatem suam accipit, Marium cum reliquis exsulibus revocat. III. c. 32. 101. Quo facto hic ad Urbem cum exercitu accedit, eamque captam caedibus et rapinis vastat. I. c. 7. 19. Octavius consul iussu Cinnae interficitur, multique senatores, in iisque clarissimi viri, Q. Catulus, M. Antonius, C. et L. Caesares fratres, trucidantur. I. c. 31. 101. III. c. 32. 101.

Livius Epit. 79. (*Cinna*), *imperio ei abrogato, corruptum App. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, et bellum Urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus.* — 80. *Cinna et Marius in Urbem recepti sunt: qui, velut captam, eam caedibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio consule occiso, et omnibus adversae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Caesare, quorum capita in Rostris posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriae occisus: pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit.* Velleius II. c. 20. 4. *Tum Cinna, corruptis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam spe largitionis militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. — C. Marium cum filio de exsilio revocavit, quique cum iis pulsi erant.* c. 21. 1. *Cn. Pompeius, Magni pater, — magno atrocique praelio cum Cinna conflixit. — Cinna et Marius, haud incruentis utrimque certaminibus editis, Urbem occupaverunt: sed prior ingressus Cinna de recipiendo Mario legem tulit.* c. 22. 1. *Mox C. Marius pestifero civibus suis reditu intravit moenia. — Neque licentia gladiorum in mediocres saevitum, sed excelsissimi quique atque eminentissimi civitatis viri variis suppli-*

ciorum generibus affecti, in iis cos. Octavius, vir lenissimi animi, iussu Cinnae interfectus est. Merula autem — incisis venis, superfusoque altaribus sanguine — optime de republica meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae, gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, iussu Marii Cinnaeque confossus est. Q. Catulus, et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, — mortem magis voto, quam arbitrio inimicorum obiit. Conf. Appian. B. C. I. c. 65—74. Plutarch. Mar. c. 41—44. Sulla c. 10. Diodor. T. X. p. 202—204. Oros. V. c. 19. Aurel. Victor. de Vir. ill. c. 69. Florus III. c. 21. 9—17. Eutrop. V. c. 7. Schol. Gron. ad Catil. p. 410. Cic. Tusc. V. c. 19. 55. de Orat. III. c. 3. 9. Valer. Max. VIII. c. 9. 2. IX. c. 12. 4. Dio XLV. c. 47. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XLIV. p. 270. XLVII. p. 280. LIV. p. 330.

(4) Eo bello crinitas stellas in caelo visas harioli et vates magnarum calamitatum praenuntias esse dixerunt. X. c. 17. 44.

Cic. de N. D. II. c. 5. 13. *Cleanthes quidem noster quattuor de causis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones: — tum facibus visis caelestibus; tum stellis iis, quas Graeci cometas, nostri crinitas vocant, quae nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum praenuntiae.* Plinius H. N. II. c. 25. 23. *Cometes numquam in occasura parte caeli est: terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio consule.*

(5) T. Pomponius, Ciceronis amicus, annum agens XXIII. Athenas se confert; ubi per duos fere et viginti annos mansit. Cum hoc viro Cicero et frequens exercuit epistolarum commercium (v. ad a. 686. 2.) et per totam vitam familiarissime vixit. I. c. 25. 81. c. 37. 115 sq. III. c. 35. 109. IV. c. 18. 45. VI. c. 12. 28. VIII. c. 24. 59. c. 33. 86. X. c. 12. 29. c. 21. 58. c. 22. 60.

Nepos Att. c. 2. 1. *Adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi. Nam Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio, fratri Sulpicii. Itaque interfecto Sulpicio, posteaquam vidit Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, quum alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus, idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit. — c. 4. 5. Tranquillatis au-*

tem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta et L. Torquato coss. [v. ad a. 689. 5.] — c. 5. 3. *Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni, easque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu vivebat coniunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto, ut iudicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem.* Cf. J. G. Hulleman, Diatribe *in T. Pomponium Atticum.* Traiecti ad Rh. 1838. 8°. p. 22 sqq.

ANNUS VITAE CICERONIS XXI.

a. U. C.	Coss. L. CORNELIUS CINNA II.	a. A. C.
668.	C. MARIUS VII.	86.

(1) Marius cos. Idibus Ianuar. [= 13 Ianuar.] moritur aetate amplius septuagenaria; in cuius locum suffectus est L. Valerius Flaccus. IV. c. 30. 76.

Livius Epit. 80. *Cinna et Marius — citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renuntiaverunt: eodemque die, quo magistratum inierant* [Kal. Ian.], *Marius Sex. Licinium senatorem de saxo deiici iussit; editisque multis sceleribus, Idibus Ianuariis decessit: vir, cuius si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit.* Velleius II. c. 23. 1. *Secundum deinde consulatum Cinna, et septimum Marius in priorum dedecus iniit. Cuius initio morbo oppressus decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus quietisque impatientissimus. In huius locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimae legis auctor, qua creditoribus quadrantem solvi iusserat.* [Cf. Cic. pro Font. c. 1. 1. Sall. Cat. c. 33.] Plutarch. Mar. c. 45. 3. *Ὕπατος μὲν οὖν ἀπεδείχθη τὸ ἕβδομον Μάριος καὶ προελθὼν αὐταῖς Καλάνδαις Ἰανουαρίαις, ἔτους ἀρχῇ, Σέξτον τινὰ Λικίνιον κατεκρήμνισεν.* — 11. *Διὸ ἔτη μὲν ἑβδομήκοντα βεβιωκὼς, ὕπατος δὲ πρῶτος ἀνθρώπων ἐπτάκις ἀνηγορευμένος — ὠδύρετο τὴν ἑαυτοῦ τύχην ὡς ἐνδεὴς καὶ ἀτελὴς ὧν ἐπόθει προαποθνήσκων.* Ibid. c. 46. 6. *Ἀποθνήσκει δ' οὖν Μάριος ἡμέρας ἑπτακαίδεκα τῆς ἑβδόμης ὑπατείας ἐπιλαβών* [d. 17. Ianuar.]. Verius videtur quod Plutarchus scripsit c. 41. 4. *ὑπὲρ ἑβδομήκοντα γεγονὼς ἔτη*, si quidem huius annus natalis fuerit 596. ut diximus ad a. 666. 4. Conf. Florus III. c 21. 17. Orosius V. c. 19. Appian. B. C. I. c. 75.

(2) M. Marius Gratidianus, propinquus Ciceronis, praetor magnos motus Romae excitat. I. c. 12. 30.

Cic. de Off. III. c. 20. 80. *Ne noster quidem Gratidianus officio boni viri functus est tum, quum praetor esset, collegiumque praetorum tribuni plebis adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur: iactabatur enim temporibus illis nummus, sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum poena atque iudicio constituerunt que, ut omnes simul in rostra post meridiem escenderent. Et ceteri quidem alius alio; Marius ab subselliis in rostra recta, idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit. Omnibus vicis statuae; ad eas thus, cerei. Quid multa? nemo umquam multitudini fuit carior. — Mario praeripere collegis et tribunis plebis popularem gratiam non ita turpe, consulem ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, valde utile videbatur.* Plinius H. N. XXXIII. c. 9. 46. *Miscentur aeri falsae monetae. Alii e pondere subtrahunt, quum sit iustum* LXXXIV *e libris signari. Igitur ars facta denarios probare, tam iucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit.* Seneca de Ira III. c. 18. 1. *M. Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure et vino supplicabat, L. Sulla* [a. U. C. 672.] *perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit; et quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paullatim et per singulos artus laceravit. Quis erat huius imperii minister? quis, nisi Catilina, iam in omne facinus manus exercens?* Cf. Florus III. c. 21. 26. Valer. Max. IX. c. 2. 1. Ascon. ad Orat. in toga cand. p. 84. Q. Cicero de petit. consul. c. 3. 10.

(3) Hoc tempore Cicero scripsit libros rhetoricos, quorum duo *de Inventione* sunt superstites; quos ne ipse quidem provectiori aetate probavit. I. c. 33. 105.

Quintil. II. c. 15. 5. *Cicero pluribus locis scripsit, oratoris officium esse, dicere apposite ad persuadendum. In rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse non probat, finem facit persuadere.* III. c. 1. 20. *Praecipuum vero lumen sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque eius, dedit unicum apud nos specimen orandi, docendique oratorias artes, M. Tullius: post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret.* III. c. 6. 58. *Nec me fallit, in primo Ciceronis rhetorico aliam esse loci negotialis interpretationem, quum ita scriptum sit* [c. 11. 14.] »*Negotialis est*," cet. — *Sed quod ipsius de his libris iudicium fuerit, supra dixi. Sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholae: et si*

qua est in his culpa, tradentis est: sive eum movit, quod Hermagoras prima in hoc loco posuit exempla ex quaestionibus iuris; sive, quod Graeci πραγματικοὺς vocant iuris interpretes. Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de Oratore substituit, ideoque culpari, tamquam falsa praecipiat, non potest. Ibid. 64. *Et M. Tullius non dubitavit aliquos suos libros iam editos aliis postea scriptis ipse damnare, sicut — hos ipsos, de quibus modo sum locutus, artis Rhetoricae.*

ANNUS VITAE CICERONIS XXII.

a. U. C.	Coss. L. CORNELIUS CINNA III.	a. A. C.
669.	CN. PAPIRIUS CARBO.	85.

(1) Per hunc et sequentem annum Cicero saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliis aequalibus Latine, saepius autem Graece declamitavit. I. c. 32. 104. X. c. 15. 55.

Sueton. de Clar. Rhet. c. 1. *Cicero ad praeturam usque Graece declamavit: Latine vero senior quoque.* Cic. Brut. c. 68. 239. *Meus — aequalis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. — Noster item aequalis D. Silanus, studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis. Q. Pompeius A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio quam nos fortasse maior, summo studio dicendi multaque doctrina, incredibili labore atque industria; quod scire possum: fuit enim mecum et cum M. Pisone quum amicitia tum studiis exercitationibusque coniunctus. — Erat eius aequalis P. Autronius — et L. Octavius Reatinus — et C. Staienus —. Eodem tempore C. et L. Caepasii fratres fuerunt* cet.

(2) Et quum in domo Ciceronis habitaret Diodotus Stoicus, ab hoc quoque quum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebatur. I. c. 28. 93. c. 32. 103. X. 27. 78.

Cic. Epist. ad Caesar. (ad Fam. XIII. 16. 4.) *Doctum hominem cognovi (Apollonium, Crassi libertum) et studiis optimis deditum, idque a puero. Nam domi meae cum Diodoto Stoico, homine meo iudicio eruditissimo,*

multum a puero fuit. Dialog. de Orator. c. 30. 2. *Notus est vobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte — refert — se apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse.* [v. ad a. 695. 10.]

(3) Tum *Xenophontis Oeconomicum* e Graeco in Latinum sermonem convertit. I. c. 24. 79.

Cic. de Off. II. c. 24. 87. *Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur: quem nos ista fere aetate quum essemus, qua es tu nunc* [Cicero filius tum circiter viginti annos erat natus], *e Graeco in Latinum convertimus.* Quintil. X. c. 5. 2. *Vertere Graece in Latinum veteres nostri oratores optimum indicabant. — Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos.* Servius ad Virgil. Georg. I. 43. *Sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Oeconomicum: cuius pars ultima agriculturam continet; de qua parte multa ad suum opus Virgilius transtulit, sicut etiam de — Ciceronis quoque libro tertio Oeconomicorum, qui agriculturam continet. Nam primus praecepta habet, quemadmodum debeat materfamilias domi agere; secundus, quemadmodum foris paterfamilias.* Hieronym. in praefat. in Euseb. Chron. p. 3. (Scal.) *Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus est, et quum Aratum iam Romanum hexametris versibus edidisset* [v. ad a. 664. 6.], *in Xenophontis Oeconomico lusit; in quo opere ita saepe aureum illud flumen eloquentiae quibusdam scabris et turbulentis obicibus retardatur, ut qui interpretatum nesciunt a Cicerone, dicta non credant.* Columella XI. c. 1. 5. *In Oeconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino sermoni tradidit* cet. XII. Praef. 7. *Haec in Oeconomico Xenophon, et deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit, non inutiliter disseruerunt.*

ANNUS VITAE CICERONIS XXIII.

a. U. C.	Coss. CN. PAPIRIUS CARBO II.	a. A. C.
670.	L. CORNELIUS CINNA IV.	84.

Sulla, bello feliciter gesto, Mithridatem in Asiam invectum cum pace dimittit. I. c. 54. 107.

Livius Epit. 82. *Sulla copias regis, quae, Macedonia occupata, in*

Thessaliam venerant, praelio vicit, caesis hostium centum milibus, et castris quoque oppugnatis. Renovato deinde bello, iterum exercitum regis fudit ac delevit. — 83. Sulla, quum in Asiam traiecisset, pacem cum Mithridate fecit; ita ut is cederet provinciis Asia, Bithynia, Cappadocia. Velleius II. c. 23. 6. *Transgressus deinde in Asiam Sulla parentem ad omnia supplicemque Mithridatem invenit. Quem mulctatum pecunia ac parte navium Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coegit, captivos recepit, in perfugas noxiosque animadvertit, paternis id est Ponticis finibus contentum esse iussit.* Eutrop. V. c. 6. *Mithridates cum Sulla de pace agi iussit. — c. 7. Postea ad colloquium ambo venerunt; pax inter eos ordinata est, ut Sulla, ad bellum civile festinans, a tergo periculum non haberet.* Appian. B. C. I. c. 76. Σύλλας δ'— ἔτεσιν οὐδ' ὅλοις τρισὶν, ἐκκαίδεκα μὲν ἀνδρῶν μυριάδας κατακανὼν, τὴν δὲ Ἑλλάδα καὶ Μακεδονίαν καὶ Ἰωνίαν καὶ Ἀσίαν, καὶ ἄλλα ἔθνη πολλὰ, ὅσα Μιθριδάτης προεπολέμει, ἐς Ῥωμαίους ἀναλαβὼν, αὐτόν τε τὸν βασιλέα τὰς ναῦς ἀφελόμενος, καὶ ἐς μόνην τὴν πατρώαν ἀρχὴν ἐκ τοσῶνδε κατακλείσας, ἐπαγῆσι. Id. B. Mithr. c. 54—58. Cf. Plutarch. Sulla c. 22. Florus III. c. 5. 11. Strabo XIII. p. 594. Dio fragm. 173. 1. T. 1. p. 73. (fragm. 105. Bekk.). Memnon apud Photium cod. 224. Orosius VI. c. 2.

ANNUS VITAE CICERONIS XXIV.

a. U. C.	Coss. L. CORNELIUS SCIPIO ASIATICUS.	a. A. C.
671.	C. IUNIUS NORBANUS BULBUS.	83.

(1) Sulla pace cum Mithridate facta in Italiam redit, pro recuperanda republica bellum civile gesturus adversus Scipionem et Norbanum consules. I. c. 34. 107.

Orosius V. c. 20. *Interea residui senatorum, qui potentiam Cinnae, Marii crudelitatem, insaniam Fimbriae, Sertoriique audaciam fuga evaserant, transvecti in Graeciam, coegere precibus Sullam, ut periclitanti, immo iam paene perditae patriae, opem ferret. Igitur Sulla, mox ut Campanum littus attigit, Norbanum consulem praelio oppressit* cet. Velleius II. c. 24. 3. *Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, — revectus in Italiam haud plura quam triginta armatorum milia adversus*

ducenta milia amplius hostium exposuit Brundisii. sqq. Livius Epit. 85. *Sulla in Italiam cum exercitu traiecit, missisque legatis, qui de pace agerent, a consule C. Norbano violatis, eumdem Norbanum praelio vicit. Et quum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem iungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis, sollicitatus per emissos a Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio, quum occidi posset, dimissus est.* Eutrop. v. c. 7. *Ille in Italiam traiecit, bellum civile gesturus adversus Norbanum et Scipionem coss. Et primo praelio contra Norbanum dimicavit non longe a Capua; tum* VII *milia eius cecidit,* VI *milia cepit,* CXXIV *suorum amisit. Inde etiam ad Scipionem se convertit, et ante praelium totum eius exercitum sine sanguine in deditionem accepit.* Plutarch. Sulla c. 27 sq. Appian. B. C. I. c. 79 sqq. Diodor. fragm. T. X. p. 210. Florus III. c. 21. 18.

(2) Hoc anno, qui erat vicesimus ante Ciceronis consulatum, Capitolium prid. Non. Quint. (= 6 Iulii) concrematum est. III. c. 22. 70.

Cassiodorus: *L. Scipio et C. Norbanus. His coss. Capitolium custodum negligentia concrematur.* Obsequens c. 118. *L. Scipione C. Norbano coss. — Aeditui (culpa) Capitolium una nocte conflagravit.* Tacit. Hist. III. c. 72. *Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata —. Voverat Tarquinius Priscus rex, bello Sabino —: pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum consul* [a. U. C. 247.] *dedicavit. — Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto* CCCCXV [rect. CCCCXXV. ab a. 247—671.] *annorum spatio L. Scipione C. Norbano coss. flagraverat. Curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati eius negatum.* Appian. B. C. I. c. 83. *Τό τε Καπιτώλιον, ὑπὸ τῶν βασιλέων τετρακοσίοις που πρόσθεν ἔτεσι γενόμενον, ἐνεπρήσθη, καὶ τὴν αἰτίαν οὐδεὶς ἐπενόει.* — c. 86. *Αἷς ἡμέραις καὶ τὸ Καπιτώλιον ἐνεπίμπρατο· καὶ τὸ ἔργον τινὲς ἐλογοποίουν Κάρβωνος, ἢ τῶν ὑπάτων, ἢ Σύλλα πέμψαντος, εἶναι. Τὸ δ' ἀκριβὲς ἄδηλον ἦν, καὶ οὐκ ἔχω τὴν αἰτίαν ἐγὼ συμβαλεῖν, δι' ἣν ἂν οὕτως ἐγένετο.* Plutarch. Sulla c. 27. 11. *Ἐμπεπρῆσθαι τὸ Καπιτώλιον· ὃ καὶ συμβῆναι τῆς ἡμέρας ἐκείνης —. ἦν δὲ αὕτη πρὸ μιᾶς νόνων Κυντιλίων, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦμεν.* Conf. Dionys. Hal. A. R. IV. c. 61. 62. Cic. in Verr. Act. II. L. IV. c. 31. 69. Plin. H. N. XXXIII. c. 5. Augustin. de Civ. Dei II. c. 24. Sallust. Catil. c. 47.

(3) Papirio Carboni in Galliam, provinciam consularem, profecto, quaestor in eamdem provinciam proficiscitur C.

Verres; qui, simulac primum ei occasio visa est, aversa pecunia publica, consulem, exercitum, sortem provinciamque deseruit. II. c. 6. 16. c. 16. 44. c. 19. 52.

Cic. in Verr. Act. II. L. I. c. 4. 11. *Reperiemus, si istum vivum ad aliud iudicium perducere poterimus, quibus probemus, istum in quaestura pecuniam publicam Cn. Carboni consuli datam avertisse: quibus persuadeamus, istum alieno nomine a quaesteribus urbanis, quod priore Actione didicistis, pecuniam abstulisse.* Ibid. c. 13. 34. *Quaestor ex senatus consulto provinciam sortitus es. Obtigit tibi consularis, ut cum consule Cn. Carbone esses eamque provinciam obtineres. — Carbo graviter ferebat, sibi quaestorem obtigisse hominem singulari luxuria atque inertia. Verumtamen ornabat eum beneficiis omnibus. Ne diutius taceam, pecunia attributa, numerata est. Profectus est quaestor in provinciam. Venit exspectatus in Galliam ad exercitum consularem cum pecunia. Simulac primum ei occasio visa est — aversa pecunia publica quaestor consulem, exercitum, sortem provinciamque deseruit.* Ibid. Act. II. L. III. c. 76. 177. Pseudo-Ascon. in Act. I. p. 129. *Carbo Marianae partis dux idemque consul desertus Arimini est a quaestore suo Verre, spoliatus pecunia publica, quam quaestor in exercitu de aerario sumpserat, quum ad Sullam ille transiret proditor partium Marianarum.* Scholiasta Gronov. in Act. I. p. 387. *Depeculatorem aerarii, publicae pecuniae, quam furatus est, quum quaestor esset Carbonis C. Verres, qui Marianus fuit. Dum erat consul in Gallia, quaestor fuit, et sublata pecunia publica suum consulem deseruit, et ad Sullanas transfugit partes.* [Cf. ad a. 674. 2.]

ANNUS VITAE CICERONIS XXV.

a. U. C.	Coss. C. MARIUS C. F.	a. A. C.
672.	CN. PAPIRIUS CARBO III.	82.

(1) Sulla cum exercitu in Italiam regressus, occisis inimicis, urbem Romam recipit et pulcherrimam victoriam summa inquinat crudelitate. I. c. 34. 108. III. c. 32. 101.

Velleius II. c. 26. 1. *Deinde consules Carbo tertium et C. Marius, septies consulis filius, annos natus* XXVI [cf. Livius Ep. 86.], *vir animi*

magis quam ingenii paterni — apud Sacriportum pulsus a Sulla acie, Praeneste, quod ante, natura munitum, praesidiis firmaverat, se exercitumque contulit. — c. 27. 1. *At Pontius Telesinus, dux Samnitium,* — *Carbone ac Mario consulibus, abhinc annos* CXI [a. U. C. 783—111 = 672.], *Kalendis Novembribus, ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum discrimen et eum et rempublicam perduceret.* Livius Epit. 87. *Sulla C. Marium, exercitu eius fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Praeneste obsedit: urbem Romam ex inimicorum manibus recepit: Marium erumpere tentantem repulit.* — c. 88. *Sulla Carbonem, exercitu eius fuso ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque caeso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant, iuxta urbem Romanam ante portam Collinam debellavit: recuperataque republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo milia deditorum in villa publica trucidavit: tabulam proscriptionis proposuit: Urbem ac totam Italiam caedibus replevit: inter quas omnes Praenestinos inermes concidi iussit: Marium, senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus praesectis, et effossis oculis, necavit.* Appian. B. C. I. c. 89. *Σύλλας δ'* — *αὐτίκα ἐπελθὼν, τὴν μὲν στρατιὰν ἴδρυσε πρὸ τῶν πυλῶν ἐν τῷ 'Αρείῳ πεδίῳ· αὐτὸς δ' εἴσω παρῆλθεν, ἐκφυγόντων τῶν ἀντιστασιωτῶν ἁπάντων κτέ.* Conf. Plutarch. Sulla c. 28 sqq. Florus III. c. 21. Eutrop. V. c. 8. Orosius V. c. 20. alii.

(2) Interim L. Damasippus praetor auctore Mario cos. omnem nobilitatem trucidat. Scaevola pontifex maximus in vestibulo aedis Vestae occiditur: item C. Carbo, consulis frater, et P. Antistius, Cn. Pompeii socer. I. c. 34. 108.

Velleius II. c. 26. 2. *Dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus praetor Domitium, Scaevolam Mucium, pontificem maximum et divini humanique iuris auctorem celeberrimum, et C. Carbonem praetorium, consulis fratrem, et Antistium aedilitium, velut faventes Sullae partibus, in curia Hostilia trucidavit.* Livius Epit. 86. *L. Damasippus praetor, ex voluntate C. Marii consulis quum senatum contraxisset, omnem, quae in Urbe erat, nobilitatem trucidavit: ex cuius numero Q. Mucius Scaevola pontifex maximus fugiens in vestibulo aedis Vestae occisus est.* Appian. B. C. I. c. 88. *Μάριος δὲ* — *βρούτῳ στρατηγοῦντι τῆς πόλεως ἐπέστελλε, σύγκλητον ὡς ἐπί τι ἄλλο συναγαγεῖν, καὶ κτεῖναι Πούπλιον 'Αντίστιον, καὶ Παπίριον Κάρβωνα ἕτερον, καὶ Λεύκιον Δομίτιον, καὶ Μούκιον Σκαιόλαν, τὸν τὴν*

μεγίστην Ῥωμαίοις ἱερωσύνην ἱερωμένον. Οἱ μὲν δὴ δύο τῶνδε ἀνῃρέθησαν ἐν τῇ βουλῇ, καθὰ Μάριος προσέταξε, τῶν σφαγέων ἐς τὸ βουλευτήριον εἰσαχθέντων· Δομίτιος δ' ἐκτρέχων, παρὰ τὴν ἔξοδον ἀνῃρέθη, καὶ μικρὸν πρὸ τοῦ βουλευτηρίου Σκαιόλας. Τὰ τε σώματα αὐτῶν ἐς τὸν ποταμὸν ἐρρίφη. Cf. Florus III. c. 21. 21. Cic. Ep. ad Paetum (ad Fam. IX. 21. 3.) de N. D. III. c. 32. 80. de Orat. III. c. 3. 10. Orosius V. c. 24. Valer. Max. IX. c. 2. 3.

(3) Cum Sulla Romam redierant oratores, qui cum eo in bellum Mithridaticum erant profecti; in quibus fuerunt C. Scribonius Curio, Cn. et P. Cornelii Lentuli, M. Licinius Crassus, Cn. Pompeius Magnus, qui omnes Sullae castra erant secuti; I. c. 34. 108. item C. Aurelius Cotta, qui dudum ante [v. ad a. 664. 3.] in exsilium abierat. I. c. 31. 99.

Dialogus de Orator. c. 37. 3. *Ex his (Actorum et Epistolarum libris Muciani) intelligi potest Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LVII. p. 338. LIX. p. 347. LXIX et LXX. p. 381. LXXI. p. 382. LXXIII. p. 387.

(4) Sulla, crudelissime trucidata magna civium multitudine, lege ad populum lata ab interrege L. Valerio Flacco Dictator creatur, omnes, quos oderat, morte mulctat eorumque bona proscribi iubet. I. c. 34. 107. III. c. 32. 101. VII. c. 41. 107. VIII. c. 20. 50. IX. c. 29. 86. c. 31. 90.

Velleius II. c. 28. 2. *Videbantur finita belli civilis mala, quum Sullae crudelitate aucta sunt. Quippe Dictator creatus (cuius honoris usurpatio per annos CXX intermissa; nam proximus post annum, quam Hannibal* [a. U. C. 552.] *Italia excesserat —) imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam olim usi erant, eo in immodicae crudelitatis licentiam usus est. Primus ille — exemplum proscriptionis invenit —. Nec tantum in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes saevitum. Adiectum etiam, ut bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus liberi etiam petendorum honorum iure prohiberentur, simulque, quod indignissimum est, sena-*

torum filii et onera ordinis sustinerent et iura perderent. Cic. de Lege Agraria III. c. 2. 5. *Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, ut omnia, quaecumque ille fecisset, essent rata. Nam quum ceteris in civitatibus, tyrannis institutis, leges omnes exstinguantur atque tollantur, hic reipublicae tyrannum lege constituit.* Plutarch. Sulla c. 30. 3. *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ — τῶν ἄλλων τοὺς παραγενομένους εἰς ἑξακισχιλίους ἀθροίσας παρὰ τὸν ἱππόδρομον ἐκάλει τὴν σύγκλητον εἰς τὸ τῆς Ἑστιοῦς ἱερόν· ἅμα δ' αὐτός τε λέγειν ἐπῄρχετο καὶ κατέκοπτον οἱ ταταγμένοι τοὺς ἑξακισχιλίους.* — c. 31. 4. *Ὁ δ' οὖν Σύλλας εὐθὺς ὀγδοήκοντα προέγραψεν οὐδενὶ τῶν ἐν τέλει κοινωσάμενος. Ἀγανακτούντων δὲ πάντων, μίαν ἡμέραν διαλιπὼν ἄλλους προέγραψεν εἴκοσι καὶ διακοσίους, εἶτα τρίτῃ πάλιν οὐκ ἐλάττους.* — c. 33. 1. *Ἔξω δὲ τῶν φονικῶν καὶ τὰ λοιπὰ τοὺς ἀνθρώπους ἐλύπει. Δικτάτορα μὲν γὰρ ἑαυτὸν ἀνηγόρευσε δι' ἐτῶν ἑκατὸν εἴκοσι* [552 + 120 = 672.] *τοῦτο τὸ γένος τῆς ἀρχῆς ἀναλαβών. Ἐψηφίσθη δὲ αὐτῷ πάντων ἄδεια τῶν γεγονότων, πρὸς δὲ τὸ μέλλον ἐξουσία θανάτου, δημεύσεως, κληρουχιῶν, κτίσεως, προθήσεως, ἀφελέσθαι βασιλείαν, ᾧ βούλοιτο χαρίσασθαι. Τὰς δὲ διαπράσεις τῶν δεδημευμένων οἴκων οὕτως ὑπερηφάνως ἐποιεῖτο καὶ δεσποτικῶς ἐπὶ βήματος καθεζόμενος, ὥστε τῶν ἀφαιρέσεων ἐπαχθέστερας αὐτοῦ τὰς ὠνὰς εἶναι κἀκεῖ.* Appian. B. C. I. c. 79. *Ὁ δ', ἐπεὶ οἱ πάντα ὡς ἐβούλετο ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς διῴκητο, — τὰ ἐν τῇ πόλει καθίστατο ἅπαντα ἐφ' ἑαυτοῦ, καθ' ὃν ἐβούλετο τρόπον. — Καὶ πάντα, ὅσα διῴκησεν ὁ Σύλλας ὑπατεύων τε καὶ ἀνθυπατεύων,* (οἱ Ῥωμαῖοι) *βέβαια καὶ ἀνεύθυνα ἐψηφίζοντο εἶναι, —.* c. 98. *Αὐτὸς μέν που τῆς πόλεως ὑπεξῆλθε, τῇ δὲ βουλῇ προσέταξεν ἑλέσθαι τὸν καλούμενον Μεταξὺ βασιλέα. Ἡ μὲν δὴ Οὐαλέριον Φλάκκον εἵλετο, ἐλπίσασα ὑπάτων προτεθήσεσθαι χειροτονίαν. Ὁ δὲ Σύλλας ἐπέστελλε τῷ Φλάκκῳ, γνώμην ἐς τὸν δῆμον ἐσενεγκεῖν, ὅτι χρήσιμον ἡγοῖτο Σύλλας, ἐν τῷ παρόντι ἔσεσθαι τῇ πόλει τὴν ἀρχὴν οὓς ἐκάλουν Δικτάτωρας, παυσάμενον ἔθος ἐκ** ἐτῶν.* Supple ἑκατὸν εἴκοσι ex Plutarcho et Velleio. Cf. Cic. de Legib. I. c. 15. 42. pro Roscio Amer. c. 43. 125. ibique Scholiasta Gronovianus p. 435. Orosius V. c. 21.

ANNUS VITAE CICERONIS XXVI.

a. U. C.	Coss. M. TULLIUS DECULA.	a. A. C.
678.	CN. CORNELIUS DOLABELLA.	81.

(1) Sulla rempublicam novis legibus constituit. I. c. 34. 108.

Livius Epit. 89. *Sulla dictator factus — legibus novis reipublicae statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit et omne ius legum ferendarum ademit, pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim; senatum ex equestri ordine supplevit; proscriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit et bona eorum vendidit.* Appianus B. C. I. c. 100. *Νόμους τε ἐξέλυε (ὁ Σύλλας), καὶ ἑτέρους ἐτίθετο· καὶ στρατηγεῖν ἀπεῖπε πρὶν ταμιεῦσαι, καὶ ὑπατεύειν πρὶν στρατηγῆσαι· καὶ τὴν ἀρχὴν τὴν αὐτὴν αὖθις ἄρχειν ἐκώλυσε, πρὶν ἔτη δέκα διαγενέσθαι. Τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν, ἀσθενεστάτην ἀποφήνας· καὶ νόμῳ κωλύσας, μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν.* Velleius l. c. — De Sulla plures scripserunt, e quibus nominasse sufficiat: Dav. Henr. et Godofr. Henr. Kleeditz, *de L. Cornelii Sullae monarchico imperio.* Vitembergae, 1744. 4°. H. M. Vockestaert, Diss. Histor. Iur. *de L. Cornelio Sulla Legislatore.* Lugd. Bat. 1816. 8°. C. S. Zachariae, *der Dictator L. Cornelius Sulla.* Heidelb. 1834. 2 voll. 8°. Alex. Wittich et C. Ramshorn, *de reipublicae Romanae forma, qua L. Corn. Sulla dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus, comitiis commutavit.* Lipsiae, 1834 et 1835. 8°. Cf. Progr. Scholast. de Romanis Autobiographis p. 13 sqq.

(2) Lege Cornelia iudicia constituuntur et ad senatorium ordinem transferuntur. I. c. 34. 108. II. c. 14. 38.

Pseudo-Ascon. in Divinat. p. 103. *C. Gracchus legem tulerat* [a. U. C. 631.] *ut equites Romani iudicarent. Iudicaverunt per annos* XL [ab a. 631—673.] *sine infamia. Post victor Sulla legem tulerat, ut senatorius ordo iudicaret; et iudicavit per* X *annos* [ab a. 673—683.] *turpiter.* Cfr. p. 99. 145. 149. Scholiasta Gronovianus in Divinat. p. 384. *Victor Sulla multa commoda a populo ad senatorium ordinem transtulerat; in his etiam iudicandi potestatem. Non enim equites, sicut consuetudo erat, sed senatores iudicare praecepit.* Cf. Tacitus Ann. XI. c. 22. Velleius II. c. 32. 3. [v. ad a. 648. 7. et 684. 1.]

(3) Cicero primum ad caussas et privatas et publicas adire coepit. I. c. 35. 109. Et annum aetatis agens XXVI. primam caussam privatam dicit pro *P. Quintio* apud C. Aquilium Gallum iudicem, contra Q. Hortensium, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinebat.

Cic. pro Quint. c. 6. 24. *Roma egreditur ante diem* IV. *Kal. Febr. Scipione et Norbano coss.* [a. U. C. 671.] c. 7. 29. *Ita tamen discedit,*

ut Idibus Septembribus [a. 671.] *P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret.* c. 8. 30. *Iste, homo acerrimus — annum et sex menses nihil petit: — a Cn. Dolabella denique praetore postulat.* [Sept. 671 + $1\frac{1}{2}$ = 673.]. Gellius XV. c. 28. 3. *Dinumeratis annis a Q. Caepione et a C. Serrano* [a. U. C. 648.], *quibus consulibus ante diem tertium Nonas Ianuarias M. Cicero natus est, ad M. Tullium et Cn. Dolabellam, quibus consulibus caussam privatam pro Quintio apud Aquilium Gallum iudicem dixit, sex et viginti anni reperiuntur. — Demosthenes et Cicero pari aetate illustrissimas orationes in caussis dixerunt, alter κατὰ Ἀνδροτίωνος καὶ κατὰ Τιμοκράτους septem et viginti annos natus, alter anno minor pro P. Quintio.* Hieronymus in Euseb. Chron. Olymp. 174. 4. [= a. U. C. $673\frac{3}{4}$]: *Vicesimo sexto anno aetatis Cicero Quintium defendit.* Cic. pro Quint. c. 2. 7. *Habet adversarium P. Quintius verbo Sex. Naevium, re vera huiusce aetatis homines disertissimos, fortissimos, ornatissimos nostrae civitatis: qui communi studio, summis opibus Sex. Naevium defendunt —. Quid hoc iniquius aut indignius, C. Aquili, dici aut commemorari potest, quam me, qui caput alterius, famam fortunasque defendam, priore loco caussam dicere? quum praesertim Q. Hortensius, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinet, contra me sit dicturus; cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 4. p. 366.

(4) Cicero Moloni Rhodio operam dat, rhetori clarissimo, qui Romam venerat ad senatum de Rhodiorum praemiis. I. c. 35. 109.

Molonem et hoc quidem tempore et semel tantum Romam venisse verisimile est. Quapropter delenda erunt, quae leguntur in Bruto c. 89. 307. *Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam et actori summo caussarum et magistro*, utpote consarcinata ex iis, quae leguntur c. 90. 312 et c. 91. 316. Quae narrantur enim c. 89 extr. ea referenda sunt ad a. U. C. 667. quo nec Sulla dictaturam tenebat, nec, bello civili flagrante et Mithridatico erumpente, Rhodii praemia postulare poterant, quae meruerunt, quum Italici auctore Mithridate per Asiam trucidabantur. Cic. in Verr. Act. II. L. II. c. 65. 159. *Rhodii prope soli bellum illud superius cum Mithridate rege gesserunt, omnesque eius copias acerrimumque imperium moenibus, littoribus, classibusque suis exceperunt.* Appian. B. Mithr. c. 24. Ἐν δὲ τούτῳ Ῥόδιοι τά τε τείχη σφῶν καὶ τοὺς λιμένας ἐχρατύναντο, καὶ μηχανὰς ἅπασιν ἐφίστανον. — Ὅσοι τε ἐξ Ἀσίας Ἰταλοὶ διεσφεύγοσαν, ἐς Ῥόδον ἅπαντες ἐχώρουν. Pro quibus auxiliis Rhodii quum praemia postularent, Molonem miserunt ad senatum. Valer. Maxim. II. c. 2. 3. *Quis*

erga huic consuetudini, qua nunc Graecis actionibus aures curiae exsurdantur, iamnam patefecit? ut opinor, Molo rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in senatu sine interprete auditum constat. Quem honorem non immerito cepit, quoniam summam vim Romanae eloquentiae ediderat. [Cf. ad a. 676. 3.]

(3) Tum quoque hoc tempore ab histrionibus gestus videtur didicisse, usus hac in re opera Roscii et Aesopi; quorum uterque et Ciceroni et universo populo valde fuit dilectus. II. c. 1. 2.

Plutarch. Cic. c. 5. 3. *Λέγεται δὲ καὶ αὐτὸς οὐδὲν ἧττον νοσήσας τοῦ Δημοσθένους πρὸς τὴν ὑπόκρισιν, τοῦτο μὲν Ῥωσκίῳ τῷ κωμῳδῷ, τοῦτο δ' Αἰσώπῳ τῷ τραγῳδῷ προσέχειν ἐπιμελῶς.* Macrob. Saturn. II. c. 10. m. *Histriones non inter turpes habitos, Cicero testimonio est: quem nullus ignorat Roscio et Aesopo histrionibus tam familiariter usum, ut res rationesque eorum sua sollertia tueretur. — Is est Roscius, qui etiam L. Sullae carissimus fuit et annulo aureo ab eodem dictatore donatus est; tanta autem fuit gratia et gloria, ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus acceperit. Aesopum vero ex pari arte ducenties sestertium reliquisse filio constat.* Cic. de Orat. I. c. 59. 251. *Quis neget opus esse oratori in hoc oratorio motu statuque Roscii gestum et venustatem?* Id. de Divinat. I. c. 36. 69. (Q. Cicero loquitur) *Amores ac delicias tuae, Roscius.* c. 37. 80. *Equidem etiam in te saepe vidi et — in Aesopo, familiari tuo, tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quaedam abstraxisse a sensu mentis videretur.* Id. Epist. ad Marium (ad Fam. VII. 1. 4.) *Quod si tam facilem populum haberem, quam Aesopus habuit* cet. Schol. Bob. ad Orat. pro Archia p. 357. *Quintum Roscium Gallum* (?) *dicit illis temporibus illustrem comici operis actorem, quem familiarissime Cicero dilexit.* [Cf. ad a. 678. 1. et 692. 10.]

ANNUS VITAE CICERONIS XXVII.

a. U. C.	Coss. L. CORNELIUS SULLA II.	a. A. C.
674.	Q. CAECILIUS METELLUS PIUS.	80.

(1) Cicero defendit *Sex. Roscium Amerinum*, parricidii

reum; I. c. 35. 109. VI. c. 17. 41. qua defensione magnam quidem sui admirationem, sed simul iram Sullae excitavit.

Gellius XV. c. 28. 3. *Neque dubium est, quin post annum, quam pro Quintio dixerat, Sex. Roscium reum parricidii defenderit, annos iam septem atque viginti natus, L. Sulla Felice* II. *Q. Metello Pio consulibus. In qua re etiam Fenestellam errasse Pedianus Asconius animadvertit, quod eum scripserit sexto et vicesimo aetatis anno pro Sex. Roscio dixisse. Longior autem Nepotis quam Fenestellae error est.* [In scilicet in primo librorum, quos de vita Ciceronis composuit, eum scripsit *tres et viginti annos natum* primam causam iudicii publici egisse, Sextumque Roscium parricidii reum defendisse.] *Nisi quis vult in animum inducere, Nepotem, studio amoris et amicitiae adductum, amplificandae admirationis gratia, quadriennium suppressisse; ut M. Cicero orationem florentissimam dixisse pro Roscio admodum adolescens videretur.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 81. *Adolescens Rosciano iudicio eloquentiam et libertatem suam adversus Sullanos ostendit.* Quintil. XII. c. 6. 3. *Si qua sunt dicta iuveniliter, pro indole accipiuntur: ut totus ille Ciceronis pro Sexto Roscio locus* [c. 26. 72] »*Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis?*" *Quae quum sex et viginti natus annos, summis audientiam clamoribus diserit, defervisse tempore, et annis liquata iam senior idem fatetur* [in Oratore c. 30. 107. qua de re conf. Al. Nikl, *Redundantiam iuvenilem in Ciceronis Orat. pro S. Roscio Amerino apparentem notavit.* Kempten, 1836. 4°.] Plutarch. Cic. c. 3. 2. *Ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ Χρυσόγονος ἀπελεύθερος Σύλλα προσαγγελίας τινὸς οὐσίαν ὡς ἐκ προγραφῆς ἀναιρεθέντος αὐτὸς ἑωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν. Ἐπεὶ δὲ Ῥώσκιος ὁ υἱὸς καὶ κληρονόμος τοῦ τεθνηκότος ἠγανάκτει καὶ τὴν οὐσίαν ἀπεδείκνυε πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων οὖσαν ἀξίαν, ὅ τε Σύλλας ἐλεγχόμενος ἐχαλέπαινε καὶ δίκην πατροκτονίας ἐπῆγε τῷ Ῥωσκίῳ, τοῦ Χρυσογόνου κατασκευάσαντος, ἐβοήθει δ' οὐδείς, ἀλλ' ἀπετρέποντο τοῦ Σύλλα τὴν χαλεπότητα δεδοικότες, οὕτω δὴ δι' ἐρημίαν τοῦ μειρακίου τῷ Κικέρωνι προσφυγόντος, οἱ φίλοι συμπαρώρμων, ὡς οὐκ ἄν αὐτῷ λαμπροτέραν αὖθις ἀρχὴν πρὸς δόξαν ἑτέραν οὐδὲ καλλίω γενησομένην. Ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν καὶ κατορθώσας ἐθαυμάσθη.*

(2) Hoc et sequenti anno C. Verres legatus et pro quaestore Cn. Cornelium Dolabellam secutus est in Asiam et Pamphyliam; sed in hunc idem fuit, qui antea in Carbonem fuerat [v. ad a. 671. 3.], multaque in iis provinciis

oppida et fana depeculatus est. II. c. 6. 16. c. 16. 44. c. 19. 52.

Cic. in Verrem Act. II. L. I. c. 15. 41. *Itaque idem iste, quem Cn. Dolabella postea, C. Malleolo occiso, pro quaestore habuit (haud scio, an maior etiam haec necessitudo fuerit, quam illa Carbonis, ac plus iudicium voluntatis valere, quam sortis debeat), idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem, fuit. Nam quae in ipsum valebant crimina, contulit in illum, caussamque illius omnem ad inimicos accusatoresque detulit: ipse in eum, cui legatus, cui pro quaestore fuerat, inimicissimum atque improbissimum testimonium dixit. Ille miser quum esset, Cn. Dolabella tum proditione istius nefaria, tum improbo et falso eiusdem testimonio, tum multo etiam ex maxima parte istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit.* c. 16. 42. *Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? qui in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit ac violarit, eosque ambos non solum deseruerit, sed etiam prodiderit atque oppugnarit.* Ibid. Act. II. L. III. c. 76. 177. De oppidorum fanorumque spoliationibus exposuit Cicero Act. II. L. I. c. 17. 44 sqq. Pseudo-Ascon. in Act. I. p. 127 et 129. *Legatus per has provincias Dolabellae proconsuli fuit et pro quaestore, Malleolo mortuo, eiusdemque in iudicio, quum accusaretur, proditor fuit.* Schol. Gronov. in Act. I. p. 387. *Post quaesturam legatus est factus Dolabellae, et hanc (Asiam) multis affecit incommodis.*

ANNUS VITAE CICERONIS XXVIII.

a. U. C.	Coss. P. SERVILIUS VATIA ISAURICUS.	a. A. C.
675.	AP. CLAUDIUS PULCHER.	79.

(1) Cicero Arretinae mulieris libertatem contra C. Aurelium Cottam defendit. I. c. 35. 110.

Caussa fuit, ut dicitur, liberalis, i. e. in qua de libertate rei agitur. Rea erat mulier quaedam ex oppido Arretio, quam liberam esse negabat Cotta, quod Arretinorum ager a Sulla esset publicatus. Cic. ad Att. I. 19. 4. *Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat neque diviserat, in sua possessione retinebam.* Id. ad Valer. Orcam (ad Fam. XIII. 4 et 5.) Id. pro Domo sua c. 29. 77. *Ius a maioribus nostris — ita comparatum est, ut civis Romanus libertatem nemo posset invitus*

amittere. Quin etiam, si decemviri sacramentum in libertatem iniustum iudicassent, tamen, quotiescumque vellet quis, in hoc genere solo rem iudicatam referre posse voluerunt. — c. 30. 79. Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros. De agris ratum est: fuit enim populi potestas: de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LVII. 3. p. 341.

(2) Deinde quum biennium esset in caussis versatus, valetudinis caussa proficiscitur Roma. I. c. 36. 111.

Dialog. de Orat. c. 30. 2. *Notus est vobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte — refert, se apud Q. Mucium* [v. ad a. 665. 1.] *ius civile didicisse, apud Philonem Academicum* [v. ad a. 666. 7.], *apud Diodotum Stoicum* [v. ad a. 669. 2.] *omnes philosophiae partes penitus hausisse; neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in Urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus caussasque cognoverat.* Plut. Cic. c. 3. 3. *Δεδιὼς δὲ τὸν Σύλλαν ἀπεδήμησεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, διασπείρας λόγον, ὡς τοῦ σώματος αὐτῷ θεραπείας δεομένου. Καὶ γὰρ ἦν ὄντως ἰσχνὸς καὶ ἄσαρκος, ἀρρωστίᾳ στομάχου μικρὰ καὶ γλίσχρα μόγις ὀψὲ τῆς ὥρας προσφερόμενος· ἡ δὲ φωνὴ πολλὴ μὲν καὶ ἀγαθή, σκληρὰ δὲ καὶ ἄπλαστος, ὑπὸ δὲ τοῦ λόγου σφοδρότητα καὶ πάθος ἔχοντος ἀεὶ διὰ τῶν ἄνω τόνων ἐλαυνομένη φόβον παρεῖχεν ὑπὲρ τοῦ σώματος.* Hieronym. in Euseb. Chron. Olymp. 175. 1. [a. U. C. 674]: *Roscio contra Chrysogonum defenso, Cicero Athenas secedit et inde post triennium Romam regreditur.* Aurel. Victor l. c. *Adolescens Roscciano iudicio eloquentiam et libertatem suam adversus Sullanos ostendit, ex quo veritus invidiam Athenas studiorum gratia petivit, ubi Antiochum Academicum philosophum studiose audivit.* Conf. Calenus apud Dionem XLVI. c. 7. Io. Georg. Walch, *De amoenitatibus historicis ex Ciceronis peregrinatione collectis.* Lipsiae, 1715. 4°. (repet. in Parergis Academ. Lipsiae, 1721. 8°. p. 162 sqq.)

(3) Athenis sex menses cum L. Cicerone L. F. fratre patrueli, cum Q. fratre et T. Pomponio et M. Pisone audivit Antiochum, philosophum Academicum. I. c. 12. 33. c. 37. 114. X. c. 27. 78.

Plut. Cic. c. 4. 1. *Ἀφικόμενος δ' εἰς Ἀθήνας Ἀντιόχου τοῦ Ἀσκαλωνίτου διήκουσε, τῇ μὲν εὐροίᾳ τῶν λόγων αὐτοῦ καὶ χάριτι κηλούμενος, ἃ δ' ἐν τοῖς δόγμασιν ἐνεωτέριζεν, οὐκ ἐπαινῶν. Ἤδη γὰρ ἐξίστατο τῆς νέας λεγομένης Ἀκαδημίας ὁ Ἀντίοχος καὶ τὴν Καρνεάδου στάσιν ἠγανάκτει, εἴτε καμπτόμενος ὑπὸ τῆς ἐναργείας καὶ τῶν αἰσθήσεων, εἴτε, ὡς φασιν ἔνιοι, φιλοτιμίᾳ τινὶ καὶ διαφορᾷ πρὸς τοὺς Κλειτομάχου καὶ Φίλωνος συνήθεις τὸν Στωικὸν ἐκ μεταβολῆς θεραπεύων λόγον ἐν τοῖς πλείστοις.* Cicero de Legib. I. c. 21. 54. ATT. *Ergo assentiris Antiocho familiari meo (magistro enim non audeo dicere), quocum vixi, et qui me ex nostris paene convellit horticulis deduxitque in Academiam perpauculis passibus.* MARC. *Vir iste fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, necne, mox videro.* Cfr. Tusc. V. c. 8. 22. Acad. post. I. c. 12. 43. Aurel. Victor. l. c. Plutarch. Lucull. c. 42. De Antiocho exposuit F. X. Elbe, *Ueber den Sosus des Antiochus von Askalon.* Offenburg, 1847. 8°. C. I. Grysar, *Die Akademiker Philo u. Antiochus.* Köln, 1849. 4°.

(4) Cum T. Pomponio Attico, qui iam aliquot annis ante, ut studiis suis obsequeretur, Athenas profectus erat (cf. ad a. 667. 5.), duos audivit philosophos Epicureos; quorum alterum; Phaedrum, Romae iam audiverat (cf. ad a. 666. 7.): alter erat Zeno. I. c. 37. 115.

Cic. de N. D. I. c. 21. 59. *Zenonem, quem Philo noster coryphaeum appellare Epicureorum solebat, quum Athenis essem, audiebam frequenter, et quidem ipso auctore Philone: credo, ut facilius iudicarem, quam illa bene refellerentur, quum a principe Epicureorum accepissem, quemadmodum dicerentur.* Tusc. III. c. 17. 38. *Et hoc ille acriculus, me audiente, Athenis senex Zeno, istorum acutissimus, contendere et magna voce dicere solebat: eum esse beatum, qui praesentibus voluptatibus frueretur, confideretque se fruiturum aut in omni, aut in magna parte vitae, dolore non interveniente.* Acad. post. I. c. 12. 46. *Carneades autem nullius philosophiae partis ignarus et, ut cognovi ex iis, qui illum audierant, maximeque ex Epicureo Zenone, qui, quum ab eo plurimum dissentiret, unum tamen praeter ceteros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate.*

(5) Ibidem et ipse et Atticus Eleusiniis mysteriis initiati sunt. I. c. 38. 119.

De mysteriorum laude disseruit Isocrates in Paneg. c. 6. *Δήμητρος γὰρ ἀφικνουμένης εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὅτε ἐπλανήθη, τῆς κόρης ἁρπασθείσης — καὶ δούσης δωρεὰς διττὰς, αἵπερ μέγισται τυγχάνουσιν οὖσαι, τούς τε καρπούς — καὶ τὴν τελετήν, ἧς οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν.* Cic. in Verr. Act. II. L. v. c. 72. 187. *Teque, Ceres et Libera, (imploro et appello), quarum sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis caerimoniis continentur, a quibus initia vitae atque victus, morum, legum, mansuetudinis, humanitatis hominibus et civitatibus data ac dispertita esse dicuntur.*

(6) In Hispaniam contra Sertorium proficiscitur Q. Caecilius Metellus Pius [cos. a. U. C. 674.], cuius res gestas carminibus suis celebrarunt poetae Cordubenses. I. c. 1. 4.

Orosius V. 23. *Adversus hunc (Sertorium) — duo duces missi, Metellus et Domitius: quorum Domitius ab Hirtuleio Sertorii duce cum exercitu oppressus est. Manilius proconsul Galliae in Hispaniam — transgressus, iniquam cum Hirtuleio pugnam conseruit: a quo castris copiisque nudatus in oppidum Ilerdam pene solus refugit* [a. U. C. 676.]. *Metellus multis praeliis fatigatus, per devia oberrans, hostem mora fatigabat, donec Pompeii castris consociaretur* [a. U. C. 678.] — *Postea vero* [a. U. C. 679.] *Hirtuleius cum Metello congressus, apud Italicam, Baeticae urbem, viginti milia militum perdidit: victusque in Lusitaniam cum paucis refugit.* Appian. B. C. I. c. 97. *Ὁ δὲ (Σύλλας), ἐπεὶ οἱ πάντα ὡς ἐβούλετο ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς διώκητο, καὶ πολέμιον οὐδὲν ἦν ἔτι, πλὴν Σερτωρίου, μακρὰν ὄντος, Μέτελλον μὲν ἐπὶ τοῦτον ἐξέπεμπεν ἐς Ἰβηρίαν.* Id. Iber. c. 101. Plutarch. Sertor. c. 12. Id. Pomp. c. 17. Liv. Epit. 90. Flor. III. c. 22.

(7) Sulla constituta republica dictatura se abdicat.

Orosius V. c. 22. *Creatis itaque P. Servilio et Ap. Claudio consulibus, visus est tandem Sulla privatus. Hoc fine conclusa sunt duo bella funestissima, sociale Italicum et civile Sullanum.* Appian. B. C. I. c. 103. *Τῷ δ' ἑξῆς ἔτει, ὁ μὲν δῆμος καὶ τότε τὸν Σύλλαν θεραπεύων ἥρεῖτο ὑπατεύειν· ὁ δὲ, οὐκ ἀνασχόμενος, ὑπάτους μὲν αὐτοῖς ἀπέφηνε Σερουΐλιον Ἰσαυρικὸν καὶ Κλαύδιον Πούλχρον· αὐτὸς δὲ τὴν μεγάλην ἀρχὴν, οὐδενὸς ἐνοχλοῦντος, ἑκὼν ἀπέθετο.* Plutarch. Sulla c. 34.

(8) L. et M. Luculli fratres magnificentissima aedilitate funguntur. II. c. 22. 60.

Plutarch. Lucull. c. 1. 9. Plinius H. N. VIII. c. 7. *Romae pugnasse (elephantos) Fenestella tradit primum omnium in Circo — M. Antonio A. Postumio coss., anno urbis sexcentesimo quinquagesimo quinto. Item post annos* XX [655 + 20 = 675.] *Lucullorum Aedilitate curuli adversus tauros.* Valer. Maxim. II. c. 4. 6. *Versatilem (scenam primi) fecerunt Lucilli.*

ANNUS VITAE CICERONIS XXIX.

a. U. C.	Coss. M. AEMILIUS LEPIDUS.	a. A. C.
676.	Q. LUTATIUS CATULUS.	78.

(1) Sulla Puteolis mortuo a. aetatis LX. ac magnifice Romae in Campo Martio sepulto, M. Lepidus cos. seditiosis concionibus acta Sullae rescindere et proscriptos revocare conatus, a Catulo collega in exsilium ire cogitur. III. c. 32. 101.

Livius Epit. 90. *Sulla decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut in Campo Martio sepeliretur. M. Aemilius Lepidus, quum acta Sullae tentaret rescindere, bellum excitavit, et a Q. Catulo collega Italia pulsus est: et in Sardinia, frustra bellum molitus, periit.* Orosius V. c. 22. *Sulla mortuo Lepidus, Marianae partis adsertor, adversus Catulum Sullanum ducem surgens, redivivos bellorum civilium cineres suscitavit.* Appian. B. C. I. c. 105. "Αρτι δ' ἀποστάντος τοῦ Σύλλα, Ῥωμαῖοι, φόνου καὶ τυραννίδος ἀπαλλαγέντες, ἡσυχῇ πάλιν ἐπὶ στάσεις ὑπερριπίζοντο ἑτέρας. Καὶ ὕπατοι αὐτοῖς καθίσταντο, Κόϊντός τε Κάτλος, ἀπὸ τῶν Συλλείων, καὶ Λέπιδος Αἰμίλιος, ἀπὸ τῶν ἐναντίων, ἐχθίστω τε ἀλλήλοιν, καὶ εὐθὺς ἀρξαμένω διαφέρεσθαι. Δῆλόν τε ἦν τι κακὸν ἕτερον ἐκ τοῦδε γενησόμενον. Σύλλας δὲ — νυκτὸς ἐτελεύτησεν, ἑξήκοντα μὲν ἔτη βιώσας —. Γίγνεται δὲ εὐθὺς ἐν ἄστει στάσις ἐπ' αὐτῷ, τῶν μὲν ἄγειν ἀξιούντων τὸ σῶμα διὰ τῆς Ἰταλίας ἐπὶ πομπῇ, καὶ ἐς τὴν Ῥώμην ἐν ἀγορᾷ προτιθέναι, καὶ ταφῆς δημοσίας ἀξιοῦν· Λεπίδου δὲ καὶ τῶν ἀμφὶ Λέπιδον ἐνισταμένων. Ἐξενίκα δ' ὁ Κάτλος καὶ οἱ Σύλλειοι. Καὶ ἐφέρετο ὁ νέκυς ὁ τοῦ Σύλλα διὰ τῆς Ἰταλίας ἐς τὸ ἄστυ ἐπὶ κλίνης χρυσηλάτου, καὶ κόσμου βασιλικοῦ. — c. 107. Ἀπὸ δὲ τῆς πυρᾶς χωροῦντες εὐθὺς οἱ ὕπατοι λόγοις βλασφήμοις ἐς ἀλλήλους διεφέροντο, καὶ τὸ ἀστυκὸν ἐς αὐτοὺς διῄρητο. Λέ-

πιδος δὲ καὶ τοὺς Ἰταλικοὺς προαποιούμενος, ἔλεγεν, ὅτι τὴν γῆν αὐτοῖς, ἣν ὁ Σύλλας ἀφῄρητο, ἀποδώσει. — Ἡττώμενος ὁ Λέπιδος (ὑπὸ Κάτλου) — ἐς Σαρδὼ διέπλευσεν, ἔνθα νόσῳ τηκεδόνι χρώμενος ἀπέθανεν. Cfr. Plutarch. Sulla c. 38. Id. Pomp. c. 16. Florus III. c. 23. Tacitus Ann. III. c. 27. Suetonius Caes. c. 3. Eutropius VI. c. 7.

(2) Cicero, qui Athenis adhucdum philosophiae studiis animum intenderat, cogitans fore sibi in otio philosophico vitam exigendam, si a republica arceretur, audita Sullae morte, eloquentiam rursus arripit, tamquam instrumentum negotia publica cum dignitate tractandi. Ergo apud Demetrium Syrum, dicendi magistrum, exercetur; a quo discit quae propria laus sit Atticorum oratorum. I. c. 59.

Plut. Cic. c. 4. 1. *Ὁ δὲ Κικέρων ἐκεῖνα ἠγάπα κἀκείνοις προσεῖχε μᾶλλον, διανοούμενος, εἰ παντάπασιν ἐκπέσοι τοῦ τὰ κοινὰ πράσσειν, δεῦρο μετενεγκάμενος τὸν βίον ἐκ τῆς ἀγορᾶς καὶ τῆς πολιτείας, ἐν ἡσυχίᾳ μετὰ φιλοσοφίας καταζῆν. Ἐπεὶ δ' αὐτῷ Σύλλας τε προσηγγέλθη τεθνηκὼς, καὶ τὸ σῶμα τοῖς γυμνασίοις ἀναρρωννύμενον εἰς ἕξιν ἐβάδιζε νεανικήν, ἥ τε φωνὴ λαμβάνουσα κλάσιν ἡδεῖα μὲν πρὸς ἀκοὴν ἐτέθραπτο καὶ πολλὴ, μετρίως δὲ πρὸς τὴν ἕξιν ἥρμοστο τοῦ σώματος, πολλὰ μὲν τῶν ἀπὸ Ῥώμης φίλων γραφόντων καὶ δεομένων, πολλὰ δ' Ἀντιόχου παρακελευομένου τοῖς κοινοῖς ἐπιβαλεῖν πράγμασιν, αὖθις ὥσπερ ὄργανον ἐξήρτυε τὸν ῥητορικὸν λόγον καὶ ἀνεκίνει τὴν πολιτικὴν δύναμιν αὐτόν τε ταῖς μελέταις διαπονῶν καὶ τοὺς ἐπαινομένους μετιὼν ῥήτορας.*

(3) Deinde Asiam peragrat operamque dat Menippo Stratonicensi, Xenocli Adramyteno, Aeschylo Cnidio, sed assiduissime Dionysio Magneti, rhetoribus. Quibus non contentus Rhodum venit; ibique apud Apollonium Molonem Graece declamitat et Posidonium audit, philosophum Stoicum. I. c. 40. X. c. 27. 78.

Quintil. XII. c. 6. 7. *M. Tullius, quum iam clarum meruisset inter patronos, qui tum erant, nomen, in Asiam navigavit, seque et aliis sine dubio eloquentiae ac sapientiae magistris, sed praecipue tamen Apollonio Moloni, quem Romae quoque audierat, Rhodi rursus formandum ac recoquendum dedit.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 81. *Inde eloquentiae gratia Asiam, post Rhodum petiit, ubi Molonem, Graecum rhetorem*

tum disertissimum, magistrum habuit; qui flente dicitur, quod per hunc Graecia eloquentiae laude privaretur. Dialog. de Orator. l. c. Plut. Cic. c. 4. 2. *Ὅθεν εἰς Ἀσίαν καὶ Ῥόδον ἔπλευσε, καὶ τῶν μὲν Ἀσιανῶν ῥητόρων Ξενοκλεῖ τῷ Ἀδραμυττηνῷ καὶ Διονυσίῳ τῷ Μάγνητι καὶ Μενίππῳ τῷ Καρὶ συνεσχόλασεν, ἐν δὲ Ῥόδῳ ῥήτορι μὲν Ἀπολλωνίῳ τῷ Μόλωνος, φιλοσόφῳ δὲ Ποσειδωνίῳ. Λέγεται δὲ τὸν Ἀπολλώνιον οὐ συνιέντα τὴν Ῥωμαϊκὴν διάλεκτον δεηθῆναι τοῦ Κικέρωνος Ἑλληνιστὶ μελετῆσαι· τὸν δὲ ὑπακοῦσαι προθύμως, οἰόμενον οὕτως ἔσεσθαι βελτίονα τὴν ἐπανόρθωσιν· ἐπεὶ δὲ ἐμελέτησε, τοὺς μὲν ἄλλους ἐκπεπλῆχθαι καὶ διαμιλλᾶσθαι πρὸς ἀλλήλους τοῖς ἐπαίνοις, τὸν δ' Ἀπολλώνιον οὔτ' ἀκροώμενον αὐτοῦ διαχυθῆναι καὶ παυσαμένου σύννουν καθέζεσθαι πολὺν χρόνον, ἀχθομένου δὲ τοῦ Κικέρωνος εἰπεῖν· »Σὲ μέν, ὦ Κικέρων, ἐπαινῶ καὶ θαυμάζω, τῆς δὲ Ἑλλάδος οἰκτείρω τὴν τύχην, ὁρῶν, ἃ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν ὑπελείπετο, καὶ ταῦτα Ῥωμαίοις διὰ σου προσγενόμενα, παιδείαν καὶ λόγον.*" Schol. Bob. in Orat. pro Plancio p. 269. *Et verissime constat in prima adolescentia Rhodum navigasse M. Tullium, ut arte oratoria, in qua insigniter praestitit, erudiretur apud notissimum rhetora et magistrum illius aetatis Apollonium. Hic est, qui Molo cognominatus est.* [v. ad a. 673. 4.] Conf. Strabo XIV. p. 660. Plutarch. Caes. c. 3. 1. A. Westermann, *Geschichte der griechischen Beredtsamkeit.* Leipzig, 1833. § 81.

(4) In hoc itinere Zmyrnam quoque adiisse videtur, ubi Rutilium Rufum, exsulantem et in studiis litterarum consenescentem, audivit, quum is exponeret disputationem a P. Africano de Republica habitam a. U. C. 625. cum Laelio, Philo, Manilio, Mummio, Tuberone, Scaevola et Fannio; quem sermonem Cicero postea [v. ad a. 700. 10.] litteris consignavit. VI. c. 36. 93. X. c. 19. 54.

Cic. Brut. c. 23. 85. *Memoria teneo, Zmyrnae me ex P. Rutilio Rufo audisse, quum diceret* cet. Cfr. A. Maius Praef. ad libros de Rep. § IV.

ANNUS VITAE CICERONIS XXX.

a. U. C.	Coss. D. IUNIUS BRUTUS.	a. A. C.
677.	M. AEMILIUS LEPIDUS LIVIANUS.	77.

(1) Cicero ex itinere in Graeciam et Asiam, biennio post-

quam eo profectus erat, Romam reversus, caussis agendis se dedit, brevique inter principes oratores eluxit. II. c. 1. 1.

Plutarch. Cic. 5. 2. *Καὶ τόν γε πρῶτον ἐν Ῥώμῃ χρόνον εὐλαβῶς διῆγε καὶ ταῖς ἀρχαῖς ὀκνηρῶς προσῄει καὶ παρημελεῖτο, ταῦτα δὴ τὰ Ῥωμαίων τοῖς βαναυσοτάτοις πρόχειρα καὶ συνῄθη ῥήματα Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς ἀκούων. Ἐπεὶ δὲ φύσει φιλότιμος ὢν καὶ παροξυνόμενος ὑπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν φίλων ἐπέδωκεν εἰς τὸ συνηγορεῖν ἑαυτόν, οὐκ ἠρέμα τῷ πρωτείῳ προσῆγεν, ἀλλ' εὐθὺς ἐξέλαμψε τῇ δόξῃ καὶ διέφερε πολὺ τῶν ἀγωνιζομένων ἐπ' ἀγορᾶς.*

(2) Q. Hortensius et C. Aurelius Cotta, principes ea aetate caussarum patroni, defendunt M. Canuleium; quae tamen cuiusmodi caussa fuerit, ignoratur. II. c. 1. 1.

Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LVII. 5. p. 342 et LXV. 5. p. 367.

(3) Iidem defendunt Cn. Dolabellam consularem, repetundarum accusatum a C. Iulio Caesare. II. c. 1. 1.

Ascon. in Cic. Scaurian. p. 26. *Cn. Dolabellam — in quem C. Caesaris orationes legitis — Caesar accusavit nec damnavit.* Gellius IV. c. 16. 8. *Caesar in Dolabellam actionis* III. sqq. Sueton. Caes. c. 4. *Composita seditione civili Corn. Dolabellam, consularem et triumphalem virum, repetundarum postulavit absolutoque Rhodum secedere statuit.* c. 55. *Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis annumeratus est.* Conf. Valer. Max. VIII. c. 9. 3. Velleius II. c. 43. Plutarch. Caes. c. 4. Emp. Rhet. p. 311. ed. Capper. Errat vero Auctor Dial. de Orat. c. 34. 7. *Uno* [rect. *tertio*] *et vicesimo aetatis anno Caesar Dolabellam — iis orationibus insecutus est, quas hodie quoque cum admiratione legimus.* Caesar enim, qui natus erat a. U. C. 654., hoc tempore XXIII. agebat aetatis annum [654 + 23 = 677.] Meyer. Orat. Rom. Fragm. LVII. 4. p. 341. LXV. 7. p. 368. LXXX. 1. p. 408.

(4) Q. Caecilio Metello bellum gerente contra Sertorium I. c. 2. 4. Pompeius proficiscitur in Hispaniam, Metello auxiliaturus. VI. c. 23. 57.

Eutrop. VI. c. 1. *Metellus (filius eius, qui Iugurtham regem vicit) vario successu contra Sertorium dimicavit. Postea, quum impar pugnae solus Metellus putaretur, Cn. Pompeius ad Hispanias missus est.* Cic. Phil. XI. c. 8. 18. *Sertorianum bellum a senatu privato datum est, quia consules recusabant: quum L. Philippus pro consulibus eum se mittere dixit, non pro consule.* Cf. p. 1. Manil. c. 21. 62. Livius Epit. 91. *Cn.*

Pompeius quum adhuc eques esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Appian. B. C. I. c. 108. *Σύλλα δ' ἀποθανόντος, καὶ Λεπίδου μετὰ Σύλλαν, στρατὸν ἔχων (ὁ Σερτώριος) ἄλλον Ἰταλῶν, ὅσον αὐτῷ Περπέννας ὁ τοῦ Λεπίδου στρατηγὸς ἤγαγεν, ἐπίδοξος ἦν στρατεύσειν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν· εἰ μὴ δείσασα ἡ βουλή, στρατόν τε ἄλλον καὶ στρατηγὸν ἕτερον ἐπὶ τῷ προτέρῳ Πομπήιον ἔπεμψεν ἐς Ἰβηρίαν, νέον μὲν ἔτι ὄντα, περιφανῆ δ' ἐξ ὧν ἐπὶ Σύλλα περί τε Λιβύην καὶ ἐν αὐτῇ Ἰταλίᾳ κατείργαστο.* Plutarch. Pomp. c. 17. 2. *Πομπήιος ἔχων στρατίαν ὑφ' ἑαυτῷ, διεπράττετο Μετέλλῳ πεμφθῆναι βοηθός· — ἕως ἔδωκαν αὐτῷ τὴν ἀρχήν, Λευκίου Φιλίππου γνώμην εἰπόντος. Ὅτε καί φασιν, ἐν συγκλήτῳ πυθομένου τινος καὶ θαυμάζοντος, εἰ Πομπήιον ἀνθύπατον οἴεται δεῖν ἐκπεμφθῆναι Φίλιππος, »Οὐκ ἔγωγε, φάναι τὸν Φίλιππον, ἀλλ' ἀνθ' ὑπάτων"* ὡς ἀμφοτέρους τοὺς τότε ὑπατεύοντας οὐδενὸς ἀξίους ὄντας. Conf. Appian. Iber. c. 101. Dio XXXVI. c. 8. 10. Velleius II. c. 29. 30. Plin. H. N. VII. c. 27. Valer. Max. VIII. c. 15. 8. IX. c. 3. 7. Flor. III. c. 22. Orosius V. c. 23. Aurel. Victor de Vir. ill. c. 77. [v. ad a. 679. 6. et 682. 1.]

ANNUS VITAE CICERONIS XXXI.

a. U. C.	Coss. CN. OCTAVIUS.	a. A. C.
678.	C. SCRIBONIUS CURIO.	76.

(1) Cicero caussas complures in foro agit; in primis orationem habet pro *Q. Roscio Comoedo.* II. c. 1. 2.

Fabricius Hist. Cicer. ad hos coss. p. 29. Or. »In caussis iis, quas Cicero ex Asia reversus ante quaesturam egit, numero orationem pro Q. Roscio Comoedo, id quod proposita constitutione caussae planum faciam. — Corradus [Quaest. p. 50. Ern.] Ciceronem hanc caussam egisse Cn. Pompeio et M. Crasso coss. anno post hunc sexto [a. U. C. 684.] inde putat, quod tum C. Piso praetor fuerit: sed fallitur, qui ex iudice privato praetorem facit. Fallyntur quoque illi, qui Roscium Comoedum ante Amerinum defensum inde putant, quod post Amerini defensionem Cicero in Graeciam statim fuerit profectus. Hoc tempore Q. Roscium fuisse defensum ex oratione cognoscitur: in qua Roscium Sullano tempore cum Flavio decidisse et quadriennio post caussam actam esse aperte significatur. cap. 12 et 13." Ferratius et Garatonius referunt ad annum praecedentem; quod Orellio rectius videtur. — De Roscio cfr. ad a. 673. 5. et 692. 10.

(2) Deinde, Cotta consulatum petente, Hortensio aedilitatem, Cicero quaesturam petit et cunctis suffragiis in comitiis tributis quaestor fit. II. c. 1. 2. c. 22. 57. VI. c. 38. 99.

(3) Cicero defendit *Titinniam*, Cottae uxorem, in caussa privata contra C. Scribonium Curionem, qui pro accusatore dixerat Ser. Naevio. IX. c. 26. 76.

Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LIX. 7. p. 351. et p. 342.

ANNUS VITAE CICERONIS XXXII.

a. U. C.	Coss. L. OCTAVIUS.	a. A. C.
679.	C. AURELIUS COTTA.	75.

(1) Cicero Quaestor est in Sicilia Lilybaetanus, praetore Sex. Peducaeo. II. c. 2. 3. VI. c. 38. 99.

Pseudo-Ascon. in Divinat. p. 97. *Quaestor in Sicilia (fuit Cicero) Sex. Peducaeo.* p. 100. *Quum enim a duobus quaestoribus Sicilia regi soleat, uno Lilybaetano, altero Syracusano, ipse (Cicero) vero Lilybaetanus quaestor fuerit Sex. Peducaeo praetore, omnibus tamen (Siculis) se placuisse dixit.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 81. *Quaestor Siciliam habuit.*

(2) In summa caritate quum frumenti maximum numerum Romam mitteret et in omni officio omnibus visus esset diligentissimus, inauditi quidam in Ciceronem a Siculis excogitati sunt honores. II. c. 2. 5.

Plutarch. Cic. c. 6. 1. *Ἀποδειχθεὶς δὲ ταμίας ἐν σιτοδείᾳ καὶ λαχὼν Σικελίαν ἠνώχλησε τοῖς ἀνθρώποις ἐν ἀρχῇ σῖτον εἰς Ῥώμην ἀποστέλλειν ἀναγκαζομένοις. Ὕστερον δὲ τῆς ἐπιμελείας καὶ δικαιοσύνης καὶ πραότητος αὐτοῦ πεῖραν λαμβάνοντας ὡς οὐδένα τῶν πώποθ' ἡγεμόνων ἐτίμησαν.*

(3) Eodem tempore sepulcrum Archimedis indagavit, ab Syracusanis ignoratum; quod CXXXVII annis ante condi iusserat Marcellus. II. c. 4. 9.

Livius XXV. c. 31. *Urbs diripienda militi data est* [a. U. C. 542.], *custodibus divisis per domos eorum, qui intra praesidia Romana fuerant. Quum multa irae, multa avaritiae, foeda exempla ederentur, Archimedem, memoriae proditum est, in tanto tumultu, quantum capta urbs in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite, quis esset, interfectum. Aegre id Marcellum tulisse, sepulturaeque curam habitam: et propinquis etiam inquisitis honori praesidioque nomen ac memoriam eius fuisse.*

(4) Iuvenes aliquot Romanos defendit, ad praetorem Siciliae ablegatos, quod in bello molliter se gessisse dicerentur.

Plutarch. Cic. c. 6. 1. *Ἐπεὶ δὲ πολλοὶ τῶν ἀπὸ Ῥώμης νέων, ἔνδοξοι καὶ γεγονότες καλῶς, αἰτίαν ἔχοντες ἀταξίας καὶ μαλακίας περὶ τὸν πόλεμον ἀνεπέμφθησαν ἐπὶ τὸν στρατηγὸν τῆς Σικελίας, συνεῖπεν αὐτοῖς ὁ Κικέρων ἐπιφανῶς καὶ περιεποίησεν.*

(5) Q. Hortensius hoc anno aedilitate functus est, quae in annonae caritate reipublicae fuit utilissima. II. c. 1. 2. c. 22. 60.

Cicero in Verrem Act. II. L. III. c. 92. 215. *Quod nisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset et annona, non ex numero neque ex summa, consideranda; numquam tam grati hi sesquimodii, Q. Hortensi, fuissent, quos tu quum ad mensurae tam exiguam rationem populo Romano in capita descripsisses, gratissimum omnibus feciste. Caritas enim annonae faciebat, ut istuc, quod re parvum videbatur, tempore magnum videretur. Idem istuc si in vilitate populo Romano largiri voluisses, derisum tuum beneficium esset atque contemptum.*

(6) In Hispania contra Sertorium acerrima praelia a Pompeio et Metello ad flumen Sucronem (h. *Xucar*) et ad Turiam (h. *Guadalaviar*) geruntur. VI. c. 23. 57.

Pompeius in Epist. ad Senatum (in Sallust. fragm. Hist. p. 143 ed. Gerl.) *Quid deinde praelia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valet, quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta, et praelium apud flumen Durium* [l. Turiam], *et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt.* Plutarch. Sertor. c. 19. 1. *Ἦτται μὲν οὖν τῷ Σερτωρίῳ πλείονες συνέβαινον, — οἷον ἐν τῇ παρὰ Σούκρωνι μάχῃ πρὸς Πομπήιον καὶ πάλιν ἐν τῇ περὶ Τουτίαν* [l. *Τουρίαν*] *πρός τε τοῦτον ὁμοῦ καὶ Μέτελλον. Ἡ μὲν οὖν περὶ Σούκρωνι*

μάχῃ λέγεται γενέσθαι τοῦ Πομπηίου κατεπείξαντος, ὡς μὴ μετάσχοι τῆς νίκης Μέτελλος. κτέ. Id. Pomp. c. 19. 1. Ἐπαρθεὶς δὲ τῇ πράξει (περὶ Οὐαλεντίαν) καὶ μέγα φρονῶν ἐπ' αὐτὸν ἔσπευδε Σερτώριον, ὡς μὴ μετάσχοι τῆς νίκης Μέτελλος. Περὶ δὲ Σούκρωνι ποταμῷ τῆς ἡμέρας ἤδη τελευτώσης συνέβαλον τὰς δυνάμεις δεδιότες μετελθεῖν τὸν Μέτελλον, ὁ μὲν ὡς μόνος, ὁ δὲ ὡς μόνῳ διαγωνίσαιτο. Τὸ μὲν οὖν τέλος ἀμφίδοξον ἔσχεν ὁ ἀγών· ἑκατέρου γὰρ θάτερον κέρας ἐνίκησεν. Appian. B. C. I. c. 110. Ἀρχομένου δ' ἦρος [a. U. C. 679.] ἐπῆσαν ἀλλήλοις, Μέτελλος μὲν καὶ Πομπήιος, ἀπὸ τῶν Πυρηναίων ὀρῶν, ἔνθα διεχείμαζον· Σερτώριος δὲ καὶ Περπέννας, ἐκ Λυσιτανίας. Καὶ συμβάλλουσιν ἀλλήλοις περὶ πόλιν, ᾗ ὄνομα Σούκρων. κτέ. Conf. Zonar. X. c. 2. Livius Epit. 92. Orosius V. c. 23. Florus III. c. 22. [v. ad a. 677. 4. et 682. 1.]

ANNUS VITAE CICERONIS XXXIII.

a. U. C.	Coss. L. LICINIUS LUCULLUS.	a. A. C.
680.	M. AURELIUS COTTA.	74.

(1) Expleto quaesturae munere annuo, Cicero, priusquam e provincia decederet, orationem habuit Lilybaei.

Pseudo-Ascon. ad Divinat. p. 97. *Quum decederet, in illa oratione quam Lilybaei habuit, multa iis benigne promisit.*

(2) Relicta provincia, itineris faciendi caussa, venit Puteolos. II. c. 2. 6.

Plutarch. Cic. c. 6. 2. Εἰς Ῥώμην βαδίζων γαλοῦόν τι παθεῖν φησι. Συντυχὼν γὰρ ἀνδρὶ τῶν ἐπιφανῶν φίλῳ δοκοῦντι περὶ Καμπανίαν ἐρᾶσθαι, τίνα δὴ τῶν πεπραγμένων ὑπ' αὐτοῦ λόγον ἔχουσι Ῥωμαῖοι καὶ τί φρονοῦσιν, ὡς ὀνόματος καὶ δόξης τῶν πεπραγμένων αὐτῷ τὴν πόλιν ἅπασαν ἐμπεπληκώς· τὸν δ' εἰπεῖν· »Ποῦ γὰρ ἦς, ὦ Κικέρων, τὸν χρόνον τοῦτον;" τότε μὲν οὖν ἐξαθυμῆσαι παντάπασιν, εἰ καθάπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς τὴν πόλιν ἐμπεσὼν ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος οὐδὲν εἰς δόξαν ἐπίδηλον πεποίηκεν.

(3) Cicero ex quaestura Siciliensi ad Urbem redit. II. c. 5. 11.

Iam primis anni mensibus rediisse necesse est, siquidem scribere potue-

rit, *quinquennium fere* se in principibus patronis versatum fuisse quum patrocinium Siciliense suscíperet, cuius Actio I habita est Nonis Sextilibus [= 5 August.] a. U. C. 684.

(4) In Urbem redux, de nimia gloriae cupiditate, qua adhuc laborarat, aliquantum remittit. II. c. 3. 7.

Plutarch. Cic. c. 6. 2. *Ὕστερον δὲ λογισμὸν ἑαυτῷ διδοὺς πολὺ τῆς φιλοτιμίας ὑφεῖλεν, ὡς πρὸς ἀόριστον πρᾶγμα τὴν δόξαν ἀμιλλώμενος καὶ πέρας οὐκ ἐφικτὸν ἔχουσαν.* Cf. L. C. Crellius, *Programma de Cicerone famae ac gloriae cupido.* Viteberg. 1738. 4°. (Roesser), *Disp. de gloriae finibus a Cicerone nimium prolatis.* Wirceburg. 1768. 4°.

(5) C. Verres praetor urbanus praedonem se praebet iuris urbani et multa flagitia committit. III. c. 6. 16. c. 16. 44. c. 19. 52.

Cic. in Verrem Act. II. L. I. c. 40—60. *Verum ad illam iam veniamus praeclaram praeturam criminaque ea, quae notiora sunt his, qui adsunt, quam nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus*, cet. Ibid. L. V. c. 13. 34. *Quid me attinet dicere aut coniungere cum istius flagitio cuiusquam praeterea dedecus? Non faciam, iudices: omnia vetera praetermittam: duo sola recentia sine cuiusquam infamia ponam; ex quibus coniecturam facere de omnibus possitis: unum illud, quod ita fuit illustre notumque omnibus, ut nemo tam rusticanus homo L. Lucullo et M. Cotta consulibus Romam ex ullo municipio vadimonii caussa venerit, quin sciret, iura omnia praetoris urbani nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculae gubernari: alterum, quod, quum paludatus exisset votaque pro imperio suo communique populi Romani nuncupasset, noctu stupri caussa lectica in Urbem introferri solitus est ad mulierem, nuptam uni, propositam omnibus, contra fas, contra auspicia, contra omnes divinas atque humanas religiones.* Cf. Pseudo-Ascon. in Act. I. p. 127. Scholiasta Gronov. ibid. p. 387.

(6) M. Pisoni (qui consul fuit a. U. C. 693.) in petitione aedilitatis praefertur M. Seius. IV. c. 6. 14.

Cic. pro Planc. c. 5. 12. *Semper se dicet (populus) M. Seium, qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate iudicii retinere potuisset, homini nobilissimo, innocentissimo, eloquentissimo, M. Pisoni, praetulisse*, de Off. II. c. 17. 58. *Ne M. quidem Seio vitio datum est, quod in caritate annonae asse modium populo dedit: magna enim se et inveterata invidia, nec turpi iactura, quando erat aedilis, nec maxima, liberavit.* Plinius H. N. XV. c. 1. *Anno* DCLXXX. *M. Seius L. F.*

aedilis curulis olei denas libras singulis assibus praestitit populo Romano per totum annum.

(7) Lucullus a senatu adversus Mithridatem missus feliciter bellum gerit in Asia. III. c. 10. 30.

Eutropius VI. c. 6. *L. Licinio Lucullo et M. Aurelio Cotta cos. — Mithridates pace rupta Bithyniam et Asiam rursus voluit invadere. Adversus eum ambo consules missi variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem victus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus est et obsessus. Sed quum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut Cyzico capta totam Asiam invaderet, Lucullus ei alter consul occurrit: ac dum Mithridates in obsidione Cyzici commoratur, ipse eum a tergo obsedit fameque consumpsit, et multis praeliis vicit; postremo Byzantium — fugavit; navali quoque praelio duces eius Lucullus oppressit. Ita una hieme* [a. U. C. 680] *et aestate* [a. 681.] *a Lucullo centum fere milia regis extincta sunt.* seq. Cic. pro Murena c. 15. 33. *Ad quod bellum duobus consulibus ita missis, ut alter Mithridatem persequeretur, alter Bithyniam tueretur: alterius res et terra et mari calamitosae vehementer et opes regis et nomen auxerunt: L. Luculli vero res tantae exstiterunt, ut neque maius bellum commemorari possit, neque maiore consilio et virtute gestum.* cet. Cfr. Livius Epit. 93 sq. Orosius VI. c. 2 sqq. Plutarch. Lucull. c. 5 sqq. Appian. B. Mithr. c. 70 sqq. Florus III. c. 5. 14. Dio XXXV. c. 2 sqq.

ANNUS VITAE CICERONIS XXXIV.

a. U. C.	Coss. M. TERENTIUS VARRO LUCULLUS.	a. A. C.
681.	C. CASSIUS VARUS.	73.

(1) C. Verres, post praeturam [v. ad a. 680. 5.], Siciliam provinciam per triennium (ab a. 681—683) pro praetore obtinet. II. c. 6. 17. c. 20. 53. Ibi primum in iurisdictione avarissime et iniquissime versatur: II. c. 17. 45; deinde in re frumentaria innumerabilia furta committit: II. c. 20. 54; porro Siculos fere omnibus signis, picturis, gemmis vasisque pretiosis spoliat: II. c. 21. 55; denique plurimos homines innocentes, in his etiam cives Romanos, crudelissimis suppliciis afficit. II. c. 21. 56.

Primum crimen Cicero exposuit in Accusationis libro secundo, quae oratio inscribitur *de iurisdictione Siciliensi.* — Secundum crimen in Acc. libro tertio, qui inscribitur *de Frumento:* quam causam tripartitam fecit, ita ut primum dixerit de decumano c. 6—69; deinde de empto c. 70—80. postremo de aestimato c. 81 sqq. — Tertium crimen exponitur in Acc. libro quarto, qui inscribitur *de Signis;* ad cuius interpretationem scripsit I. Kramarczik, *Die Kunsträubereien des Caius Verres, Ein Beitrag zur Erläuterung des vierten Buchs von Cicero's Anklage des Verres.* Heiligenstadt, 1849. 4°. — Quartum denique crimen exponitur in Acc. libro quinto, qui inscribitur *de Suppliciis.* Conf. ad a. 684. 10.

(2) Hoc anno, qui erat decimus ante consulatum Ciceronis, Virgines Vestales, incestus crimine accusatae, absolutae sunt defendente M. Pisone. III. c. 22. 70.

Cic. Brut. c. 67. 236. *M. Piso — quum satis floruisset adolescens, minor haberi est coeptus postea. Deinde ex virginum iudicio magnam laudem est adeptus, et ex eo tempore quasi revocatus in cursum tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem.*

ANNUS VITAE CICERONIS XXXV.

a. U. C.	Cons. L. GELLIUS POPLICOLA.	a. A. C.
682.	CN. CORNELIUS LENTULUS CLODIANUS.	72.

(1) Bello Sertoriano, quod per decem annos [a. U. C. 672—682.] gestum fuerat in Hispania, finem imposuit Pompeius. VI. 23. 57.

Livius Epit. 96. *Sertorius a M'. Antonio et M. Perperna et aliis coniuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno: magnus dux, et adversus duos imperatores, Pompeium et Metellum, saepe par, vel frequentius victor: ad ultimum desertus et proditus. Imperium partium ad M. Perpernam translatum est: quem Cn. Pompeius victum captumque interfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam coeptum erat bellum.* Velleius II. c. 30. 1. *Tum M. Perperna praetorius, e proscriptis, gentis clarioris quam animi, Sertorium inter coenam Oscae interemit, Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. Metel-*

lus et Pompeius ex Hispaniis triumphaverunt: sed Pompeius hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem, quem constitutum iniret, curru Urbem invectus est. Oronius v. c. 22. *Sertorius deinde cum Pompeio congressus, decem milia militum eius interfecit. Ex alio coetu vincente Pompeio, tantundem pene ipse perdidit. Multa inter eos praeterea praelia gesta sunt. Mammius, quaestor Pompeii, idemque vir sororis eius, occisus est. Hirtuleii fratres interfecti. Perperna, qui se Sertorio iunxerat, comminutus est. Postremo ipse Sertorius decimo demum anno belli inchoati, iisdem, quibus et Viriathus, suorum dolis interfectus, finem bello fecit, Romanisque victoriam sine gloria dedit: quamvis Perpernam postea pars exercitus eius secuta sit, qui a Pompeio victus, cum universo exercitu suo interfectus est.* Appian. B. C. I. c. 113. *Μέχρι τοῦ ἑξῆς ἔτους* [a. U. C. 682.] *αὐτοὶ (οἱ στρατηγοὶ Ῥωμαίων) μὲν αὖθις ἐπῆσαν, σὺν πλέονι μᾶλλον καταφρονήσει· ὁ δὲ Σερτώριος — τὸν μὲν ἐπὶ τοῖς πράγμασι πόνον ἐκὼν μεθίει — ὅθεν ἡττᾶτο συνεχῶς. — ὁ Περπέννας — τὸν Σερτώριον — ἐπὶ ἑστίασιν ἐκάλει· μεθύσας δ' αὐτόν τε καὶ τὴν περιστῶσαν τῶν ἀνδρῶν φυλακήν, ἔκτεινεν ἀπὸ τῆς δυσίης.* Conf. Plutarch. Sert. c. 25. Pomp. c. 20. Appian. Iber. c. 102. Eutrop. VI. c. 1. Zonaras X. c. 2. [v. ad a. 677. 4. et 679. 6.] Pfleiderer, *der Kampf des Sertorius und der Spanier gegen Rom.* Pathos, 1852.

(2) Consules ex senatus sententia legem ferunt, qua sancitur, uti cives Romani ii sint, quos Cn. Pompeius imperator de consilii bellici sententia singillatim civitate donarit. VI. c. 23. 58.

Cic. pro Balbo c. 14. 32. *Ubi est igitur exceptum foedere Gaditano, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat civitate? Nusquam. Ac sicubi esset, lex id Gellia et Cornelia, quae definite potestatem Pompeio civitatem donandi dederat, sustulisset. — Quid fuit in rogatione ea, quae de Pompeio a Gellio et a Lentulo consulibus lata est, in quo aliquid sacrosanctum exceptum videretur?*

ANNUS VITAE CICERONIS XXXVI.

a. U. C.	Coss. CN. AUFIDIUS ORESTES.	a. A. C.
683.	P. CORNELIUS LENTULUS SURA.	71.

(1) Ad hunc annum referenda videtur oratio, quam Cicero *pro M. Tullio* habuit.

De anno, quo haec oratio habita sit, ita disputat Ph. Ed. Huschke in Analect. Litt. p. 92 sqq. »Iam si adeo certum aliquem annum extricare volumus, unicum praesidium nobis suppeditat praetoris eius anni, quo haec causa acta est, Metelli dico, mentio § 89 huius orationis facta. — — Lucium, Numidici fratrem, praeturam gessisse anno 683, testimonio probatur Asconii Pediani [p. 97. et 189.], qui quum referat, L. Metellum a. U. C. 684. praetorem i. e. proprastore Siciliam rexisse, apparet, praeturam ipsius in annum praecedentem reiiciendam esse. Huic igitur anno, urbis conditae 683, Ciceronis, tunc inter quaesturam et aedilitatem agentis, XXXVI, iure hanc orationem asserere mihi videor."

(2) D. Iunius Silanus magnificentissima aedilitate aut hoc anno functus est aut sequenti. II. c. 22. 60.

ANNUS VITAE CICERONIS XXXVII.

a. U. C.	Coss. CN. POMPEIUS MAGNUS.	a. A. C.
684.	M. LICINIUS CRASSUS.	70.

(1) Hoc anno L. Aurelius Cotta praetor tulit legem iudiciariam ad populum, qua iudicia, quae lege Cornelia penes senatores fuerant, communicata sunt cum equitibus et tribunis aerariis. II. c. 5. 13.

Livius Epit. 97. *M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti — tribunitiam potestatem restituerunt. Iudicia quoque per L. Aurelium Cottam praetorem ad equites Romanos translata sunt.* Velleius II. c. 32. 3. *Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus* [a. U. C. 631.] *ereptum senatui ad equites, Sulla* [a. 673.] *ob illis ad senatum transtulerant, aequabiliter inter utrumque ordinem partitus est.* Cic. in Verr. Act. II. L. II. c. 71. 174. *Possumne — magis reum condemnatum in iudicium adducere? At quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos ii, qui severiora iudicia desiderant, arbitrantur res iudicare oportere, publicanorum iudicio, quos videlicet nunc populus iudices poscit, de quibus, ut eos iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, non ex equestri loco profecto, sed nobilissimo, promulgatam videmus.* Asconius in Pison. p. 16. *Legem iudiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accusatus est Verres a Cicerone, tulit Aurelius Cotta prae-*

tor, qua communicata sunt iudicia senatui et equitibus Romanis et tribunis aerariis. Idem in Cornel. p. 67. *L. Cotta lege sua iudicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos aerarios.* Schol. Bob. in Orat. pro Flacco p. 229. *Lex Aurelia iudiciaria ita cavebat, ut ex parte tertia senatores iudicarent, ex partibus duabus tribuni aerarii et equites Romani, eiusdem scilicet ordinis viri.* Cfr. Cic. pro Cluent. c. 47. 130. in Clodium et Curion. fragm. VII. p. 1291. pro Cornelio fragm. 26. p. 1293. Phil. I. c. 8. 20. Ascon. in Cornel. p. 78. Pseudo-Ascon. in Divinat. p. 103. 127. Schol. Bob. p. 235. 339. [v. ad a. 648. 7. et 673. 2.]

(2) C. Verres, qui Siciliam provinciam per triennium (a. 681—683) rapinis et crudelitate vexaverat, repetundarum reus a Siculis postulatur; qui publice ad Ciceronem veniunt ut suam caussam defensionemque suscipiat. II. c. 6 sqq.

Pseudo-Ascon. Argum. in Cic. Divinat. p. 97. *Cn. Pompeio primum et M. Crasso coss. C. Verres, perfunctus quaestura* [a. 671.], *legatione* [a. 674.], *praetura urbana* [a. 680.], *patre C. Verre, et praetextato filio, et filia nupta, uxorem habens, quum successisset in Sicilia C. Sacerdoti praetori, eamque non sibi succedente Arrio per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, avare crudeliterque versatus, succedente tandem in eadem provincia Metello, repetundarum reus ab Siculis postulatus est: qui omnes, praeter Syracusanos ac Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defensionibus amicorum, ad accusandum descendere compulerunt, iam pridem illis necessitudine copulatum, quod quaestor in Sicilia fuisset Sex. Peducaeo* [v. ad a. 679. 1.], *et quod, quum decederet, in illa oratione, quam Lilybaei habuit, multa iis benigne promisisset* [v. ad. a. 680. 1.]. Orosius VI. c. 3. *Eodem tempore Metellus, Siciliae praetor, foedissima illa C. Verris praetura Siciliam adflictam invenit.*

(3) Interim exstitit Q. quidam Caecilius, qui sibi dari oportere contendebat in C. Verrem nominis deferendi potestatem. II. c. 8. 22.

Pseudo-Ascon. Argutt. in Cic. Divinat. p. 98. *His ita constitutis exstitit Q. Caecilius Niger, domo Siculus, et quaestor Verris, et eiusdem, ut ipse dicebat, inimicus, qui se potius accusatorem contenderet constitui oportere, has afferens caussas: unam, quod ab eo laesus et ob hoc iure illi sit inimicus, quare praevaricator esse non possit; alteram, quod, quum quaestor ei tum fuerit, etiam ipse in quaestura crimina noverit Verris; tertiam, quod Siculus pro Sicelis agat.* Plutarch. Cic. c. 7. 3.

Ὅμως δὲ πολλὰ χαρίεντα (Κικέρωνος) διαμνημονεύεται καὶ παρ' ἐκείνην αὐτοῦ τὴν δίκην. Βέρρην γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὸν μὴ ἐντετριμμένον χοῖρον καλοῦσιν. Ὡς οὖν ἀπαλευθερωσὰς ἄνθρωπος ἄνοχος τῷ Ἰουδαΐζειν ἄνομα Καικίλιος ἐβούλετο παρασκάμενος τοὺς Σικελιώτας κατηγορεῖν τοῦ Βέρρου, Τί Ἰουδαίῳ πρὸς χοῖρον; ἔφη Κικέρων.

(4) In contentione de constituendo accusatore, Cicero, qui eo tempore petebat aedilitatem, orationem habuit, quae dicitur *Divinatio in Caecilium;* in qua duo spectanda proposuit: a quo maxime agi velint ii, quorum de ultione quaeritur; a quo minime velit is, qui accusatur. II. c. 8. 22.

Pseudo-Ascon. Argum. in Cic. Divinat. p. 98. *Huiuscemodi* (*Caecilii*) *propositionibus Cicero designatus* [potius: nondum designatus] *aedilis his capitibus respondet: accusatorem eum esse oportere, qui invitus cogitur religionis officio, rogatus ab omnibus Siculis; qui pro republica agit; quem volunt, qui accusant; quem metuit, qui accusatur; qui idoneus est facundia innocentiaque; qui hoc facit imitatione maiorum. — Divinatio dicitur haec oratio, quia non de facto quaeritur* [*et coniectura*], *sed de futura, quae est divinatio, uter debeat accusare. Alii ideo putant divinationem dici, quod iniurati iudices in hac caussa sedeant, et, quod velint, praesentive de utroque possint; alii, quod res agatur sine testibus et sine tabulis, et his remotis argumenta sola sequantur iudices et quasi divinent.* Cf. Gellius II. c. 4. I. Guil. Sluiter, Specim. Acad. *in M. T. Ciceronis Divinationem in Q. Caecilium.* Lugd. Bat. 1832. 8°. p. 3 sqq.

(5) Instante iudicio Cicero cunctis suffragiis Aedilis prior factus est. II. c. 10. 30.

Quo tempore cum Caecilio contenderet, nondum aedilem designatum fuisse Ciceronem, recte opinatur Manutius apparere ex his verbis in Divinat. in Caecil. c. 21. 68. *Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nuno, homine parvis opibus ac facultatibus praedito, simultas esse mirari, quum moleste ferunt. Quid sibi iste vult? accusatoremne se existimari, qui antea defendere consueverat: nunc praesertim, ea iam aetate, quum aedilitatem petat?* Add. c. 22. 72. *A nobis multos obsides habet populus Romanus —. Habet honorem, quem petimus.*

(6) Negata Caecilio deferendi nominis potestate, Cicero, qui provinciae caussam in provincia ipsa cognoscendam putaret, quinquaginta diebus sic totam Siciliam obiit cum

Lucio, fratre patrueli, ut omnium populorum privatorumque iniurias cognosceret. II. c. 11. 31.

Pseudo-Ascon. in Argum. Action. I. p. 125. *Victo Caecilio et accusatione ad se delata, Cicero, quum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies* CX, *et cum filio patrui sui Tullii totam provinciam colligendis litteris in Verrem et denunciandis testimoniis peragrasset diebus* L, *quia pedestre iter ex Sicilia et propter fugitivos et propter Verris insidias devitabat, a Vibone transiit.* Cic. in Verr. Act. II. L. IV. c. 11. 25. *Ipsi Tullio patebat domus locupletissima et amplissima Cn. Pompeii Basilici: quo, etiamsi esset invitatus a vobis* (Mamertinis), *tamen devertisset. Erat etiam Percennniorum, qui nunc item Pompeii sunt, domus honestissima: quo L. frater meus summa illorum voluntate devertit.*

(7) Romam ut redierat, Siculorum caussam suscepit contra Hortensium, qui Verrem defendebat. II. c. 14. 38. c. 15. 40. 42.

Pseudo-Ascon. in Argum. Divinat. p. 98. *Accessit his non ignobilis futura ideo de Verre victoria, quia a Metellis, Scipionibus, et multis aliis nobilibus viris, et praecipue ab Hortensio ipso defenderetur, facile et principe in senatu propter nobilitatem, et in foro ob eloquentiam rege caussarum, et eodem consule designato cum Q. Metello, fratre Metellorum, alterius praetoris Siculi, alterius praetoris urbani.* Idem. in Act. I. in Verrem p. 126 et 127. Quintil. X. c. 1. 22. *Illud vero utilissimum, nosse eas caussas, quarum orationes in manus sumpserimus: et quoties continget, utrimque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias* —. *Quin etiam, si minus pares videbuntur, aliquae tamen ad cognoscendam litium quaestionem recte requirentur: ut contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Ligarium, et Hortensii pro Verre.* Hanc vero, quae Quintiliani aetate circumferebatur, Hortensii orationem pro Verre, fictam fuisse sibi videri scribit Zumptius ad Cic. Verrinas p. 2. Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 3. p. 369.

(8) Cicero, quum id agere videret Hortensium ut tota res in sequentem annum differretur, orationem habens *in Verrem*, quae dicitur *Actio prima*, Nonis Sext. [= 5 August.] brevitate dicendi consuluit victoriae. II. c. 15. 41 sq.

Pseudo-Ascon. in Act. I. p. 126. *Quem videret id agi, ut a M'. Glabrione praetore et ab iis iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum*

aliumque praetorem res tota transiret, eripereturque sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc consules futuri erant (per hos omnem Verres eludendi iudicii fiduciam sumpserat); hoc commentus est rationis, ut orationem longam praetermitteret neque in crimitibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum et eos Hortensio interrogandos daret. p. 127. *Facit hoc Cicero, ut haec res non solum compendio moram ac brevitatem temporis tollat, sed etiam circa artificium dicendi breviter etiam in hac parte vim oratoris ostendat.* Quintil. VI. c. 6. 4. *Cicero summo consilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluisse, quam in eum annum, quo erat Q. Hortensius consul futurus, incidere.* Cic. in Verr. Act. I. c. 10. 31. *Nonae sunt hodie Sextiles.* c. 6. 17. *His diebus paucis, comitiis consularibus factis.* Plutarch. Cic. c. 7. 2. *Μάλιστα δ' (ἐθαυμάζετο) ὅτε τὴν κατὰ Βέρρου δίκην ἀνέλαβεν. Τοῦτον γὰρ στρατηγὸν γεγονότα τῆς Σικελίας καὶ πολλὰ πεπονηρευμένον τῶν Σικελιωτῶν διωκόντων εἶλεν, οὐκ εἰπών, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ τρόπον τινὰ τοῦ μὴ εἰπεῖν. Τῶν γὰρ στρατηγῶν τῷ Βέρρῃ χαριζομένων καὶ τὴν δίκην ὑπερθέσεσι καὶ διακρούσεσι πολλαῖς εἰς τὴν ὑστάτην ἐκβαλλόντων, ὡς ἦν πρόδηλον, ὅτι τοῖς λόγοις ὁ τῆς ἡμέρας οὐκ ἐξαρκέσει χρόνος οὐδὲ λήψεται πέρας ἡ κρίσις, ἀναστὰς ὁ Κικέρων ἔφη μὴ δεῖσθαι λόγων, ἀλλ' ἐπαγαγὼν τοὺς μάρτυρας καὶ ἐπικρίνας ἐκέλευσε φέρειν τὴν ψῆφον τοὺς δικαστάς.*

(9) Prostrato reo post primam actionem Hortensius non respondit Ciceroni. Verres abiit in exsilium. II. c. 18. 48. c. 19. 51.

Pseudo-Ascon. l. c. p. 126. *Qua arte ita est fatigatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret, ipse etiam Verres desperato patrocinio sua sponte discederet in exsilium.* p. 153. *Multis autem diebus prima actio celebrata est, dum testes Verris producuntur criminum diversorum, dum recitantur publicae privataeque litterae: quibus adeo stupefactus Hortensius dicitur, ut rationem defensionis omitteret, adeo perculsus Verres, ut abiret in exsilium sua sponte.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 81. *Aedilis* (i. e. designatus) *C. Verrem repetundarum damnavit.* Plutarch. Cic. c. 7. 5. *Τοῦ δὲ ῥήτορος Ὁρτησίου τὴν μὲν εὐθεῖαν τῷ Βέρρῃ συναιπεῖν μὴ τολμήσαντος, κτέ.* c. 8. 4. *Οὕτω δὲ τοῦ Βέρρου καταδικασθέντος, κτέ.*

(10) Reliquos *Actionis secundae libros quinque* Cicero postea conscripsit Verre iam exsulante. II. c. 19. 51.

Pseudo-Ascon. p. 153. *Tullius, metuens, ne tantum negotium paene*

tacitum praeteriret, finxit Verrem comperendinationi praesto fuisse, ut bis defensus accusaretur iterum. Et quemadmodum victoriae consulerat brevitate dicendi, ita laudem eloquentiae tamquam repetita accusatione est consecutus reliquorum conscriptione librorum, qui ceteros consequuntur. p. 154. *Deinceps haec omnia non dicta, sed scripta sunt contra eum, quod ita factum est: Fingit Cicero adesse in iudicio Verrem comperendinatum, respondere citatum et defendi. In ceteris enim orationibus defensor futurus accusationis officium his libris, qui Verrinarum nomine nuncupantur, compensare decrevit, et, quoniam accusare multos indecorum Tullio videbatur, in una caussa vim huius artis et eloquentiae demonstrare.* p. 155. *Libros igitur pro qualitate criminum Tullius dividens, ante actis unum dedit, hunc scilicet solum* [Action. Sec. Libr. I.], *crimini ipsi repetundarum quatuor: unum de iure dicendo* [Libr. II.], *alterum de re frumentaria* [Lib. III.], *tertium de signis* [Libr. IV.], *quartum de suppliciis* [Libr. V.]. Conf. ad a. 681. 1.

ANNUS VITAE CICERONIS XXXVIII.

a. U. C.	Coss. Q. HORTENSIUS.	a. A. C.
685.	Q. CAECILIUS METELLUS.	69.

(1) Cicero, aedilis curulis, trinos ludos facit modico sumptu; nec enim quidquam in suam rem vertit eorum, quae Siculi advexerant. II. c. 22. 59. VI. c. 38. 99.

Plutarch. Cic. c. 8. 1. *Οὐ μὴν ἀλλ' οἱ Σικελιῶται χάριν εἰδότες, ἀγορανομοῦντος αὐτοῦ, πολλὰ μὲν ἄγοντες ἀπὸ τῆς νήσου, πολλὰ δὲ φέροντες ἦκον· ὧν οὐδὲν ἐποιήσατο κέρδος, ἀλλ' ὅσον ἐπανωνίσασι τὴν ἀγορὰν ἀπεχρήσατο τῇ φιλοτιμίᾳ τῶν ἀνθρώπων.* Cic. in Verr. Act. I. c. 10. 29. *Iudex est M. Caesonius, collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus et cognitus: quem minime expediat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere.* ad q. l. Pseudo-Ascon. p. 140. *M. Caesonius, designatus aedilis cum Tullio et ideo non iudicaturus, quia et aedilis et iudicis vices sustinere non poterat uno tempore.*

(2) Hoc anno, ut videtur, defendit *M. Fonteium*, ex Gallia Narbonensi reversum, quam provinciam pro praetore per triennium (a. 679—681.) rexerat: quarto post reditum anno repetundarum reum factum a Gallis in primisque In-

dutiomaro, Trevirorum principe. Accusator fuit M. Plaetorius, subscriptor M. Fabius. II. c. 23. 61.

Orationem habitam esse, quo tempore iam equites cum senatoribus ex lege Aurelia [v. ad a. 684. 1.] iudicarent, ostendunt verba quae leguntur c. 12. 36. *Magna mehercule causa, iudices, absolutionis cum ceteris caussis haec est, ne qua insignis huic imperio macula atque ignominia suscipiatur, si hoc ita perlatum erit in Galliam, senatum equitesque populi Romani, non testimoniis Gallorum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem iudicasse. Ita vero, si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Indutiomaro isti minaci atque arroganti par in belligerando esse possit: — aut, quoniam id quidem non potest, orandus erit nobis amicus meus, M. Plaetorius, ut suos novos clientes a bello faciendo deterreat —: aut, si non poterit, M. Fabium subscriptorem eius rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget.* Conf. Quintil. VI. c. 3. 51.

(3) Ad eumdem annum referenda videtur oratio *pro A. Caecina*, cuius mentio fit IX. c. 25. 74.

De tempore, quo haec oratio habita sit, exposuit Ferratius, Epist. IV. 2. p. 236 sq. et Iordanus in Comment. ad hanc Orat. p. 135 sq.

ANNUS VITAE CICERONIS XXXIX.

a. U. C.	Coss. L. CAECILIUS METELLUS.	a. A. C.
686.	Q. MARCIUS REX.	68.

(1) Ab hoc demum anno incipiunt *Epistolae* Ciceronis; nam quae prius scriptae fuerint, perierunt omnes. In his autem, quae supersunt DCCC fere numero, habemus et perfectum scribendarum epistolarum exemplum, et praeclarissimam Tullianae aetatis morumque imaginem, et partem historiae memorabilem magnitudine rerum et conversione reipublicae in orbe terrarum maximae.

Fronto Epist. ad Antoninum Imp. II. 5. *Omnes Ciceronis epistolas legendas censeo, mea sententia vel magis, quam omnes eius orationes. Epistolis Ciceronis nihil est perfectius.* Plinius Epist. ad Sabinum IX. 2. 2. *Neque eadem nostra conditio, quae M. Tullii, ad cuius exemplum nos vocas. Illi enim et copiosissimum ingenium, et ingenio qua varie-*

tas rerum, quae magnitudo, largissime suppetebat. Conf. Quintil. X. c. 1. 107. Iac. Pontanus, Diss. *de praestantia Epistolarum Ciceronis*, et Henr. Stephanus, Comment. *de vario Epistolarum Ciceronianarum genere*, quos citat Morhof. in Polyhist. T. I. L. I. c. 23. 14. Io. Matth. Gesnerus *Ciceronis Epistolas ad Diversos commendat.* Gottingae, 1735. 4°. (recus. in I. M. Gesneri Opusc. min. varii argum. T. I. Vratisl. 1743. p. 45—52.) in quo Programmate p. 3 sq. legitur illud Gesneri iudicium de Cicerone, quod Ernestius memoravit in Dedicat. ad Stiglizium p. XXIV. D. L. van Lennep, *Beschouwing en verdediging van het karakter van Cicero, voornamelijk naar aanleiding van zijne Brieven* (in: Siegenbeek, Museum, III. 1814. (bl. 1—33). B. R. Abeken, Progr. *de lectione Epistolarum Ciceronis in scholis instituenda.* Osnabr. 1836. 4°. et Eiusd. liber utilissimus: *Cicero in seinen Briefen. Ein Leitfaden durch dieselben, mit Hinweisung auf die Zeiten, in denen sie geschrieben wurden.* Hannover, 1835. 8°. In definiendo autem tempore, quo quaeque Ciceronis epistola scripta sit, post Hieron. Ragazonium (Car. Sigon.), Wielandium et Schützium, accuratissime elaboravit Ioan. de Gruber, *Quaestio de tempore atque serie Epistolarum Ciceronis.* Sundiae, 1836. 4°. cuius Series repetita est in Orelli Onom. Tull. P. III. p. 441—448.

(2) Ad neminem vero plures scriptae sunt epistolae quam ad T. Pomponium Atticum, quocum Cicero sic vixit, ut eum altero fratre. I. c. 37. 116. IV. c. 18. 45.

Nepos Att. c. 16. 2. *Eum (Atticum) praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina Epistolarum, ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum; quae qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicae perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit, ut vates.* Conf. ad a. 658. 1. et 667. 5.

(3) Attici soror, Pomponia, circa hoc tempus Q. Ciceroni nupsit; quacum huic tamen saepe non bene convenit.

Nepos Att. c. 5. 3. *Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni, easque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu vivebat coniunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto, ut iudicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affini-*

tatem. Cic. ad Att. I. 5. 2. *Quod ad me scribis de sorore tua, testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet. Quem quum esse offensiorem arbitrarer, eas litteras ad eum misi, quibus et placarem ut fratrem, et monerem ut minorem, et obiurgarem ut errantem.* Conf. Ibid. V. 1. 3. VI. 3. 8. et 7. 1.

(4) L. Cicero, Marci et Quinti frater patruelis, quem et M. Cicero saepius habuit itineris comitem (cf. ad a. 675. 3. et 684. 6.) et Pomp. Atticus egregie dilexit, hoc anno mortuus est. I. c. 12. 33.

Cic. ad Att. I. 5. 1. *Quantum dolorem acceperim — Lucii fratris nostri morte, in primis, pro nostra consuetudine, tu existimare potes. — Quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, quum et meo dolore moveare, et ipse omni virtute officioque ornatissimum, tuique et sua sponte et meo sermone amantem, affinem amicumque amiseris.*

(5) Q. Hortensius post consulatum, remisso summo illo studio suo, quo a puero fuerat incensus, in omnium rerum abundantia remissius vivere coepit; neque in provinciam, quam sortitus erat, profectus est. VII. c. 37. 98.

Quintil. XI. c. 3. 8. *Hortensii scripta tantum intra famam sunt, qua diu princeps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est, novissime, quoad vixit, secundus, ut appareat, placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus.* Dio Fragm. 178. (111. 4. p. 102. Bekk.) *Κληρουμένων δὴ τῶν ὑπάτων Ὀρτήσιος τὸν πρὸς Κρῆτας ἔλαχε πόλεμον· ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ὑπό τε τῆς ἐν τῷ ἄστει φιλοχωρίας καὶ ὑπὸ τῶν δικαστηρίων, ἐν οἷς πλεῖστον τῶν κατ' αὐτὸν ἀνθρώπων μετά γε τὸν Κικέρωνα ἠδυνήθη, τῷ τε συνάρχοντι τῆς στρατείας ἐθελοντὴς ἐξέστη, καὶ αὐτὸς κατὰ χώραν ἔμεινεν. Ὁ δὲ δὴ Μέτελλος ἐστείλατό τε εἰς Κρήτην, καὶ τὴν νῆσον ἅπασαν ἐχειρώσατο μετὰ τοῦτο —.*

ANNUS VITAE CICERONIS XL.

a. U. C.	Coss. C. CALPURNIUS PISO.	a. A. C.
687.	M'. ACILIUS GLABRIO.	67.

(1) Hoc fere anno, post M. Aurelii Cottae (cos. a. 680.) re-

ditum ex Asia, Cicero dixit *pro P. Oppio*, qui a proconsule suo, quod repetundarum insidiarumque suspicionem sibi contraxerat, in Urbem erat relegatus. Oppii patrocinium Cicero suscepit, Cotta reum suo testimonio urgente. II. c. 23. 61.

Dio XXXVI. c. 23. 3. (c. 40. Bekk.) *Τό τε σύμπαν οὕτως ἐπιμελὲς τοῖς Ῥωμαίοις κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον τὸ μηδὲν δωροδοκεῖσθαι ἐγένετο, ὥστε πρός τῷ τοὺς ἁλισκομένους κολάζειν καὶ τοὺς κατηγοροῦντας αὐτῶν ἐτίμων· τοῦ γοῦν Κόττου τοῦ Μάρκου τὸν μὲν ταμίαν Πούπλιον Ὄππιον ἐπί τε δώροις καὶ ἐπὶ ὑποψίᾳ ἐπιβουλῆς ἀποπέμψαντος, αὐτοῦ δὲ πολλὰ ἐκ τῆς Βιθυνίας χρηματισαμένου, Γάϊον Κάρβωνα τὸν κατηγορήσαντα αὐτοῦ τιμαῖς ὑπατικαῖς, καίπερ δεδημαρχηκότα μόνον, ἐσέμνυναν.* Quintil. V. c. 13. 17. *Obiicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxerit: asperum crimen: sed id contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores obiecerint Oppio, quod is voluerit exercitum largiendo corrumpere.* Sallust. Fragm. Hist. III. 48. (p. 227. Gerl.) *Oppius, postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, a Cotta Vulscioque impeditur. [Ubi eum Cotta in contentione ab exercitu cogit discedere], dicit, se eius opera non usurum, eumque ab armis dimittit.* Quintil. V. c. 10. 69. *Cicero pro Oppio: »Utrum, quum Cottam appetisset, aut quum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est?"* — VI. c. 5. 10. *Infinitum est enumerare, ut (Cicero) Cottae detraxerit auctoritatem.* XI. c. 1. 67. *Cicero, quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen praefatione excusavit officii sui necessitatem.* Fortunatianus A. Rhet. Schol. 4. 2. p. 61. (Pith.) *Προπαρασκευή est, qua nobis iudicem praeparamus, quum aut quaedam nobis obstant, et illis prius occurrendum est, ut fecit Cicero pro Oppio contra M. Cottae auctoritatem.*

(2) Legitimo tempore, i. e. biennio post aedilitatem, Cicero praeturam petit et inter octo praetores, comitiis dilatis, ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatur. II. c. 23. 61 sq. VI. c. 38. 99.

Plutarch. Cic. c. 9. 1. *Στρατηγίαν δὲ μετιόντων ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη.* Cic. Epist. ad Furnium (ad Fam. X. 25. 2.) *Multi clarissimi viri, quum reipublicae darent operam, annum petitionis suae non obierunt. Quod eo facilius nobis est, quod non est annus hic tibi destinatus, ut, si aedilis fuis-*

ses, post biennium tuus annus esset. Nunc nihil praetermittere videbere usitati et quasi legitimi temporis ad petendum. Id. Orat. in toga cand. fr. 21. *Nescis, me praetorem primum esse factum, te (C. Antonium) — meo maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse sublectum?*

(3) L. Roscius Otho tribunus plebis legem tulit ut equites in theatro spectarent in XIV ordinibus, proximis orchestrae, in qua senatores sedebant. III. c. 7. 21.

Ascon. in Cornel. p. 79. *L. Roscius Otho biennio ante* [quam oratio pro Cornelio habebatur] *confirmavit, in theatro ut equitibus Romanis* XIV *ordines spectandi gratia darentur.* Livius Epit. 99. *L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro* XIV *gradus proximi assignarentur.* Velleius II. c. 32. 3. *Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit.* Dio XXXVI. c. 25. 1. (c. 42. Bekk.) *Ἐσήνεγκε μὲν οὖν καὶ ὁ Ῥώσκιος νόμον —. τὰς γὰρ τῶν ἱππέων τὰς ἐν τοῖς θεάτροις ἕδρας ἀκριβῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀφώρισε, καὶ ἔπαινον ἐπ' αὐτῷ ἔλαβεν.* Cfr. Cic. Phil. II. c. 18. 44. ad Att. II. 19. 3. Iuvenal. III. 159. XIV. 323. Seneca Epist. 44. 1. [v. ad a. 691. 6.]

ANNUS VITAE CICERONIS XLI.

a. U. C.	Coss. M'. AEMILIUS LEPIDUS.	a. A. C.
688.	L. VOLCATIUS TULLUS.	66.

(1) Cicero Praeturam gerit et singulari probitate exercet iudicia; et quum aliae ad alios praetores delatae essent quaestiones, Cicero praefuit quaestioni de pecuniis repetundis. II. c. 27. 73.

Ascon. in Cornel. p. 59. *M'. Lepido L. Volcatio consulibus — praetor Cicero fuit.* Plutarch. Cic. c. 9. 1. *Καὶ τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι.* Cic. pro Rabir. Post. c. 4. 9. *Accusavi de pecuniis repetundis: iudex sedi: praetor quaesivi: defendi plurimos.* Id. pro Cluent. c. 53. 147. *Opinor haec omnia lege fieri, totumque hoc iudicium quasi mente quadam regi legis et administrari. Quid ergo? haec quaestio sola ita gubernatur? Quid M. Plaetorii et C. Flaminii inter sicarios? quid C. Orchivii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis, quid C. Aquillii, apud quem nunc de ambitu causa dicitur?*

(2) Ad hanc quaestionem pertinere videtur caussa *C. Licinii Macri*, qui post reditum e provincia repetundarum reus factus, condemnatus est et eodem tempore diem obiit.

Cic. ad Att. I. 4. 2. *Nos hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus. Cui quum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione, illo damnato, cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* Plutarch. Cic. c. 9. 1. *Λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ, τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθὼς, ὅτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε, κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος καὶ καθαρὸν ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν, αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι· τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ καὶ φράσαντος, ὅτι πάσαις ἑάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας καὶ καταχλινεὶς ἀποθανεῖν. Τὸ δὲ πρᾶγμα τῷ Κικέρωνι δόξαν ἔνεγκεν ὡς ἐπιμελῶς βραβεύσαντι τὸ δικαστήριον.* Rem paullo aliter narrat Valer. Max. IX. c. 12. 7. *Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, vir praetorius, Calvi pater, repetundarum reus, dum sententiae dicerentur, in Maenianum conscendit. Siquidem quum M. Ciceranem, qui id iudicium cogebat, praetextam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastae posse subiici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus coartatis, incluso spiritu poenam morte praecurrit. Qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiavit. Igitur illustris ingenii orator* [C. Licinius Macer Calvus] *et ab inopia rei familiaris, et a crimine domesticae damnationis, inusitati paterni fati genere vindicatus est.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXXII. p. 385.

(3) Cicero orationem habet *pro lege Manilia*, a tribuno plebis C. Manilio promulgata, ut bellum cum Mithridate, a Lucullo adhuc gestum, Cn. Pompeio Magno committeretur; contradicente Q. Catulo (cos. a. 676.) et Q. Hortensio. II. c. 24 sq.

Livius Epit. 100. *C. Manilius tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur.* Velleius II. c. 33. 1. *Quum esset in fine bellum Mithridaticum, et L. Lucullus, qui ante septem annos* [v. ad a. 680. 7.] *ex consulatu sortitus Asiam Mithridati oppositus erat, — idem bellum adhuc administraret; Manilius tribunus plebis, semper venalis et alienae minister potentiae,*

legem tulit, ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium administraretur. Q. Cicero de petit. cons. c. 13. 51. *Eorum studia, qui conciones tenent, — adeptus es in Pompeio ornando, Manilia causa recipienda.* Dio XXXVI. c. 25. 4 sq. (c. 42. Bekk.) *Τὸν Πομπήιον καὶ ἄκοντα ἐκολάκευσεν (ὁ Μανίλιος) —. τόν τε γὰρ τοῦ Τιγράνου καὶ τὸν τοῦ Μιθριδάτου πόλεμον, τήν τε Βιθυνίαν καὶ τὴν Κιλικίαν ἅμα ἀρχὴν αὐτῷ προσέταξεν. ἀγανάκτησις μὲν γὰρ καὶ ἀντιλογία καὶ τότε παρὰ τῶν δυνατῶν — ἐγένετο· ὁ δὲ ὅμιλος — ἐψηφίσατο αὐτά, ἐναγόντων σφᾶς ἐς τὰ μάλιστα τοῦ τε Καίσαρος καὶ τοῦ Κικέρωνος τοῦ Μάρκου.* Plutarch. Pomp. c. 30. 1. *Ἀπαγγελθέντος δὲ εἰς Ῥώμην πέρας ἔχειν τὸν πειρατικὸν πόλεμον καὶ σχολὴν ἄγοντα τὸν Πομπήιον ἐπέρχεσθαι τὰς πόλεις, γράφει νόμον εἷς τῶν δημάρχων Μάλλιος, ὅσης Λούκουλλος ἄρχει χώρας καὶ δυνάμεως, Πομπήιον παραλαβόντα πᾶσαν, προσλαβόντα δὲ καὶ Βιθυνίαν, ἣν ἔχει Γλαβρίων, πολεμεῖν Μιθριδάτῃ καὶ Τιγράνῃ τοῖς βασιλεῦσιν ἔχοντα καὶ τὴν ναυτικὴν δύναμιν καὶ τὸ κράτος τῆς θαλάσσης ἐφ' οἷς ἔλαβεν ἐξ ἀρχῆς. Τοῦτο δ' ἦν ὑφ' ἑνὶ συλλήβδην γενέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν. — Ἐνστάντος δὲ τοῦ καιροῦ τὸν δῆμον φοβηθέντες ἐξέλιπον καὶ κατεσιώπησαν οἱ λοιποί, Κάτλος δὲ τοῦ νόμου πολλὰ κατηγορήσας καὶ τοῦ δημάρχου, μηδένα δὲ πείθων, ἐκέλευε τὴν βουλὴν ἀπὸ τοῦ βήματος κεκραγὼς πολλάκις ὅρος ζητεῖν, ὥσπερ οἱ πρόγονοι, καὶ κρημνὸν, ὅπου καταφυγοῦσα διασώσει τὴν ἐλευθερίαν. Ἐκυρώθη δ' οὖν ὁ νόμος, ὡς λέγουσι, πάσαις ταῖς φυλαῖς καὶ κύριος ἀποδέδεικτο μὴ παρὼν ὁ Πομπήιος ἁπάντων σχεδὸν, ὧν ὁ Σύλλας ὅπλοις καὶ πολέμῳ τῆς πόλεως κρατήσας.* Conf. Zonaras X. c. 4. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 11. p. 370.

(4) Pompeius, delata sibi conficiendi belli cura, acerrime et summa contentione pugnans, Mithridatem fugat. II. c. 26. 71.

Livius Epit. 100. *Cn. Pompeius ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit; equestri praelio Mithridatem vicit.* Id. Epit. 101. *Cn. Pompeius Mithridatem, nocturno praelio victum, coegit Bosporon profugere.* Conf. Dio XXXVI. c. 28 sqq. (c. 45. Bekk.) Plutarch. Pomp. c. 32. Appian. B. Mithrid. c. 98. 100. Zonar. X. c. 4. Velleius II. c. 37. Florus III. c. 5. 22—25. Iustinus XLII. c. 4. Eutrop. VI. c. 12. Sex. Rufus c. 16. Aur. Victor de Vir. ill. c. 76. Oros. VI. c. 4.

(5) C. Cornelius a duobus fratribus Cominiis reus fit de maiestate; quem Cicero sequenti anno defendit. II. c. 27. 73.

Ascon. in Cornel. p. 59. *M'. Lepido, L. Volcatio consulibus, quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt. Detulit nomen Publius, subscripsit Caius.* Id. p. 57. *Cornelii rogationem indigne tulerant potentissimi quique ex senatu, quorum gratia magno opere minuebatur: itaque P. Servilius Globulus, tribunus plebis, inventus est, qui C. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundae dies venit et praeco subiiciente scriba verba legis recitare populo coepit, et scribam subiicere et praeconem pronuntiare non passus est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit.* [v. ad a. 689. 3.]

(°) Cicero *A. Cluentium Avitum*, veneficii accusatum a T. Accio Pisaurensi, defendit apud praetorem Q. Voconium Nasonem. II. c. 27. 74. VI. c. 17. 42.

Cic. pro Cluent. c. 53. 147. *Mea (quaestio) de pecuniis repetundis.* Quintil. IV. c. 5. 11. *Non defuerunt, qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarent, qua se dicturum esse promisit primum, Neminem maioribus criminibus, gravioribus testibus, in iudicium vocatum, quam Oppianicum; deinde, Praeiudicia esse facta ab iis ipsis iudicibus, a quibus condemnatus sit; postremo, Iudicium pecunia tentatum non a Cluentio, sed contra Cluentium: quia si probari posset, quod est tertium, nihil necesse fuerit dicere priora.* VI. c. 5. 9. *Ciceronis quidem vel una pro Cluentio quamlibet multis exemplis suffecerit oratio. Nam, quod in eo consilium maxime mirer? primamne expositionem, qua matri, cuius filium premebat auctoritas, abstulit fidem? an, quod idem corrupti iudicii crimen transferre in adversarium maluit, quam negare, propter inveteratam, ut ipse dicit* [c. 1. 1.], *infamiam? an, quod in re invidiosa legis auxilio novissime est usus? quo genere defensionis etiam offendisset nondum praemollitas iudicum mentes: an, quod se ipsum invito Cluentio facere testatus est?* XI. c. 1. 61. *Quid aures hominum magis respuunt, quam quum est filio filiive advocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen necesse est, ut in caussa Cluentii Aviti: sed non semper illa via, qua contra Sassiam Cicero usus est; non quia non ille optime, sed quia plurimum refert, qua in re et quo modo laedat. Itaque illa, quum filii caput palam impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen, quae sola supererant, divine Cicero servavit: primum, ne obliviscretur reverentiae, quae parentibus debetur; deinde ut, repetitis altius caussis, diligentissime ostenderet, quam id, quod erat in matrem dicturus, non oporteret modo fieri, sed etiam necesse esset. Primaque haec expositio fuit, quamquam ad praesentem quaestionem nihil pertinebat: adeo in caussa difficili atque perplexa nihil prius intuendum credidit, quam quid dece-*

ret. Fecit itaque nomen parentis non filio invidiosum, sed ipsi, in quam dicebatur.

(7) Sed iam ante defenderat *Scamandrum*, libertum Fabriciorum. II. c. 28. 75 sqq.

Quintil. XI. c. 1. 74. *Difficilior ei (Ciceroni) ratio in iudicio Cluentiano fuit, quum Scamandrum necesse haberet dicere nocentem, cuius egerat caussam. Verum illud elegantissime, quum eorum, a quibus ad se perductus esset, precibus, tum etiam adolescentia sua excusat: detracturus alioqui plus auctoritatis, si, in caussa praesertim suspecta, se eum esse, qui temere nocentes reos susciperet, fateretur.*

(8) Multas praeterea alias orationes videtur habuisse, II. c. 28. 75. ut pro *M. Fundanio*, pro *C. Orchivio*, alias. Denique etiam extremo mense huius anni defendit *C. Manilium*.

Q. Cicero de petit. cons. c. 5. 19. *Hoc biennio quattuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, M. Fundanii, Q. Gallii* [v. ad a. 690. 7.], *C. Cornelii* [v. ad a. 689. 3.], *C. Orchivii: horum in caussis ad te deferendis quidnam eorum sodales tibi receperint et confirmarint, scio nam interfui.* Cic. fragm. Orat. 1. pro Cornelio p. 1292. n. 5. *Petivit tamen a me praetore maxima contestatione, ut caussam Manilii defenderem.* Ascon. in Cornelian. p. 60. *M. Manilius — iudicium per operarum duces turbaverat.* Plutarch. Cic. c. 9. 3. Ἔτι δ' ἡμέρας δύο ἢ τρεῖς ἔχοντι τῆς ἀρχῆς αὐτῷ προσήγαγέ τις Μανίλιον εὐθύνων κλοπῆς. Ὁ δὲ Μανίλιος οὗτος εὔνοιαν εἶχε καὶ σπουδὴν ὑπὸ τοῦ δήμου δοκῶν ἐλαινεσθαι διὰ Πομπήιον· ἐκείνου γὰρ ἦν φίλος. Λιτουμένου δ' ἡμέρας αὐτοῦ μίαν ὁ Κικέρων μόνην τὴν ἐπιοῦσαν ἔδωκε· καὶ ὁ δῆμος ἠγανάκτησεν, εἰθισμένων τῶν στρατηγῶν δέκα τοὐλάχιστον ἡμέρας διδόναι τοῖς κινδυνεύουσι. Τῶν δὲ δημάρχων αὐτὸν διαγαγόντων ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ κατηγορούντων, ἀκουσθῆναι δεηθεὶς εἶπεν, ὅτι τοῖς κινδυνεύουσιν ἀεὶ, καθ' ὅσον οἱ νόμοι παρείκουσι, κεχρημένος ἐπιεικῶς καὶ φιλανθρώπως, δεινὸν ἡγεῖτο τῷ Μανιλίῳ ταὐτὰ μὴ παρασχεῖν· ἧς οὖν ἔτι μόνης κύριος ἦν ἡμέρας στρατηγῶν, ταύτην ἐπίτηδες ὁρίσαι· τὸ γὰρ εἰς ἄλλον ἄρχοντα τὴν κρίσιν ἐκβαλεῖν οὐκ εἶναι βουλομένου βοηθεῖν. Ταῦτα λεχθέντα θαυμαστὴν ἐποίησε τοῦ δήμου μεταβολήν· καὶ πολλὰ κατευφημοῦντες αὐτὸν ἐδέοντο τὴν ὑπὲρ τοῦ Μανιλίου συνηγορίαν ἀναλαβεῖν. Ὁ δ' ὑπέστη προθύμως, οὐχ ἥκιστα διὰ Πομπήιον ἀπόντα· καὶ καταστὰς πάλιν ἐξ ὑπαρχῆς ἐδημηγόρησε νεανικῶς τῶν ὀλιγαρχικῶν καὶ τῷ Πομπηίῳ φθονούντων καθαπτόμενος. Cf. Dio XXXVI. c. 27. (c. 44. Bekk.)

(9) Cicero, qui non destiterat in arte sua ingenium excolere, hoc tempore scholas frequentat M. Antonii Gniphonis rhetoris. II. c. 23. 61.

Sueton. de ill. Gramm. c. 7. *M. Antonius Gnipho, ingenuus in Gallia natus sed expositus, a nutritore suo manumissus, — fuisse dicitur ingenii magni, memoriae singularis, nec minus Graece quam Latine doctus: — docuit rhetoricam ita ut quotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret vero non nisi nundinis. Scholam eius claros quoque viros frequentasse aiunt: in his M. Ciceronem etiam quum praetura fungeretur.* Macrob. Saturn. III. c. 12. *Antonius Gnipho vir doctus, cuius scholam Cicero post laborem fori frequentabat.*

(10) Q. Cicero, M. frater, petit Aedilitatem, designatusque est, ut videtur, cum C. Virgilio. V. c. 2. 4.

Cic. ad Att. I. 4. 1. *Nuper quidem, quum iam te adventare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem reiecti sumus. Nunc vero censeo, quod commodo tuo facere poteris, venias ad id tempus, quod scribis. Obieris Quinti fratris comitia.* Id. ad Q. fr. I. 3. 3. *Puto per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium, ne ille versus, qui in te erat collatus, quum aedilitatem petebas, de lege Aurelia, falso testimonio confirmetur.* pro Planc. c. 3. 20. *Quid ego de me, de fratre meo loquar? quorum honoribus agri, prope dicam, ipsi montesque faverunt.* Cf. I. Guil. Tydeman, *Annot. in Q. Tullii Ciceronis librum de Petitione consulatus.* Lugd. Bat. 1838. 8°. p. 17 sq.

(11) L. Sergius Catilina hoc anno Africam praetor obtinuit. II. c. 30. 80. c. 32. 86.

Asconius ad Orat. in toga cand. p. 85. *Catilina ex praetura Africam provinciam obtinuit. Quam quum graviter vexasset, legati Afri in senatu iam absente illo questi sunt, multaeque graves sententiae in senatu de eo dictae sunt.* — p. 89. *Paullo ante diximus, Catilinam, quum de provincia Africa decederet petiturus consulatum et legati Afri questi de eo in senatu graviter essent, Romam pervenisse.*

(12) P. Cornelio Sulla et P. Autronio Paeto, qui consules erant designati, damnatis ambitus, consules in annum sequentem creantur L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus.

Sallust. Cat. c. 18. *L. Tullo M'. Lepido consulibus P. Autronius et P. Sulla, designati consules, legibus ambitus interrogati poenas dederant.* Sueton. Caes. c. 9. *P. Sulla et Autronius post designationem consulatus*

ambitus condemnati sunt. Cic. in toga cand. fr. 8. *Ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.* ad q. l. Asconius p. 89. *Legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium* [a. U. C. 687.] *de ambitu tulerat. Quod autem dicit, damnatos esse designatos consules, P. Sullam et P. Autronium — vult intelligi.* Conf. Cic. de Finib. B. et M. II. c. 19. 62. Dio XXXVI. c. 27. 3. (c. 44. Bekk.) *Πούπλιός τε Πείσος καὶ Κορνήλιος Σύλλας, ἀδελφιδοῦς ἐκείνου τοῦ πάνυ Σύλλου, ὕπατοί τε ἀποδειχθέντες καὶ δεκασμοῦ ἁλόντες ἐπεβούλευσαν τοὺς κατηγορήσαντάς σφων Κότταν τε καὶ Τορκουᾶτον Λουκίους, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ αὐτοὶ ἀνθηρέθησαν, ἀποκτεῖναι. καὶ παρεσκευάσθησαν μὲν ἄλλοι τε καὶ Γναῖος Πίσων καὶ Λούκιος Κατιλίνας ἀνὴρ θρασύτατος, (ἠτήκει δὲ καὶ αὐτὸς τὴν ἀρχήν, καὶ διὰ τοῦτο ὀργὴν ἐποιεῖτο), οὐ μέντοι καὶ ἠδυνήθησάν τι δρᾶσαι διὰ τὸ τήν τε ἐπιβουλὴν προμηνυθῆναι καὶ φρουρὰν τῷ τε Κόττα καὶ τῷ Τορκουάτῳ παρὰ τῆς βουλῆς δοθῆναι.*

(13) Pridie Kal. Ianuar. Catilina, coniuratione facta cum Autronio, Sulla, Pisone et aliis, in comitio stetit cum telo et magnam manum paravit ad consules designatos et principes civitatis interficiendos. II. c. 31. 83. III. c. 11. 33.

Sallust. Catil. c. 18. *Coniurasere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina fuit. — L. Tullo M'. Lepido consulibus P. Autronius et P. Sulla, designati consules, legibus ambitus interrogati poenas dederant. — Erat eodem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius circiter Nonas Decembris consilio communicato parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita* cet. Conf. Dio l. c.

ANNUS VITAE CICERONIS XLII.

a. U. C.	Coss. L. AURELIUS COTTA.	a. A. C.
689.	L. MANLIUS TORQUATUS.	65.

(1) Coniuratores spe sua frustrati, quum fortuna populi

Romani istorum furori obstitisset, consilium interficiendi consules differunt in Nonas Februarias. II. c. 31. 83.

Sallust. Catil. c. 18. *Ea re cognita, rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant. Iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die — pessumum facinus patratum foret.* Ascon. ad Orat. in toga cand. p. 93. *Fuit opinio, Catilinam et Cn. Pisonem, adolescentem perditum, coniurasse ad caedem senatus faciendam ante annum, quam haec dicta sunt, Cotta et Torquato consulibus, eamque caedem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, coniuratis signum dedisset Catilina.* Cf. Dio l. c.

(2) Catilina repetundarum accusatus a P. Clodio, II. c. 30. 80. c. 32. 85. frustra implorato Ciceronis patrocinio, II. c. 30. 82. defenditur ab Hortensio et Torquato. II. c. 31. 84 sq. Etsi absolutus, prohibetur petere consulatum.

Sallust. Catil. c. 18. *Post paullo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit.* Ascon. ad Orat. in toga cand. p. 85. *Ante annum, quam haec dicerentur, Catilina, quum redisset ex Africa, Torquato et Cotta consulibus, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem, haec ipsa Ciceronis oratio (in toga candida) facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, quum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti.* Ibid. p. 87. *Iudicio absolutus est Catilina, ut Clodius infamis fuerit praevaricatus esse.* Conf. Q. Cicero de petit. cons. c. 3. 10 sqq. C. A. F. Brückner, *Cicero num Catilinam repetundarum reum defenderit.* Schweidnicii, 1844. 4°.

(3) Cicero, qui ex praetura in provinciam ire recusaverat, duabus orationibus defendit *C. Cornelium.* II. c. 27. 73. VI. c. 17. 42.

Cic. pro Murena c. 20. 42. *Tu in provinciam ire noluisti (Servi). Non possum id in te reprehendere, quod in me ipso et praetor et consul probavi.* Id. ad Att. I. 16. 14. Q. Cic. de petit. consul. c. 5. 19. *Hoc biennio quattuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, M. Fundanii,* [a. 688.], *Q. Gallii* [a. 690.], *C. Cornelii* [h. a.], *C. Orchivii* [a. 688.]. Ascon. in Cornel. p. 59. *M'. Lepido L. Volcatio consulibus, quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres*

Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt [v. ad a. 688. 5.] — *Sequente deinde anno, L. Cotta L. Torquato consulibus, quo haec oratio* (prima) *a Cicerone praetorio dicta est* —. p. 60. *Dixerunt in eum* (Cornelium) *infesti testimonia principes civitatis, qui plurimum in senatu poterant, Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, M. Lucullus, M'. Lepidus.* p. 62. *Exstat oratio Cominii accusatoris.* — *Cicero ipse significat quatriduo Cornelium defendisse; quas actiones contulisse cum in duas orationes apparet.* Quintil. v. c. 13. 18. *Testes in Cornelium accusator lecti a tribuno codicis pollicetur. Facit hoc Cicero supervacuum, quia ipse fateatur.* vi. c. 5. 10. *Infinitum est enumerare, ut — Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit.* viii. c. 3. 3. *Nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus armis praeliatus in caussa est Cicero Cornelii. Quum consecutus esset* [*docendo iudicem tantum et utiliter demum ac Latine perspicueque*] *dicendo, ut populus Romanus admirationem suam non acclamatione tantum sed etiam plausu confiteretur; sublimitas profecto et magnificentia et nitor et auctoritas expressit illum fragorem. Nec tam insolita laus esset prosecuta dicentem, si usitata et ceteris similis fuisset oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec sensisse, quid facerent, nec sponte iudicioque plausisse; sed velut mente captos, et, quo essent in loco, ignaros erupisse in hunc voluptatis affectum.*

(4) His consulibus complures in Capitolio turres de caelo percussae, et alia prodigia facta sunt. III. c. 30. 92. c. 31. 97.

Dio XXXVII. c. 9. 1. Τὰ δὲ δὴ τέρατα καὶ πάνυ αὐτοὺς (Ῥωμαίους) ἐθορύβει. ἐν γὰρ τῷ Καπιτωλίῳ ἀνδριάντες τε πολλοὶ ὑπὸ κεραυνῶν συνεχωνεύθησαν καὶ ἀγάλματα ἄλλα τε καὶ Διὸς ἐπὶ κίονος ἱδρυμένου, εἰκών τέ τις λυκαίνης σύν τε τῷ Ῥώμῳ καὶ σὺν τῷ Ῥωμύλῳ ἱδρυμένη ἔπεσε, τά τε γράμματα τῶν στηλῶν, ἐς ἃς οἱ νόμοι ἐσεγράφοντο, συνεχύθη καὶ ἀμυδρὰ ἐγένετο. τά τε οὖν ἄλλα ἐξεθύοντο τοῖς μάντεσι πειθόμενοι, καὶ τῷ Διὶ ἄγαλμα μεῖζον, πρός τε τὰς ἀνατολὰς καὶ πρὸς τὴν ἀγορὰν βλέπον, ὅπως αἱ συνωμοσίαι ὑφ' ὧν ἐταράττοντο ἐκφανεῖεν, ἱδρυθῆναι ἐψηφίσαντο. Arnobius L. VII. p. 245. *Sed neque hoc nostram conscientiam fugit lectum et positum, ictum quum esset Capitolium fulmine, multaque in hoc alia, Iovis etiam simulacrum, sublimi quod in culmine stabat, suis esse ab sedibus provolutum. Responsum deinde ab haruspicibus editum, res saevas tristissimasque portendi, ab incendiis, caedibus, ab legum interitu, et ab iuris occasu, maxime tamen ab domesticis hostibus, atque ab impia coniuratorum manu: sed flecti haec posse, immo ali-*

ter publicari scelerata non posse consilia, nisi Iupiter rursus altiore in culmine figeretur, orientalem conversus ad cardinem, radiisque oppositus solis. Adfuisse dicto fidem: nam subrecto culmine, conversoque ad solem signo, patuisse res abditas, et reserata in maleficia vindicatum. Obsequens c. 122. *M. Cicerone C. Antonio coss.* [a. U. C. 691.] *Inter alia relatum, biennio ante* [a. U. C. 689.] *in Capitolio lupam Remi et Romuli fulmine ictam, signumque Iovis cum columna disiectum. Haruspicum responso in foro repositum. Tabulae legum aeneae litteris liquefactis. Ab his prodigiis Catilinae nefaria conspiratio coepta.*

(5) T. Pomponius Atticus relictis Athenis, ubi XXII fere annos moratus erat, Romam redit.

Nepos Att. c. 2. 2. *Interfecto Sulpicio* [a. U. C. 666.], *posteaquam vidit, Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, — Athenas se contulit* [v. ad a. 667. 5.]. c. 4. 3. *Hic complures annos moratus —. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta et L. Torquato coss. quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret.*

ANNUS VITAE CICERONIS XLIII.

a. U. C.	Coss. L. IULIUS CAESAR.	a. A. C.
690.	C. MARCIUS FIGULUS.	64.

(1) Cicero annum aetatis agens XLIII, qui legibus Romanis consularis erat, consulatum petit: ad quod suscipiendum Q. Cicero scripto libro de petitione consulatus M. fratrem cohortatus est. II. c. 34. 91. c. 36. 99.

Cic. Phil. V. c. 17. 47. *Maiores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant: quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter aequales. Ita saepe magna indoles virtutis, priusquam reipublicae prodesse potuisset, exstincta fuit. At vero apud antiquos Rulli, Decii, Corvini, multique alii, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flamininus, admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornarint. Quid? Macedo Alexander, quum ab ineunte aetate res maximas gerere coepisset, nonne tertio et tricesimo anno*

mortem obiit? quae est aetas nostris legibus decem annis minor, quam consularis. Q. Cic. de petit. consul. c. 3. 10. *Quid ego nunc tibi de Africa*, [ex qua Catilina redux repetundarum fuerat accusatus, v. ad a. 689. 2.] *quid de testium dictis scribam? — Sed tamen hoc mihi non praetermittendum videtur, quod primum ex eo iudicio tam egens discessit, quam quidam iudices eius ante illud iudicium fuerunt: deinde tam invidiosus, ut aliud in eum iudicium quotidie flagitetur.* — c. 5. 19. *Hoc biennio quattuor sodalitates civium ad ambitionem gravissimorum tibi obligasti, M. Fundanii* [a. 688.], *Q. Gallii* [h. a.], *C. Cornelii* [a. 689.], *C. Orchivii* [a. 688]: *horum in caussis ad te deferendis quidnam eorum sodales tibi receperint et confirmarint, scio: nam interfui.* — c. 13. 51. *Iam urbanam illam multitudinem et eorum studia, qui conciones tenent, adeptus es in Pompeio ornando, Manilia caussa recipienda* [v. ad a. 688. 3.], *Cornelio defendendo* [v. ad a. 689. 3.]. Conf. I. Guil. Tydeman, Specim. Lit. continens *in Q. Tullii Ciceronis de Petitione Consulatus librum Adnotationem.* Lugd. Bat. 1838. 8°.

(2) Competitores erant L. Sergius Catilina, P. Sulpicius Galba, C. Antonius, Q. Cornificius, alii. II. c. 34. 90. c. 35. 97. Quum autem in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae et Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. Cui rei quum Q. Mucius Orestinus, tribunus plebis, intercessisset, graviter senatu intercessionem ferente, Cicero surrexit atque in coitionem Catilinae et Antonii invectus est, habita oratione *in toga candida.*

Ascon. ad Orat. in toga cand. p. 82 sq. *Haec oratio dicta est L. Caesare, C. Figulo coss. post annum quam pro Cornelio* [v. ad a. 689. 3.] *dixerat. Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum; duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium et C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit. Ceteri eius competitores modeste se gessere, virique sunt Cornificius et Galba sobrii ac sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in coniuratione Catilinae esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem. Itaque*

hi quatuor propere incebant. Catilina autem et Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu deiicerent, adiutoribus usi firmissimis, M. Crasso et C. Caesare. Itaque haec oratio contra solos Catilinam et Antonium est.

(3) Catilina opprimendae reipublicae consilium capit, usus multorum ex omni ordine atque ex omni aetate hominum opera. II. c. 30. 80.

Sallustius Catil. c. 17. (*Catilina*) *circiter Kalendas Iunias L. Caesare et C. Figulo coss. primo singulos appellare: hortari alios, alios tentare: opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia coniurationis docere. Ubi satis explorata sunt quae voluit, in unum omnes convocat, quibus maxima necessitudo et plurimum audaciae inerat. Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius: praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paullo occultius consilii huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur quam inopia aut alia necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxime nobilium, Catilinae inceptis favebat. — Fuere item ea tempestate qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse.* Appian. B. C. II. c. 2. *Γάϊος δὲ Κατιλίνας μεγέθει τε δόξης καὶ γένους λαμπρότητι περιώνυμος, ἔμπληκτος ἀνὴρ, — ἐκ δὲ φιλοτιμίας — ἐς πενίαν ὑπενηνεγμένος, καὶ θεραπευόμενος ἔτι πρὸς δυνατῶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν· ἐς ὑπατείαν παρήγγελλεν, ὡς τῇδε παροδεύσων ἐς τύραννίδα. Πάγχυ δ' ἐλπίσας αἱρεθήσεσθαι, διὰ τὴν ὑποψίαν τήνδε ἀπεκρούσθη. Καὶ Κικέρων μὲν ἦρχεν ἀντ' αὐτοῦ, ἀνὴρ ἥδιστος εἰπεῖν τε καὶ ῥητορεῦσαι.* Plutarch. Cic. c. 10. 3. *Διέφθαρτο δ' ὑπ' αὐτοῦ πολὺ μέρος τῆς ἐν τῇ πόλει νεότητος, ἡδονὰς καὶ πότους καὶ γυναικῶν ἔρωτας ἀεὶ προξενοῦντος ἑκάστῳ καὶ τὴν εἰς ταῦτα δαπάνην ἀφειδῶς παρασκευάζοντος. Ἐπῆρτο δ' ἥ τε Τυρρηνία πρὸς ἀπόστασιν ὅλη καὶ τὰ πολλὰ τῆς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίας.*

(4) Superatis competitoribus, Catilina et Galba, Cicero consul designatur omnium consensu cum M. Antonio; quo facto, homo novus quum esset, claustra nobilitatis frègit,

ut aditus ad consulatum posthac non magis nobilitati quam virtuti pateret. II. c. 35 sq. Cfr. I. c. 15. 39. VI. c. 38. 99.

Sallust. Catil. c. 23. *Ea res* (coniuratio Catilinae) *inprimis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.* c. 24. *Igitur comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius et C. Antonius; quod factum primo populares coniurationis concusserat.* Ascon. ad Orat. in toga cand. p. 95. *Cicero consul omnium consensu factus est: Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, quum ei propter patris nomen paullo speciosior manus suffragata esset quam Catilinae.* Plutarch. Cic. c. 10. 1. *Ἐπὶ δὲ τὴν ὑπατείαν οὐχ ἧττον ὑπὸ τῶν ἀριστοκρατικῶν ἢ τῶν πολλῶν προήχθη.* — c. 11. *Οὐ μὴν ἀλλὰ βουλόμενος ὁ Κατιλίνας ἰσχυρόν τι προκαταλαβεῖν ὁρμητήριον ὑπατείαν μετῄει· καὶ λαμπρὸς ἦν ταῖς ἐλπίσιν ὡς Γαΐῳ Ἀντωνίῳ συνυπατεύσων, ἀνδρὶ καθ' αὑτὸν μὲν οὔτε πρὸς τὸ βέλτιον οὔτε πρὸς τὸ χεῖρον ἡγεμονικῷ, προσθήκῃ δ' ἄγοντος ἑτέρου δυνάμεως ἐσομένῳ. Ταῦτα δὴ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν οἱ πλεῖστοι προαισθόμενοι τὸν Κικέρωνα προῆγον ἐπὶ τὴν ὑπατείαν· καὶ τοῦ δήμου δεξαμένου προθύμως, ὁ μὲν Κατιλίνας ἐξέπεσε, Κικέρων δὲ καὶ Γάϊος Ἀντώνιος ᾑρέθησαν· καίτοι τῶν μετιόντων ὁ Κικέρων μόνος ἦν ἐξ ἱππικοῦ πατρός, οὐ βουλευτοῦ, γεγονώς.*

(5) Ciceroni ex Terentia filius nascitur, qui patri cognominis fuit. Filiam Tulliam despondet C. Pisoni L. F. Frugi. II. c. 35. 87.

De Cicerone filio scripserunt: Simon Vallambertus, *M. Tullii Ciceronis filii Vita.* Paris. 1587. 8°. quem librum repetiit I. A. Fabricius, Hamburgi 1729. 8°. I. H. L. Meierotto, *Schilderung der Erziehung und Unterweisung, welche M. T. Cicero seinem Sohne gegeben.* Berlin, 1784. Idem, *Cur M. Tullius M. F. Cicero bene natus a tanto patre minus bene institutus* (in libro: De rebus ad auctores quosdam classicos pertinentibus p. 171—219.) Berol. 1785. 8°. — De Tullia scripsit: Casp. Sagittarius, *Historia vitae ac mortis Tulliae, M. Tullii Ciceronis filiae.* Ienae, 1679. 4°. Add *Histoire de Tullie, fille de Cicéron, par une dame illustre* (la Marquise de Lassay). Paris, 1726. 12°.

(6) Cicero patrem suum morte amittit, tempore petitionis.

Ascon. ad Orat. in toga cand. p. 82. *Solus Cicero ex competitoribus*

equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit. Sunt qui huc referant, quod apud Ciceronem legitur ad Att. I. 6. 2. *Pater nobis decessit a. d.* VIII. *Kal. Decembr.* Sed quum ea epistola scripta sit a. 686. multo ante petitionem, potius de quovis alio decessu quam de morte videtur cogitandum esse. Et quis credat Ciceronem sic de morte patris potuisse scribere ad amicum?

(7) Ad hunc annum referenda videtur oratio, quam *pro Q. Gallio* habuit contra M. Calidium.

Ascon. ad Orat. in toga cand. p. 88. *Q. Gallium, quem postea* [i. e. post orationem in toga candida habitam] *reum ambitus defendit, significare videtur.* Cic. Brut. c. 80. 277. *Quin etiam memini, quum (Calidius) in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse idque a se esse deprehensum, seseque chirographa, testificationes, indicia, quaestiones, manifestam rem, deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset, me in respondendo, quum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, quum pestem capitis sui, quum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter: »Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? praesertim quum"* cet. *Sic nos summi oratoris vel sanitate vel vitio pro argumento ad diluendum crimen usi sumus.* Conf. Q. Cicero l. c. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XC. 1. p. 436.

ANNUS VITAE CICERONIS XLIV.

a. U. C.	[Kal. Ianuar. inciderunt in d. 14 Martii a. 63 A. C.]	a. A. C.
691.		63.

Ab hoc inde anno usque ad a. 708. qui fuit confusionis ultimus, operae pretium facturus esse mihi visus sum, si, quotiescunque memorandi essent dies ad veteris Kalendarii normam compositi, eos ad anni formam Iulianam reducerem. Ex accurata enim illorum temporum cognitione mirum est quantum lucis oriatur quum omni historiae Romanae, tum innumerabilibus veterum scriptorum, Ciceronis maxime, locis, qui nunc sunt difficiles atque obscuri. Usui autem mihi fuere hae in re *Tabulae, Kalendarium Romanorum vetus, quale fuit ab A. U.* 691. *usque ad A. U.* 709. *comparantes cum forma anni Iuliana*, quas, ad illustrandas Ciceronis epistolas, compositas a Guil. Ferd. Korb, edidit Orellius in Onomast. Tullian. P. I. p. 131—192. quo Korbii labore feliciter usus est E. W. Fischer, *Römische Zeittafeln von Roms Gründung bis auf Augustus' Tod.* Altona, 1846. 4°. Ante Korbium vero hanc partem historiae, ne de Scaligero, Petavio, aliis loquar, illustraverat sagacissimus

Gallus de la Nauze, cuius scriptum *le Calendrier Romain, depuis les Décemvirs jusqu'à la correction de Iules César* exstat in: *Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions et Belles-lettres*, Tom. XXVI. p. 219—266. Paris, 1759. 4°. et, qui de omni chronologia immortaliter meritus est, Idelerus, in egregio libro, quem inscripsit *Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie*, Tom. II. p. 115 sq. Berlin, 1825—26. 8°.

Coss. M. TULLIUS CICERO.
C. ANTONIUS.

(1) Kalendis Ianuariis [= d. 14 Martii] Cicero consulatum iniens cum C. Antonio rempublicam accipit plenam sollicitudinis et timoris. III. c. 1. 1 sqq. c. 6. 17. c. 8. 22. c. 9. 26. c. 11. 34. c. 30. 91.

Plutarch. Cic. c. 12. 1. *Προάγωνες μεγάλοι τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν ἐξεδέξαντο. Τοῦτο μὲν γὰρ οἱ κεκωλυμένοι κατὰ τοὺς Σύλλα νόμους ἄρχειν, οὔτ' ἀσθενεῖς ὄντες οὔτ' ὀλίγοι, μετιόντες ἀρχὰς ἐδημαγώγουν, πολλὰ τῆς Σύλλα τυραννίδος ἀληθῆ μὲν καὶ δίκαια κατηγοροῦντες, οὐ μὴν ἐν δέοντι τὴν πολιτείαν οὐδὲ σὺν καιρῷ κινοῦντες, τοῦτο δὲ νόμους εἰσῆγον οἱ δήμαρχοι πρὸς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν, δεκαδαρχίαν καθιστάντες αὐτοκρατόρων ἀνδρῶν.* Dio XXXVII. c. 25. 2. *Καὶ ἄλλα δὲ αὐτοῖς σημεῖα οὐκ αἴσια συνηνέχθη· κεραυνοί τε γὰρ ἐν αἰθρίᾳ πολλοὶ ἔπεσον, καὶ ἡ γῆ ἰσχυρῶς ἐσείσθη, εἴδωλά τε πολλαχόθι ἀνθρώπων ἐφαντάσθη, καὶ λαμπάδες ἀνεκάς ἐς τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τῶν δυσμῶν ἀνέδραμον, ὥστε πάντα τινὰ καὶ ἰδιώτην τὰ σημαινόμενα ἀπ' αὐτῶν προγνῶναι. οἱ γὰρ δήμαρχοι τὸν Ἀντώνιον τὸν ὕπατον ὁμοιοτροπώτατόν σφισιν ὄντα προσλαβόντες, ὁ μέν τις τοὺς παῖδας τῶν ὑπὸ τοῦ Σύλλου ἐκπεσόντων πρὸς τὰς ἀρχὰς ἦγεν, ὁ δὲ τῷ τε Παίτῳ τῷ Πουπλίῳ καὶ τῷ Σύλλᾳ τῷ Κορνηλίῳ τῷ μετ' αὐτοῦ ἀλόντι τό τε βουλεύειν καὶ τὸ ἄρχειν ἐξεῖναι ἐδίδου· ἄλλος χρεῶν ἀποκοπάς, ἄλλος κληρουχίας καὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἐν τῷ ὑπηκόῳ γενέσθαι ἐσηγεῖτο. — c. 26. 2. Οἱ δήμαρχοι τήν τε ἰσχὺν καὶ τὴν ἀξίωσιν τῆς βουλῆς καταλῦσαι παντελῶς ἐσπούδαζον, καὶ ἐξουσίαν ἑαυτοῖς τοῦ πάνθ' ὅσα βούλοιντο ποιεῖν προπαρεσκεύαζον.*

(2) Eo die ante omnia in P. Servilium Rullum invehitur tribunum plebis, qui extremo superioris anni mense legem promulgaverat, ut decemviri crearentur, quibus summa permitteretur potestas in agrorum venditione atque emtione

coloniarumque deductione. In hanc igitur *Rulli legem Agrariam* Cicero Kal. Ianuar. orationem habet in senatu. III. c. 4. 11. Deinde *alteram* et *tertiam* habuit in concione ad populum. Quibus ita perterriti sunt legis auctores, ut nihil contra dixerint. III. c. 5. 16. c. 35. 113.

Plinius H. N. VIII. c. 51. (78.) *P. Servilius Rullus — Ciceronis consulatu legem agrariam promulgavit.* Idem VII. c. 30. (31.) *Te (M. Tulli) dicente, legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus.* Quintil. II. c. 16. 7. *Non divina M. Tullii eloquentia et contra leges Agrarias popularis fuit?* Plutarch. Cic. c. 12. 1. *Νόμους εἰσῆγον οἱ δήμαρχοι — δεκαδαρχίαν καθιστάντες αὐτοκρατόρων ἀνδρῶν, οἷς ἐφεῖτο πάσης μὲν Ἰταλίας, πάσης δὲ Συρίας καὶ ὅσα δὴ Πομπηίου νεωστὶ προσώριστο κυρίους ὄντας πωλεῖν τὰ δημόσια, κρίνειν οὓς δοκοίη, φυγάδας ἐκβάλλειν, συνοικίζειν πόλεις, χρήματα λαμβάνειν ἐκ τοῦ ταμιείου, στρατιώτας τρέφειν καὶ καταλέγειν, ὁπόσων δέοιντο. — Ἐν μὲν οὖν τῇ βουλῇ κατηγορίαν τινὰ τοῦ νόμου διατιθέμενος οὕτως ἐξέπληξεν αὐτοὺς τοὺς εἰσφέροντας, ὥστε μηδὲν ἀντιλέγειν. Ἐπεὶ δ' αὖθις ἐπεχείρουν καὶ παρεσκευασμένοι προσκαλοῦντο τοὺς ὑπάτους ἐπὶ τὸν δῆμον, οὐδὲν ὑποδείσας ὁ Κικέρων, ἀλλὰ τὴν βουλὴν ἕπεσθαι κελεύσας καὶ προελθών, οὐ μόνον ἐξέβαλε τὸν νόμον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἀπογνῶναι τοὺς δημάρχους ἐποίησε παρὰ τοσοῦτον τῷ λόγῳ κρατηθέντας ὑπ' αὐτοῦ.* Dio XXXVII. c. 25. 4. *Οἱ δήμαρχοι — ἄλλος κληρουχίας καὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἐν τῷ ὑπηκόῳ γενέσθαι εἰσηγεῖτο. Καὶ ταῦτα μὲν πρός τε τοῦ Κικέρωνος καὶ πρὸς τῶν ἄλλων τῶν ὁμογνωμονούντων οἱ προκαταληφθέντα, πρὶν ἔργον τι ἀπ' αὐτῶν συμβῆναι, ἐπαύθη.* Conf. Cic. ad Q. Valerium Orcam (ad Fam. XIII. 4 et 5.) O. Zeyss, *Die Umtriebe des P. Servilius Rullus, eine Erläuterung der agrarischen Reden Cicero's.* Reval, 1846. 8°.

(3) Cicero per Fulviam a Q. Curio de coniuratione certior factus, Antonio collegae, multa in republica molienti, ut gratum faciat, Macedoniam provinciam concedit. III. c. 11. 33. c. 19. 62.

Sallustius Catil. c. 26. *A principio consulatus sui (Cicero) multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius — consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret.* Plutarch. Cic. c. 12. 2. *Διὸ καὶ τῷ νόμῳ (τῶν δημάρχων) προσεῖχον ἄλλοι τε τῶν ἐπιφανῶν καὶ πρῶτος Ἀντώνιος ὁ τοῦ Κικέρωνος συνάρχων, ὡς τῶν*

δέκα γενησόμενος. Ἔδόκει δὲ καὶ τὸν Κατιλίνα νεωτερισμὸν εἰδὼς οὐ δυσχεραίνειν ὑπὸ πλήθους δανείων· ὃ μάλιστα τοῖς ἀρίστοις φόβον παρεῖχε. Καὶ τοῦτο πρῶτον θεραπεύων ὁ Κικέρων ἐκείνῳ μὲν ἐψηφίσατο τῶν ἐπαρχιῶν Μακεδονίαν — καὶ κατειργάσατο τῇ χάριτι ταύτῃ τὸν Ἀντώνιον ὥσπερ ὑποκριτὴν ἔμμισθον αὐτῷ τὰ δεύτερα λέγειν ὑπὲρ τῆς πατρίδος. Ὡς δ' οὗτος ἐαλώκει καὶ χειροήθης ἐγεγόνει, μᾶλλον ἤδη θαρρῶν ὁ Κικέρων ἐνίστατο πρὸς τοὺς καινοτομοῦντας. Appian. B. C. II. c. 3. Καὶ τάδε πάντα, ἔτι ἀγνοούμενα, Φουλβία γύναιον οὐκ ἀφανὲς ἐμήνυε τῷ Κικέρωνι· ἧς ἐρῶν Κόϊντος Κούριος, ἀνὴρ δι' ὀνείδη πολλὰ τῆς βουλῆς ἀπεωσμένος, καὶ τήνδε τῆς Κατιλίνα συνθήκης ἠξιωμένος, κούφως μάλα καὶ φιλοτίμως ἐξέφερεν, οἷα πρὸς ἐρωμένην, ὡς αὐτίκα δυναστεύσων. Dio XXXVII. c. 33. 1. Καὶ τοῦτο προσμηνύθη· ὁ γὰρ Κικέρων πολὺ δυνάμενος, συχνούς τε ἐκ τῶν συνηγορημάτων τοὺς μὲν οἰκειούμενος τοὺς δὲ ἐκφοβῶν, πολλοὺς τοὺς διαγγέλλοντάς οἱ τὰ τοιαῦτα ἔσχε. — Καὶ διὰ ταῦτα καὶ ὁ Κικέρων κατὰ χώραν ἔμεινεν· εἰλήχει γὰρ τῆς Μακεδονίας ἄρξαι, οὔτε δὲ ἐς ἐκείνην (τῷ γὰρ συνάρχοντι αὐτῆς διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδὴν ἐξέστη) — ἐξῆλασεν.

(4) Qui novas tabulas cuperent, quae res ab omni genere hominum tentabatur, iis ita restitit consul, ut hoc tantum malum de republica tolleretur. III. c. 6. 17.

Sallust. Catil. c. 21. *Homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, — postulavere plerique, uti (Catilina) proponeret, quae conditio belli foret, quae praemia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium*, cet. Cic. in Catil. II. c. 8. 18. *Quid enim exspectas? — An tabulas novas? Errant, qui istas a Catilina exspectant. Meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae. Neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt.* Dio XXXVII. c. 25. 4. Οἱ δήμαρχοι — ἄλλος χρεῶν ἀποκοπὰς — γενέσθαι ἐσηγεῖτο. κτέ. c. 30. 2. Ἐκ τῆς Ῥώμης αὐτῆς (ὁ Κατιλίνας) τούς τε κακίστους καὶ καινῶν ἀεί ποτε πραγμάτων ἐπιθυμητὰς, κἀκ τῶν συμμάχων ὅτι πλείστους, χρεῶν τε ἀποκοπὰς — ὑπισχνούμενός σφισι, συνῆγεν.

(5) Ius legationis liberae tantum non sustulit, sed tempus, quod erat infinitum, annuum fecit. III. c. 7. 20.

De coercendo hoc iure iam in ipso consulatus ingressu cogitasse videtur Cicero, qui in Orat. I. de l. agr. c. 3. 8. dixerit: *Iam illa omnibus in provinciis, regnis, liberis populis quam acerba, quam formidolosa, quam*

quaestuosa concursatio decemviralis futura sit, non videtis? Hereditatum obeundarum causa, quibus vos legationes dedistis, qui et privati et privatum ad negotium exierunt, non maximis opibus neque summa auctoritate praediti, tamen auditis profecto, quam graves eorum adventus sociis vestris esse soleant.

(6) Quum plebs ad suam ignominiam pertinere censeret legem theatralem a Roscio latam a. 687., ea auctorem sibilis in theatro consectata est, quum equites contra illum plausu exceperunt. Sublato deinde maiore hinc sibilo, inde plausu, tumultus tota cavea consecutus est. Quo audito consul in theatrum venit et populum, in aedem Bellonae evocatum, reprehendendo et admonendo castigavit. Qua *oratione* effectum est, ut plebs ignoverit auctori legis. III. c. 7. 21. c. 35. 113.

Plinius H. N. VII. c. 30. (31.) *Te (M. Tulli) suadente, Roscio theatralis auctori legis ignoverunt (tribus), notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt.* Plutarch. Cic. c. 13. 1. *Δεῖγμα δὲ αὐτοῦ τῆς περὶ τὸν λόγον χάριτος καὶ τὸ περὶ τὰς θέας ἐν τῇ ὑπατείᾳ γενόμενον. Τῶν γὰρ ἱππικῶν πρότερον ἐν τοῖς θεάτροις ἀναμεμιγμένων τοῖς πολλοῖς καὶ μετὰ τοῦ δήμου θεωμένων, ὡς ἔτυχε, πρῶτος διέκρινεν ἐπὶ τιμῇ τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν Μάρκος Ὄθων στρατηγῶν καὶ διένειμεν ἰδίαν ἐκείνοις θέαν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξαίρετον ἔχουσι. Τοῦτο πρὸς ἀτιμίας ὁ δῆμος ἔλαβε, καὶ φανέντος ἐν θεάτρῳ τοῦ Ὄθωνος ἐφυβρίζων ἐσύριττεν, οἱ δ' ἱππεῖς ὑπέλαβον κρότῳ τὸν ἄνδρα λαμπρῶς. Αὖθις δὲ ὁ δῆμος ἐπέτεινε τὸν συριγμόν, εἶτ' ἐκεῖνοι τὸν κρότον. Ἐκ δὲ τούτου τραπόμενοι πρὸς ἀλλήλους ἐχρῶντο λοιδορίαις καὶ τὸ θέατρον ἀκοσμία κατεῖχεν. Ἐπεὶ δ' ὁ Κικέρων ἦκε πυθόμενος καὶ τὸν δῆμον ἐκκαλέσας πρὸς τὸ τῆς Ἐννοῦς ἱερὸν ἐπετίμησε καὶ παρῄνεσεν, ἀπελθόντες αὖθις εἰς τὸ θέατρον ἐκρότουν τὸν Ὄθωνα λαμπρῶς καὶ πρὸς τοὺς ἱππέας ἄμιλλαν ἐποιοῦντο περὶ τιμῶν καὶ δόξης τοῦ ἀνδρός.* [v. ad a. 687. 3.]

(7) Cicero defendit *C. Rabirium*, cui perduellionis crimen intenderat T. Attius Labienus, quod is L. Appuleium Saturninum, tribunum plebis, res novas molientem interfecisset. [v. ad a. 654. 2.] Eumdem quoque defendit Hortensius. III. c. 8. 22 sq. c. 35. 113. IX. c. 25. 74.

Suetonius Caes. c. 12. *Subornavit etiam qui C. Rabirio perduellionis diem diceret: quo praecipuo adiutore, aliquot ante annos, L. Saturnini seditiosum tribunatum senatus coercuerat: ac sorte iudex in reum ductus, tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil aeque ac iudicis acerbitas profuerit.* Dio XXXVII. c. 26. 1. *Τίτος δὲ δὴ Λαβιῆνος Γάϊον Ῥαβίριον ἐπὶ τῷ τοῦ Σατουρνίνου φόνῳ γραψάμενος πλεῖστόν σφισι τάραχον παρέσχεν. ὅ τε γὰρ Σατουρνῖνος πρὸ ὀξ που καὶ τριάκοντα ἐτῶν ἐτεθνήκει, καὶ τὰ κατὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς αὐτὸν οἱ ὕπατοι τότε παρὰ τῆς βουλῆς προσετετάχατο, ὥστε ἡ γερουσία ἄκυρος ἐκ τοῦ δικαστηρίου ἐκείνου τῶν ψηφισμάτων ἐγίγνετο. κἀκ τούτου πᾶς ὁ κόσμος τῆς πολιτείας ἐταράττετο· ὁ μὲν γὰρ Ῥαβίριος οὐδ' ὡμολόγει τὸν φόνον, ἀλλ' ἄπαρνος ἦν· οἱ δὲ δήμαρχοι τήν τε ἰσχὺν καὶ τὴν ἀξίωσιν τῆς βουλῆς κατελῦσαι παντελῶς ἐσπούδαζον, καὶ ἐξουσίαν ἑαυτοῖς τοῦ πάνθ' ὅσα βούλοιντο ποιεῖν προπαρεσκεύαζον. κτέ.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 13. p. 371.

(8) Sequitur oratio *de proscriptorum filiis*, quos, paternis opibus et petendorum honorum iure exclusos a Sulla, tribuni plebis ad magistratus promovebant. III. c. 9. 26. c. 35. 115.

Vellcius II. c. 28. 4. *Adiectum etiam ut bona proscriptorum venirent; exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum iure prohiberentur, simulque, quod indignissimum est, senatorum filii et onera ordinis sustinerent et iura perderent.* Quintil. XI. c. 1. 85. *Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit. Quid enim crudelius, quam homines, honestis parentibus ac maioribus natos, a republica summoveri? Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur: sed ita legibus Sullae cohaerere statum civitatis affirmat, ut his solutis stare ipsa non possit. Assecutus itaque est, ut aliquid eorum quoque caussa videretur facere, contra quos diceret.* Plinius H. N. VII. c. 30. (31.) *Te (M. Tulli) orante, proscriptorum liberos honores petere puduit.* Dio XXXVII. c. 25. 3. *Οἱ γὰρ δήμαρχοι τὸν Ἀντώνιον τὸν ὕπατον ὁμοιοτροπώτατόν σφισιν ὄντα προσλαβόντες, ὁ μέν τις τοὺς παῖδας τῶν ὑπὸ τοῦ Σύλλου ἐκπεσόντων πρὸς τὰς ἀρχὰς ἦγεν· ὁ δὲ κτέ.* Plutarch. Cic. c. 12. 1. *Τοῦτο μὲν οἱ πεπολυμένοι κατὰ τοὺς Σύλλα νόμους ἄρχειν, οὔτ' ἀσθενεῖς ὄντες οὔτ' ὀλίγοι, μετιόντες ἀρχὰς ἐδημαγώγουν, πολλὰ τῆς Σύλλα τυραννίδος ἀληθῆ μὲν καὶ δίκαια κατηγοροῦντες, οὐ μὴν ἐν δέοντι τὴν πολιτείαν οὐδὲ σὺν καιρῷ κινοῦντες, τοῦτο δὲ νόμους εἰσῆγον οἱ δήμαρχοι πρὸς τὴν αὐτὴν*

ὑπόθεσιν, δεκαδαρχίαν καθιστάντες αὐτοκρατόρων ἀνδρῶν. Id. Sull. c. 31. 7. Ὁ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν γὰρ προγεγραμμένων ἠτίμησε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνοὺς καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσεν. Cfr. Dionys. Halic. L. VIII. p. 547.

(9) Item *orationem* habuit, quum Galliam *provinciam* in concione *deponeret;* quam provinciam Metello Celeri concessit. III. c. 19. 62. c. 35. 115. VI. c. 38. 99.

Cic. ad Q. Metell. Celer. (ad Fam. V. 2. 3.) *Ego, si dicam, me tua caussa praetermisisse provinciam, tibi ipse levior videar esse: meae enim rationes ita tulerunt atque eius mei consilii maiorem in dies singulos fructum voluptatemque capio. Illud dico, me, ut primum in concione provinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare coepisse.* pro Murena c. 20. 42. *Tu in provinciam ire noluisti (Servi). Non possum id in te reprehendere, quod in me ipso et praetor* [v. ad a. 689. 3.] *et consul probavi.* Plutarch. Cic. c. 12. 3. Καὶ τοῦτο πρῶτον θεραπεύων ὁ Κικέρων ἐκείνῳ (Ἀντωνίῳ) μὲν ἐψηφίσατο τῶν ἐπαρχιῶν Μακεδονίαν, αὐτῷ δὲ τὴν Γαλατίαν διδομένην παρῃτήσατο. Dio XXXVII. c. 33. 3. Καὶ διὰ ταῦτα καὶ ὁ Κικέρων κατὰ χώραν ἔμεινεν· εἰλήχει γὰρ τῆς Μακεδονίας ἄρξαι, οὔτε δὲ ἐς ἐκείνην (τῷ γὰρ συνάρχοντι αὐτῆς διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδὴν ἐξέστη) οὔτε ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν πλησίον, ἣν ἀντέλαβε, διὰ τὰ παρόντα ἐξήλασεν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν τὴν πόλιν διὰ φυλακῆς ἐποιήσατο, ἐς δὲ τὴν Γαλατίαν τὸν Μέτελλον, ὅπως μὴ καὶ ὁ Κατιλίνας αὐτὴν σφετερίσηται, ἔπεμψεν.

(10) Quum omnia, ut consul fieret, Catilina moliretur, Cicero legem tulit de ambitu. III. c. 9. 27.

Dio XXXVII. c. 29. 1. Ὁ δὲ δὴ Κατιλίνας ὧδέ τε καὶ διὰ τάδε ἀπώλετο. ἔδοξε τῇ βουλῇ, τήν τε ὑπατείαν καὶ τότε αἰτήσαντος, καὶ πᾶν ὁτιδήποτε ἐνεδέχετο ὅπως ἀποδειχθῇ μηχανωμένου, δέκα ἐτῶν φυγήν, τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἀνάγοντος, τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι. Schol. Bob. ad Orat. pro Sextio p. 309. *Significat eam (legem), quae auctoribus consulibus eodem Cicerone et C. Antonio de ambitu lata est, multo severior quam fuerat illa Calpurnia; praescribebatur enim inter cetera, ne candidatus ante biennium, quam magistratum petiturus esset, munus populo dederet, propter ambitum scilicet, ne hoc ipso popularis animus eblanditus designationi eius succumberet.* Cfr. ad Orat. in Vatin. p. 324. ad Orat. pro Plancio p. 269. ad Orat. pro Sulla p. 362. *Poenam de ambitu graviorem consules C. Antonius et Cicero*

ex Asia redierat (a. 688.) triumphus decretus est. III. c. 10. 30 sqq.

Cic. pro Murena c. 18. 37. *L. Luculli exercitus, qui ad triumphum convenerat, idem comitiis L. Murenae praesto fuit.* Velleius II. c. 34. 2. *Et Luculli et Metelli* [a. 692.] *triumphum quum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem. Per haec tempora M. Cicero — coniurationem singulari virtute — aperuit.* Cfr. Plinius H. N. XIV. 17. (14.) XXXIV. 17. (7.) 19. (8.) 35. Plutarchus Lucull. c. 37. 1. *Ὁ δὲ Λούκουλλος ἀναβὰς εἰς Ῥώμην πρῶτον μὲν κατέλαβε τὸν ἀδελφὸν Μάρκον ὑπὸ Γαΐου Μεμμίου κατηγορούμενον ἐφ' οἷς ἔπραξε ταμιεύων Σύλλα προστάξαντος. Ἐπεὶ νου δ' ἀποφυγόντος, ἐπὶ τοῦτον αὐτὸν ὁ Μέμμιος μεταβαλόμενος παρώξυνε τὸν δῆμον καὶ ὡς πολλὰ νενοσφισμένῳ καὶ μηκύνοντι τὸν πόλεμον ἔπεισεν αὐτῷ μὴ δοῦναι θρίαμβον. Ἐλθόντος δ' εἰς ἀγῶνα τοῦ Λουκούλλου μέγαν, οἱ πρῶτοι καὶ δυνατώτατοι καταμίξαντες ἑαυτοὺς ταῖς φυλαῖς, πολλῇ δεήσει καὶ σπουδῇ μόλις ἔπεισαν τὸν δῆμον ἐπιτρέψαι θριαμβεῦσαι, οὐχ, ὥσπερ ἔνιοι, μήκει τε πομπῆς καὶ πλήθει τῶν κομιζομένων ἐκπληκτικὸν καὶ ὀχλώδη θρίαμβον, ἀλλὰ τοῖς μὲν ὅπλοις τῶν πολεμίων οὖσι παμπόλλοις καὶ τοῖς βασιλικοῖς μηχανήμασι τὸν Φλαμίνειον ἱππόδρομον διεκόσμησε· καὶ θέα τις ἦν αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν οὐκ εὐκαταφρόνητος, ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν τε καταφράκτων ἱππέων ὀλίγοι καὶ τῶν δρεπανηφόρων ἁρμάτων δέκα παρῆλθον, ἑξήκοντα δὲ φίλοι καὶ στρατηγοὶ τῶν βασιλικῶν, μακραὶ δὲ χαλκέμβολοι νῆες ἑκατὸν καὶ δέκα ἅμα παρεκομίσθησαν, αὐτοῦ τε Μιθριδάτου χρύσεος ἑξάπους κολοσσός, καὶ θυρεός τις διάλιθος καὶ φορήματα εἴκοσι μὲν ἀργυρῶν σκευῶν, χρυσῶν δ' ἑκπωμάτων καὶ ὅπλων καὶ νομίσματος δύο καὶ τριάκοντα. Ταῦτα μὲν οὖν ἄνδρες παρεκόμιζον· ἡμίονοι δ' ὀκτὼ κλίνας χρυσᾶς ἔφερον, ἓξ δὲ καὶ πεντήκοντα κεχωνευμένον ἀργύριον, ἄλλοι δ' ἑκατὸν ἑπτὰ νομίσματος ἀργυροῦ μικρῷ τινι δεούσας ἑβδομήκοντα καὶ διακοσίας μυριάδας. Ἐν δὲ δέλτοις ἀναγραφαὶ τῶν ᾐδη δεδομένων χρημάτων ὑπ' αὐτοῦ Πομπηίῳ πρὸς τὸν πειρατικὸν πόλεμον καὶ τοῖς ἐπὶ τοῦ δημοσίου ταμιείου καὶ χωρὶς ὅτι στρατιώτης ἕκαστος ἐνακοσίας καὶ πεντήκοντα δραχμὰς ἔλαβεν. Ἐπὶ τούτοις τήν τε πόλιν εἱστίασε λαμπρῶς καὶ τὰς περιοικίδας κώμας, ἃς οἰκους καλοῦσι.*

(16) P. Cornelius Lentulus Spinther hoc anno magnificentissima functus est aedilitate. II. c. 22. 60.

Plinius H. N. IX. c. 39. (63.) *P. Lentulus Spinther aedilis curulis primus (dibapha Tyria) in praetexta usus improbatur: qua purpura*

quis non iam, inquit, triclinaria fecit? Spinther aedilis fuit Urbis conditae anno DCXCI., *Cicerone consule.* Idem XIX. c. 1. (6.) *Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis.* Valer. Max. II. c. 4. 6. (*Scenam*) *argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit.* Sallust. Catil. c. 47. *Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, (traditur).*

(17) A. d. IX. Kal. Octobres [= 23 Septbr. 691 = 27 Novembr. 63 a. C.] nascitur C. Octavius, posthac Augustus dictus; quem Cicero a. 710. *illustre* nominavit *veteris sanctitatis exemplum.* IX. c. 39. 112.

Velleius II. c. 36. 1. *Consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno divus Augustus, abhinc annos* LXXXXII. [a. U. C. 783—92 = 691.] *omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem.* Plutarch. Cic. c. 44. 3. Φασὶ τὸν Κικέρωνα τῷ παιδὶ κατὰ τὰς ἀπαντήσεις ἐντυγχάνειν ἐπιμελῶς κἀκεῖνον οἰκείως δέχεσθαι τὰς φιλοφροσύνας· καὶ γὰρ ἔκ τύχης αὐτῷ γεγονέναι συμβεβηκέναι Κικέρωνος ὑπατεύοντος. Epist. Augusti ad Caium nepotem suum ap. Gellium XV. c. 7. 3. *Eius epistolae exemplum hoc est:* IX. *Kalend. Octobr. Ave, mi Cai, meus ocellus iucundissimus: quem semper medius fidius desidero, quum a me abes; sed praecipue diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium: quem, ubicunque hoc die fuisti, spero laetum et bene valentem celebrasse, quartum et sexagesimum natalem meum.* Sueton. Aug. c. 5. *Natus est Augustus M. Tullio Cicerone et Antonio consulibus,* IX. *Kalendas Octobres, paullo ante solis exortum.* Ibid. c. 94. *Quo natus est die, quum de Catilinae coniuratione ageretur in curia, et Octavius ob uxoris puerperium serius adfuisset, nota ac vulgata res est, P. Nigidium comperta morae caussa, ut horam quoque partus acceperit, affirmasse, dominum terrarum orbi natum.* Conf. Ad. Raye du Mesnil (praeside Mart. Schoockio), *Disputatio Historica exhibens C. Octavium Caesarem Augustum.* Groningae, 1647. 8°. I. A. Fabricius, *Imp. Caes. Augusti temporum notatio, genus, et scriptorum fragmenta.* Hamburgi, 1727. 4°. p. 22. A. Weichert, *Imperatoris Caesaris Augusti Scriptorum reliquiae.* Grimae, 1846. 4°. p. 3.

(18) Postremum in annum incidit coniuratio Catilinaria, quae Ciceronis industria eruitur. III. c. 11 sqq.

Livius Epit. 102. *L. Catilina, bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo praetore, et Cethego, et pluribus aliis, coniuravit de caede consulum et senatus, incendiis Urbis et opprimenda republica; exercitu quoque in Etruria comparato. Ea coniuratio industria*

M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina Urbe pulso, de reliquis coniuratis supplicium sumptum est. Florus IV. c. 1. *Catilinam luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendae patriae suae compulere. Senatum confodere, consules trucidare, distringere incendiis Urbem, diripere aerarium, totam denique rempublicam funditus tollere, et quidquid nec Hannibal videretur optasse, quibus, o nefas! sociis aggressus est? Ipse patricius; sed hoc minus est: Curii, Porcii, Sullae, Cethegi, Autronii, Varguntei, atque Longini, quae familiae? quae senatus insignia? Lentulus quoque, quum maxime praetor. Hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus coniurationis sanguis humanus: quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem et Antonium consules incidisset; quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed parricidii innocens. Tum consul, habito senatu, in praesentem parricidam peroravit; sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam professus incendium suum restincturum ruina minaretur. Et ille quidem ad praeparatum a Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentulus, destinatum familiae suae Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad praestitutum a Catilina diem Urbe tota viros, faces, tela disponit. Nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitatis, iisset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturcii, praetoris litterae tenerentur. Statim Ciceronis imperio iniecta est barbaris manus. Palam praetor in senatu convincitur. De supplicio agentibus Caesar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebat. Quam sententiam secutis omnibus, in carcere parricidae strangulantur. Quamvis parte coniurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit: sed infestis ab Etruria signis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit: quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est; pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.* Historiam coniurationis Catilinariae pluribus exposuit Sallustius; e Graecis, Plutarchus Cic. c. 10—22. Dio XXXVII. c. 29—38. Appian. B. C. II. c. 2—7. Nec negligendus est Constantius Felicius Durantinus, cuius *Historia coniurationis Catilinariae, non pauca a Sallustio praetermissa continens*, (scripta ad Leonem X. Pont. Max.)

legitur ad finem Sallustii a Cortio editi p. 73—106. Add. Porcii Latronis *Declamatio contra L. Sergium Catilinam* ap. eumdem Cortium p. 922 sqq. in Gerlachii edit. Sallustii p. 180—204. Conf. G. Henrici, *Geschichte der Catilinarischen Verschwörung.* Iena, 1798. 8°. H. Wolff, *Catilinae coniuratio ex fontibus narrata.* Gleiwitz, 1803. 4°.

(19) Partes coniurationis ita inter socios describit Catilina ut alios, ubi quemque opportunum sibi fore credebat, iubeat exire, alios velit in Urbe manere: quorum alii principum caedem curent, alii Urbis incendium. III. c. 15. 42. c. 16. 53. c. 19. 61.

Sallust. Catil. c. 24. *Catilinae furor — in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium quemdam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines adscivisse sibi dicitur; mulieres etiam aliquot.* c. 27. *Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit, praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat. Interea Romae multa simul moliri: consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere; ipse cum telo esse, item alios iubere; hortari, uti semper intenti paratique essent; dies noctesque festinare, vigilare, neque insomniis neque labore fatigari.* Appian. B. C. II. c. 2. *Αὐτὸς δὲ (ὁ Κατιλίνας) πολιτείαν μὲν ὅλως ἔτι ἀπεστρέφετο ἐκ τοῦδε, ὡς οὐδὲν ἐς μοναρχίαν ταχὺ καὶ μέγα φέρουσαν, ἀλλ' ἔριδος καὶ φθόνου μεστήν. Χρήματα δὲ ἀγείρων πολλὰ παρὰ πολλῶν γυναικῶν, αἳ τοὺς ἄνδρας ἤλπιζον ἐν τῇ ἐπαναστάσει διαφθερεῖν, συνώμνυτό τισιν ἀπὸ τῆς βουλῆς καὶ τῶν καλουμένων ἱππέων· συνῆγε δὲ καὶ δημότας, καὶ ξένους, καὶ θεράποντας. Καὶ πάντων ἡγεμόνες ἦσαν αὐτῷ Κορνήλιος Λέντλος καὶ Κέθηγος, οὓς τότε τῆς πόλεως ἐστρατήγουν. Ἀνά τε τὴν Ἰταλίαν παριέπεμπεν ἐς τῶν Συλλείων τοὺς τὰ κέρδη τῆς τότε βίας ἀναλωκότας, καὶ ὀργομένους ἔργων ὁμοίων, ἐς μὲν Φαισούλας τῆς Τυρρηνίας Γάϊον Μάλλιον, ἐς δὲ τὴν Πικηνίτιδα καὶ τὴν Ἀπουλίαν ἑτέρους· οἳ στρατὸν αὐτῷ συνέλεγον ἀφανῶς.* Dio XXXVII. c. 30. 4. *Συνέπραττον δὲ αὐτῷ (τῷ Κατιλίνᾳ) τὰ μάλιστα τὰ μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ ὅ τε ὕπατος καὶ ὁ Λέντουλος ὁ Πούπλιος, ὁ μετὰ τὴν ὑπατείαν ἐκ τῆς γερουσίας ἐκπεσών (ἐστρατήγει γὰρ ὅπως τὴν βουλείαν ἀναλάβῃ), τὰ δὲ ἐν ταῖς Φαισούλαις, ἐς ἃς οἱ στρατιῶται αὐτοῦ συνελέγοντο, Γάϊός*

τις Μάλλιος, τῶν τε πολεμικῶν ἐμπειρότατος (μετὰ γὰρ τῶν τοῦ Σύλλου λοχαγῶν ἐστράτευτο) καὶ πολυδαπανώτατος ὤν.

(30) Cicero imminenti periculo permotus, ubi vidit Catilinam, magnis maleficorum catervis stipatum, rursus petere consulatum, ante diem XII. Kalend. Novemb. [= 21 Octob. 691 = 25 Decemb. 63 a. C.] in senatu de coniuratione verba facit. III. c. 12. 36. Quibus rebus auditis senatui placuit, ut, comitiis, quae habenda fuerant a. d. XI. Kal. Novemb., dilatis, postero die de ea re ageretur. III. c. 14. 41.

Sallust. Catil. c. 26. *His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proximum annum* [a. U. C. 692.] *consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni.* — c. 28. *Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat; praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.* c. 29. *Ea quum Ciceroni nuntiarentur, anxipiti malo permotus, quod neque Urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus aut quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatam.* Dio XXXVII. c. 29. 2. Ἐπαχθέρησε μὲν (ὁ Κατιλίνας), χεῖρά τινα παρασκευάσας, τόν Κικέρωνα καὶ ἄλλους τινὰς τῶν πρώτων ἐν αὐταῖς ταῖς ἀρχαιρεσίαις, ἵν' ὕπατος εὐθὺς χειροτονηθῇ, φονεύσας, οὐκ ἐδυνήθη δέ· ὁ γὰρ Κικέρων προμαθὼν τὸ ἐπιβούλευμα, τῇ τε γερουσίᾳ ἐμήνυσεν αὐτὸ καὶ κατηγορίαν αὐτοῦ πολλὴν ἐποιήσατο· ἐπειδή τε οὐκ ἔπεισέ σφας ψηφίσασθαί τι ὧν ἠξίου (οὔτε γὰρ πιθανὰ ἐξηγγελκέναι καὶ διὰ τὴν ἑαυτοῦ ἔχθραν καταψεύδεσθαι τῶν ἀνδρῶν ὑπωπτεύθη) ἐφοβήθη. Plutarch. Cic. c. 14. 1. Ὑπατείαν αὖθις μετῄει (ὁ Κατιλίνας), βεβουλευμένος ἀναλαβεῖν τὸν Κικέρωνα περὶ αὐτὸν τῶν ἀρχαιρεσιῶν τὸν θόρυβον. — Διὸ τὴν ἡμέραν τῶν ἀρχαιρεσιῶν ὑπερθέμενος ὁ Κικέρων ἐκάλει τὸν Κατιλίναν εἰς τὴν σύγκλητον καὶ περὶ τῶν λεγομένων ἀνέκρινεν.

(31) Postridie igitur, a. d. XI. Kal. Novemb. [= 22 Octob. 691 = 26 Decemb. 63. a. C.] frequenti senatu Cicero excitavit Catilinam, atque eum de his rebus, quae allatae essent, si quid vellet, dicere iussit. III. c. 17. 55.

Plutarch. Cic. c. 14. 2. *Ὁ δὲ (Κατιλίνας) πολλοὺς οἰόμενος εἶναι τοὺς πραγμάτων καινῶν ἐφιεμένους ἐν τῇ βουλῇ καὶ ἅμα τοῖς συνωμόταις ἐνδεικνύμενος ἀπεκρίνατο τῷ Κικέρωνι μανικὴν ἀπόκρισιν· Τί γάρ, ἔφη, πράττω δεινόν, εἰ, δυεῖν σωμάτων ὄντων, τοῦ μὲν ἰσχνοῦ καὶ κατεφθινηκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλήν, τοῦ δ' ἀκεφάλου μέν, ἰσχυροῦ δὲ καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτὸς ἐπιτίθημι; Τούτων εἷς τε τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον ἠνιγμένων ὑπ' αὐτοῦ, μᾶλλον ὁ Κικέρων ἔδεισε.*

(22) Eodem die (i. e. octodecim diebus ante diem VI. Idus Novemb.) factum videtur SCtum: darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. III. c. 15. §2.

Sallust. Catil. c. 29. *Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est.* Plutarch. Cic. c. 15. 3. *Βουλευσάμενος οὖν ὁ Κικέρων — βουλὴν συνήγαγε. — Γίνεται δόγμα τῆς βουλῆς παραπετεῖσθαι τοῖς ὑπάτοις τὰ πράγματα, δεξαμένους δ' ἐκείνους ὡς ἐπίστανται διοικεῖν καὶ σώζειν τὴν πόλιν. Τοῦτο δ' οὐ πολλάκις, ἀλλ' ὅταν τι μέγα δείσῃ, ποιεῖν εἴωθεν ἡ σύγκλητος.* Dio XXXVII. c. 31. 2. *Καὶ προσεψηφίσαντο τοῖς ὑπάτοις τὴν φυλακὴν τῆς τε πόλεως καὶ τῶν ὅλων αὐτῆς πραγμάτων, καθάπερ εἰώθεσαν· καὶ γὰρ τούτῳ τῷ δόγματι προσεγράφη τὸ διὰ φροντίδος αὐτοὺς σχεῖν ὥστε μηδεμίαν ἀποτριβὴν τῷ δημοσίῳ συμβῆναι.* Cic. in Catil. I. c. 1. 3. *Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave: —* c. 2. 4. *At vero nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit.* Ascon. ad Pisonian. p. 6. *Hic non subtilis computatio — facta est, verum summatim tempus comprehensum est. — Itaque idem Cicero in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, quum octavus decimus dies esset, posteaquam factum senatusconsultum, ut viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet, dixit, vigesimum diem habere senatusconsultum.*

(23) Cicero, data sibi hac potestate, ipse quidem firmo

amicorum praesidio tectus Urbem defendit, sed in agrum Gallicanum Picenumque praemittit Q. Metellum, ut Italiam ab occulta coniuratione defendat. III. c. 17. 56. c. 20. 64.

Plutarch. Cic. c. 16. 1. *Ἐπεὶ δὲ ταύτην λαβὼν τὴν ἐξουσίαν ὁ Κικέρων τὰ μὲν ἔξω πράγματα Κοΐντῳ Μετέλλῳ διεπίστευσε, τὴν δὲ πόλιν εἶχε διὰ χειρὸς καὶ καθ' ἡμέραν προῆει δορυφορούμενος ὑπ' ἀνδρῶν τοσούτων τὸ πλῆθος, ὥστε τῆς ἀγορᾶς πολὺ μέρος κατέχειν ἐμβάλλοντος αὐτοῦ τοὺς παραπέμποντας.* Appian. B. C. II. c. 3. *Ἤδη δὲ καὶ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ γιγνομένων λόγος ἐφοίτα. Καὶ ὁ Κικέρων τήν τε πόλιν ἐκ διαστημάτων φρουραῖς διελάμβανε, καὶ τῶν ἐπιφανῶν ἐξέπεμπε πολλοὺς ἐς πάντα τὰ ὕποπτα, τοῖς γιγνομένοις ἐφεδρεύειν.* Cf. Cic. pro Sulla c. 18. 51.

(24) Catilina interim, suspicionis vitandae caussa, in liberam se ipse offert custodiam. III. c. 16. 51.

Dio XXXVII. c. 32. 1. *Καὶ ὃς τὰ μὲν πρῶτα καὶ πάνυ αὐτὴν ἑτοίμως, ὡς καὶ ἀπὸ χρηστοῦ τοῦ συνειδότος, ἐδέξατο, καὶ πρός τε τὴν δίκην δῆθεν ἡτοιμάζετο, καὶ τῷ Κικέρωνι αὐτῷ τηρεῖν ἑαυτόν, ὅπως δὴ μὴ φύγῃ που, παρεδίδου· μὴ προσδεξαμένου δὲ ἐκείνου τὴν φρουρὰν αὐτοῦ, παρὰ τῷ Μετέλλῳ τῷ στρατηγῷ τὴν δίαιταν ἑκουσίως ἐποιεῖτο, ἵν' ὡς ἥκιστα ὑποπτευθῇ νεωτερίζειν τι, μέχρις ἂν καὶ ἐκ τῶν αὐτόθι συνωμοτῶν ἰσχυρόν τι προσλάβῃ.*

(25) Habitis in campo Martio comitiis consularibus, a. d. v. Kal. Nov. [= 28 Oct. 691 = 1 Ianuar. 62. a. C.] III. c. 12. 36. in quibus Silanus et Murena creantur, Catilina spe sua excidit quum interficiendi Ciceronem tum occupandi consulatum. III. c. 13. 39. c. 17. 56.

Sallust. Catil. c. 26. *Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consuli in campo fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri.* Cic. pro Sulla c. 18. 51. *Quum in campo, consularibus comitiis, quae a me habita sunt, caedem facere voluerunt: — ego, tectus praesidio firmo amicorum, Catilinae tum et Autronii copias et conatum repressi.* Plutarch. Cic. c. 14. 3. *Μᾶλλον ὁ Κικέρων ἔδεισε καὶ τεθωρακισμένον αὐτὸν οἵ τε δυνατοὶ πάντες ἀπὸ τῆς οἰκίας καὶ τῶν νέων πολλοὶ κατήγαγον εἰς τὸ πεδίον. Τοῦ δὲ θώρακος ἐπίτηδες ὑπέφαινέ τι παραλύσας ἐκ τῶν ὤμων τοῦ χιτῶνος, ἐνδεικνύμενος τοῖς ὁρῶσι τὸν κίνδυνον. Οἱ δ' ἠγανάκτουν καὶ συνεστρέφοντο περὶ αὐτόν· καὶ τέλος ἐν ταῖς ψήφοις τὸν μὲν Κατιλίναν αὖθις ἐξέβαλον, εἵλοντο δὲ Σι-*

λυνὸν ὕπατον καὶ Μουρήναν. Dio XXXVII. c. 29. 3. (Ὁ Κικέρων) ἐφοβήθη ἅτε καὶ προσπαρωξυγκὼς τὸν Κατιλίναν, καὶ οὐκ ἐτόλμησεν ἁπλῶς ἐς τὴν ἐκκλησίαν ἐσελθεῖν ὥσπερ εἰώθει, ἀλλὰ τούς τε ἐπιτηδείους συνεπηγάγετο παρεσκευασμένους ἀμῦναι οἱ εἴ τι δεινὸν γένοιτο, καὶ θώρακα τῆς τε ἑαυτοῦ ἀσφαλείας καὶ τῆς ἐκείνων διαβολῆς ἕνεκα, ὑπὸ μὲν τὴν ἐσθῆτα, παραφαίνων δ' αὐτὸν ἐξεπίτηδες, ἐνεδύσατο· ἔκ τε οὖν τούτου, καὶ ὅτι καὶ ἄλλως φήμη τις ἐγένετο ὅτι ἐπιβουλεύσεται, ὅ τε δῆμος δεινῶς ἠγανάκτησε καὶ οἱ συνομωμοκότες τῷ Κατιλίνᾳ φοβηθέντες αὐτὸν ἡσύχασαν. c. 30. Καὶ οὕτως ὕπατοί τε ἕτεροι ἡρέθησαν, καὶ ἐκεῖνος οὐκέτι λάθρᾳ, οὐδὲ ἐπὶ τὸν Κικέρωνα τούς τε σὺν αὐτῷ μόνους, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πᾶν τὸ κοινὸν τὴν ἐπιβουλὴν συνίστη.

(26) Nocte intempesta, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novemb. [= 7 Novemb. 691 = 11 Ianuar. 62. a. C.] coniurationis socii in domum M. Laecae conveniunt, quibus consilia sua aperit Catilina. III. c. 14. 40. c. 16. 46.

Sallust. Catil. c. 27. *Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam, ibique multa de ignavia eorum questus docet, se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum obficere.* Dio XXXVII. c. 32. 3. Ὡς δ' οὐδέν οἱ προεχώρει (ὅ τε γὰρ Ἀντώνιος φοβηθεὶς ὑπεστέλλετο καὶ ὁ Λέντουλος ἥκιστα ὑραστήριος ἦν), προεῖπεν αὐτοῖς νυκτὸς ἐς οἰκίαν τινὰ συλλεγῆναι, καὶ λαθὼν τὸν Μέτελλον ἦλθέ τε πρὸς αὐτοὺς καὶ ἐπετίμησέ σφισιν ἐπί τε τῇ ἀτολμίᾳ καὶ ἐπὶ τῇ μαλακίᾳ· κἀκ τούτου διεξελθὼν ὅσα τε πείσοιντο φωραθέντες καὶ ὅσων τεύξοιντο κατορθώσαντες, κτέ. Appian. B. C. II. c. 3. Κατιλίνας δ', οὐδενὸς μέν πω θαρροῦντος αὐτοῦ λαβέσθαι, διὰ τὴν ἔτι τοῦ ἀκριβοῦς ἀγνωσίαν, δεδιὼς δ' ὅμως, καὶ τὸ χρόνιον ἡγούμενος ὕποπτον, ἐν δὲ τῷ τάχει τὴν ἐλπίδα τιθέμενος τά τε χρήματα προϋπεμπεν ἐς Φαισούλας, καὶ τοῖς συνωμόταις ἐντειλάμενος κτεῖναι Κικέρωνα καὶ τὴν πόλιν ἐκ διαστημάτων πολλῶν νυκτὸς ἐμπρῆσαι μιᾶς, ἐξῄει πρὸς Γάϊον Μάλλιον. Cf. Cic. in Cat. I. c. 4. 8.

(27) Duo coniurationis socii pollicentur sese illa ipsa nocte paullo ante lucem interfecturos Ciceronem. III. c. 14. 40. IV. c. 2. 4.

Sallust. Catil. c. 28. *Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius senator, constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem ac de improviso domi suae imparatum confodere.* Plutarch. Cic. c. 16. 1. *Οὐκέτι καρτερῶν τὴν μέλλησιν ὁ Κατιλίνας, αὐτὸς μὲν ὑπῆδεν ἔγνω πρὸς τὸν Μάλλιον ἐπὶ τὸ στράτευμα, Μάρκιον δὲ καὶ Κέθηγον ἐκέλευσε ξίφη λαβόντας ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας ἔωθεν ὡς ἀσπασομένους τὸν Κικέρωνα καὶ διαχρήσασθαι προσπεσόντας.* Appian. B. C. II. c. 3. *Λέντλῳ δὲ καὶ τοῖς συνωμόταις ἔδοξεν, ὅτε Κατιλίναν ἐν Φαισούλαις πυθόμενοι γεγενῆσθαι, Λέντλον μὲν αὐτὸν καὶ Κέθηγον ἔφεδρεύσαι ταῖς Κικέρωνος θύραις περὶ ἕω, μετὰ πεπρυμμένων ξιφιδίων, ἐσδεχθέντας τε διὰ τὴν ἀξίωσιν, καὶ λαλοῦντας ὅ τι δὴ, μηνῦναι τὴν ὁμιλίαν ἐν περιπάτῳ, καὶ κτεῖναι περισπάσαντας ἀπὸ τῶν ἄλλων.* Dio XXXVII. c. 32. 4. *Οὕτως αὐτοὺς καὶ ἐπέρρωσε καὶ παρώξυνεν ὥσθ' ὑποσχέσθαι δι' ὑπηρετῶν τινὰς ἔς τε τὴν τοῦ Κικέρωνος οἰκίαν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ ἐσῆξαι, κἀνταῦθα αὐτὸν φονεύσειν.*

(28) Iterum, ut videtur, sequenti nocte [d. 8 Novemb. 691 = 12 Ianuar. 62 a. C.] Catilina convocavit aliquo coniurationis socios. III. c. 16. 46.

Cic. in Catil. I. c. 1. 1. *Quid proxima* [8 Novbr.], *quid superiore* [7 Novbr.] *nocte egeris, ubi fueris, quos convocaris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?* Ibid. c. 4. 8. *Recognosce tandem mecum illam superiorem noctem* [7 Novbr.]. — *Dico te priore nocte venisse inter falcarios — in M. Laecae domum.*

(29) Enuntiato per Fulviam, qui parabatur, dolo excluduntur ii, qui ad Ciceronem missi erant interficiendum. III. c. 14. 41.

Sallust. Catil. c. 28. *Curius ubi intelligit, quantum periculum consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant.* Plutarch. Cic. c. 16. 1. *Τοῦτο Φουλβία, γυνὴ τῶν ἐπιφανῶν, ἐξαγγέλλει τῷ Κικέρωνι νυκτὸς ἐλθοῦσα καὶ διακελευσαμένη φυλάττεσθαι τοὺς περὶ τὸν Κέθηγον. Οἱ δ' ἦκον ἅμ' ἡμέρᾳ καὶ κωλυθέντες εἰσελθεῖν ἠγανάκτουν καὶ κατεβόων ἐπὶ θύραις, ὥστε ὑποπτότεροι γενέσθαι.* Appian. B. C. II. c. 3. *Καὶ τάδε πάντα, ἔτι ἀγνοούμενα, Φουλβία, γύναιον οὐκ ἀφανὲς, ἐμήνυε τῷ Κικέρωνι· ἧς ἐρῶν Κόϊντος Κούριος, κτέ.* Cfr. Florus l. c.

(30) Postridie, a. d. VI. Idus Novemb. [= 8 Novemb. 691 = 12 Ianuar. 62 a. C.] octodecim diebus postquam senatusconsultum factum fuerat, Cicero senatum convocat in aedem Iovis Statoris, ubi *Orationem I. in Catilinam* habet praesentem. III. c. 16. 45. c. 35. 113.

Sallust. Catil. c. 31. *Postremo (Catilina) dissimulandi caussa aut sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in senatum venit. Tum M. Tullius consul, sive praesentiam eius timens sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae: quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, Patres conscripti ne quid de se temere crederent; ea familia ortum, ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne aestumarent, sibi patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita republica opus esse, quum eam servaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia quum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: Quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.* Sed postremum hoc responsum aliquot iam diebus ante a Catilina tulisse Catonem, ubi iudicium minitaretur, narrat Cicero pro Murena c. 25. 51. (vid. L. III. c. 17. 55.) Sallustium sequitur Florus IV. c. 1. 7. Cfr. Valer. Max. IX. c. 11. 3. Plutarch. Cic. c. 16. 2. Προελθὼν δ' ὁ Κικέρων ἐκάλει τὴν σύγκλητον εἰς τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερὸν, ὃν Στάτωρα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, πρὸς τὸ Παλάτιον ἀνιόντων. Ἐνταῦθα καὶ τοῦ Κατιλίνα μετὰ τῶν ἄλλων ἐλθόντος ὡς ἀπολογησομένου, συγκαθίσαι μὲν οὐδεὶς ὑπέμεινε τῶν συγκλητικῶν, ἀλλὰ πάντες ἀπὸ τοῦ βάθρου μετῆλθον. [cfr. L. III. c. 16. 45 et 48.] Ἀρξάμενος δὲ λέγειν ἐθορυβεῖτο, καὶ τέλος ἀναστὰς ὁ Κικέρων προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι· δεῖν γὰρ, αὐτοῦ μὲν λόγοις, ἐκείνου δ' ὅπλοις πολιτευομένου, μέσον εἶναι τὸ τεῖχος. Cic. in Catil. I. c. 1. 3. *Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave:* — c. 2. 4. *At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis.* Ascon. ad Pisonian. p. 6. *Hic non subtilis computatio — facta est, verum summatim tempus comprehensum est. — Itaque idem Cicero in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, quum octavus decimus dies esset, posteaquam factum senatusconsultum, ut viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet, dixit, vicesimum diem habere senatusconsultum.* [Cfr. ad a. 691. 22.]

(31) Hac oratione perterritus Catilina curiam reliquit et nocte insequenti [= 9 Novemb. 691 = 13 Ian. 62 a. C.] ad Manlium in castra profugit, nefariorum hominum consilium secum educens, relictis autem in Urbe consciis, quibus caedium et incendiorum partes erant datae. III. c. 17. 56. c. 19. 60.

Sallust. Catil. c. 32. *Deinde (Catilina) se ex curia domum proripuit. Ibi multa ipse secum volvens, quod neque insidiae consuli procedebant, et ab incendio intelligebat Urbem vigiliis munitam, optumum factu credens exercitum augere ac prius, quam legiones scriberentur, multa antecapere, quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est.* Plinius H. N. VII. c. 30. (31.) *Tusum (M. Tulli) Catilina fugit ingenium.* Plutarch. Cic. c. 16. 3. *Ὁ μὲν οὖν Κατιλίνας εὐθὺς ἐξελθὼν μετὰ τριακοσίων ὁπλοφόρων καὶ περιστησάμενος αὐτῷ ῥαβδουχίας ὡς ἄρχοντι καὶ πελέκεις καὶ σημαίας ἐπαράμενος πρὸς τὸν Μάλλιον ἐχώρει· καὶ θυσμυρίων ὁμοῦ τε συνηθροισμένων ἐπῆρε τὰς πόλεις ἀναπείθων καὶ ἀφιστάς.* Cfr. Cic. pro Murena c. 39. 83. in Catil. II. c. 12. 27. Dio XXXVII. c. 33. 1. *Ὡς δὲ καὶ τοῦτο προεμηνύθη, — μεταστῆναι ἡ γερουσία τὸν Κατιλίναν ἐψηφίσατο· καὶ ὃς ἀσμένως τε ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ ἐξεχώρησε, καὶ πρὸς τὰς Φαισούλας ἐλθὼν τόν τε πόλεμον ἀντικρυς ἀνείλετο, καὶ τὸ ὄνομα καὶ τὴν σκευὴν τῶν ὑπάτων λαβὼν καὶ τοὺς προσυνειλεγμένους ὑπὸ τοῦ Μαλλίου συνεκρότει, κἀν τούτῳ καὶ ἄλλους τινάς, πρῶτον μὲν ἐκ τῶν ἐλευθέρων ἔπειτα δὲ καὶ ἐκ τῶν δούλων, προσεποιεῖτο.* Appian. B. C. II. c. 3. *Ἐξῆει (ὁ Κατιλῖνας) πρὸς Γάϊον Μάλλιον, ὡς αὐτίκα στρατὸν ἄλλον ἀθροίσων, καὶ ἐς τὸν ἐμπρησμὸν τῆς πόλεως ἐπιδρομούμενος. Ὁ μὲν δὴ ῥάβδους τε καὶ πελέκεας, ὥς τις ἀνθύπατος, κούφως μάλα ὑπέσχε πρὸ ἑαυτοῦ, καὶ ἐς τὸν Μάλλιον ἐχώρει στρατολογῶν.*

(32) Postridie quam Catilina profugit, Cicero a. d. v. Idus Novemb. [= 9 Novemb. 691 = 13 Ian. 62. a. C.] *alteram* habuit *orationem Catilinariam* ad populum; qua, quae sit coniurationis ratio, exponens, invidiam a se avertit Catilinae sive lenius puniti sive crudelius eiecti; denique ostendit populo iamiam senatum habitum iri, ut de ea re agatur. III. c. 33. 113.

Cic. in Catil. II. c. 6. 12. *Hesterno die — senatum in aedem Iovis*

Statoris convocavi; rem omnem ad patres conscriptos detuli. c. 12. 26. *Reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis iam ad senatum referemus, quem vocari videtis.*

(33) Senatus continuo coactus, quid fieri sibi placeat, decernit imminente bello. III. c. 19. 62.

Sallust. Catil. c. 36. *Senatus Catilinam et Manlium hostes iudicat; ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere; praeter rerum capitalium condemnatis. Praeterea decernit, uti consules delectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero Urbi praesidio sit.* Cic. pro Mur. c. 39. 84. *In discrimen extremum venimus: nihil est iam, unde nos reficiamus; aut ubi lapsi resistamus. Non volum minuenda non sunt auxilia, quae habemus, sed etiam nova, si fieri possit, comparanda. Hostis est enim — in Urbe, in foro: — non nemo etiam in illo sacrario reipublicae, in ipsa, inquam, curia non nemo hostis est. Dii faxint, ut meus collega, vir fortissimus, hoc Catilinae nefariam latrocinium armatus opprimat! Ego togatus, vobis bonisque omnibus adiutoribus, hoc, quod conceptum respublica periculum parturit; consilio discutiam et comprimam!* Dio XXXVII. c. 33. 3. Ὅθεν περὶ καὶ οἱ Ῥωμαῖοι τῆς τε βίας αὐτοῦ κατεψηφίσαντο, καὶ τὸν Ἀντώνιον ἐς τὸν πόλεμον· ἀγνοοῦντές που τὴν συνωμοσίαν σφῶν, ἔστειλαν, αὐτοί τε τὴν ἐς σθῆτα μετάβαλον· καὶ διὰ ταῦτα καὶ ὁ Κικέρων κατὰ χώραν ἔμεινεν.

(34) Interim Catilina iam bellum gerente, Cicero in exitu fere consulatus dicit *pro L. Licinio Murena*, cos. designato, quem de ambitu accusáverat Ser. Sulpicius competitor cum tribus subscriptoribus, M. Catone, Cn. Postumio et Servio Sulpicio adolescente. Eumdem defendit quoque Hortensius. III. c. 36. 115.

Cic. pro Murena c. 2. 3. *Negat fuisse rectum Cato, me, et consulem et legis ambitus latorem* [v. ad a. 691. 10.], *et tam severe gesto consulatu, causam L. Murenae attingere. — Quod si portu solventibus ii, qui iam in portum ex alto inuehuntur, praecipere summo studio solent et tempestatum rationem et praedonum et locorum; quod natura fert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur; quo tandem me animo esse oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc (Murenam), cui video maximas reipublicae tempestates esse subeundas?* Quintil. IV. c. 5. 12. *Nemo tam erit aut iniustus, aut stultus, quin eum (Ciceronem) fateatur optime pro*

Murena esse partitum [c. 5. 11.] »*Intelligo, iudices, tres totius accusationis partes fuisse, et earum unam in reprehensione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.*" *Nam sic et ostendit lucidissime caussam et nihil fecit altero supervacuum.* XI. c. 1. 69. *Duae simul huiusmodi (quas veremur offendere) personae Ciceroni pro Murena dicenti obstiterunt, M. Catonis Serviique Sulpicii. Quam decenter tamen Sulpicio, quum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit? Quid enim aliud esset, quo se victum homo nobilis et iuris antistes magis ferret? Ut vero rationem defensionis suae reddidit, quum se studuisse petitioni Sulpicii contra honorem Murenae, non idem debere actioni contra caput, diceret? Quam molli autem articulo tractavit Catonem? cuius naturam summe admiratus, non ipsius vitia, sed Stoicae sectae, quibusdam in rebus factam duriorem videri volebat: ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse.* Plutarch. Cat. Min. c. 21. 2. *Ἀποδειχθεὶς δὲ δήμαρχος (ὁ Κάτων) σὺν ἑτέροις καὶ τῷ Μετέλλῳ, τὰς ὑπατικὰς ἀρχαιρεσίας ὁρῶν ὠνίους οὔσας ἐπετίμησε τῷ δήμῳ· καὶ καταπαύων τὸν λόγον ἐπώμοσε τοῦ δόντος ἀργύριον, ὅστις ἂν ᾖ, κατηγορήσειν, ἵνα Σιλανὸν ὑποξελόμενος δι' οἰκειότητα· Σερβιλίαν γὰρ ἀδελφὴν Κάτωνος ὁ Σιλανὸς εἶχε. Διὸ τοῦτον μὲν παρῆκε, Λεύκιον δὲ Μουρήναν ἐδίωκεν ἀργυρίῳ διαπραξάμενον ἄρχοντα μετὰ τοῦ Σιλανοῦ γενέσθαι. — Τῆς δὲ δίκης λεγομένης ὁ Κικέρων, ὕπατος ὢν τότε καὶ τῷ Μουρήνᾳ συνδικῶν, πολλὰ διὰ τὸν Κάτωνα τοὺς Στωϊκοὺς φιλοσόφους καὶ ταῦτα δὴ τὰ παράδοξα καλούμενα δόγματα χλευάζων καὶ παρασκώπτων γέλωτα παρεῖχε τοῖς δικασταῖς. Τὸν οὖν Κάτωνά φασι διαμειδιάσαντα πρὸς τοὺς παρόντας εἰπεῖν· Ὦ ἄνδρες, ὡς γελοῖον ὕπατον ἔχομεν.* Id. Cic. c. 35. 2. *Λικιννίῳ δὲ Μουρήνᾳ φεύγοντι δίκην ὑπὸ Κάτωνος βοηθῶν καὶ φιλοτιμούμενος Ὀρτήσιον ὑπερβάλλειν εὐημερήσαντα μέρος οὐδὲν ἀνεπαύσατο τῆς νυκτὸς, ὡς ὑπὸ τοῦ σφόδρα φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς ἐνδεέστερος αὐτοῦ φανῆναι.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 14. p. 372.

(35) Sed aliquanto prius, ut videtur, quam Murenae caussam attingeret, Cicero defenderat *C. Calpurnium Pisonem* consularem, ex Gallia Narbonensi reducem, cui praefuerat a. 689. pro consule. III. c. 36. 114. [Cfr. II. c. 34. 90.]

Sallust. Catil. c. 49. *Cum illo (C. Caesare) gravis inimicitias exercebat C. Piso, oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum.* Pisonis proconsulatum at-

tinguunt Cicero ad Att. I. 13. 2. Dio XXXVI. c. 20. De fortitudine huius consulis et constantia scribunt Valer. Max. III. c. 8. 3. Ascon. in Cornelianam p. 58.

(36) Qui in Urbe relicti erant cives a Catilina corrupti, quid agerent, quid molirentur, diligentissime observavit Cicero. Eos autem, ut Saturnalibus [= 19 Decbr.] caedem facerent principum et incendium Urbis, incitabat P. Cornelius Lentulus Sura. III. c. 20. 65. c. 22. 69 sq.

Plutarch. Cic. c. 17. 1. *Τοὺς δ' ὑπολειφθέντας ἐν τῇ πόλει τῶν διεφθαρμένων ὑπὸ τοῦ Κατιλίνα συνῆγε καὶ παρεθάρρυνε Κορνήλιος Λέντλος Σούρας ἐπίκλησιν, ἀνὴρ γένους μὲν ἐνδόξου, βεβιωκὼς δὲ φαύλως καὶ δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον, τότε δὲ στρατηγῶν τὸ δεύτερον, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα. — Τοῦτον ὄντα τῇ φύσει τοιοῦτον κεκινημένον ὑπὸ τοῦ Κατιλίνα προσδιέφθειραν ἐλπίσι κεναῖς ψευδομάντεις καὶ γόητες ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ἄδοντες, ὡς ἐκ τῶν Σιβυλλείων προδηλοῦντας εἱμαρμένους εἶναι τῇ Ῥώμῃ Κορνηλίους τρεῖς μονάρχους, ὧν δύο μὲν ἤδη πεπληρωκέναι τὸ χρεών, Κίννας τε καὶ Σύλλαν, τρίτῳ δὲ λοιπῷ Κορνηλίῳ ἐκείνῳ φέροντα τὴν μοναρχίαν ἥκειν τὸν δαίμονα καὶ δεῖν πάντως δέχεσθαι καὶ μὴ διαφθείρειν μέλλοντα τοὺς καιρούς, ὥσπερ Κατιλίνας.* (cfr. I. III. c. 22. 70. c. 23. 72.) c. 18. 1. *Οὐδὲν οὖν ἐπενόει μικρὸν ὁ Λέντλος ἢ ἄσημον, ἀλλ' ἐδέδοκτο τὴν βουλὴν ἅπασαν ἀναιρεῖν τῶν τ' ἄλλων πολιτῶν ὅσους δύναιτο, τὴν πόλιν δ' αὐτὴν καταπιμπράναι φείδεσθαί τε μηδενὸς ἢ τῶν Πομπηίου τέκνων.* — *Καὶ νὺξ μὲν ὥριστο πρὸς τὴν ἐπίθεσιν μία τῶν Κρονιάδων, ξίφη δὲ καὶ στυππεῖα καὶ θεῖον εἰς τὴν Κεθήγου φέροντες οἰκίαν ἀπέκρυψαν. Ἄνδρας δὲ τάξαντες ἑκατὸν καὶ μέρη τοσαῦτα τῆς Ῥώμης ἕκαστον ἐφ' ἑκάστῳ διεκλήρωσαν, ὡς δι' ὀλίγου πολλῶν ἁψάντων φλέγοιτο πανταχόθεν ἡ πόλις. Ἄλλοι δὲ τοὺς ὀχετοὺς ἔμελλον ἐμφράξαντες ἀποσφάττειν τοὺς ὑδρευομένους.*

(37) Legati Allobrogum, qui Romam venerant questum de avaritia magistratuum, a P. Cornelio Lentulo Sura praetore per P. Umbrenum, equitem Romanum, in coniurationem pellecti ut Gallos concitent contra rempublicam, Ciceroni rem patefaciunt per Q. Fabium Sangam, civitatis suae patronum. III. c. 20. 65. c. 30. 94.

Sallust. Catil. c. 39. *Iisdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat, neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.* c. 40. *Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat eosque, si potrit, impellat ad societatem belli, existumans publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. — Ille ea in domum D. Bruti perducit, — praeterea Gabinium arcessit, quo maior auctoritas sermoni inesset. Eo praesente coniurationem aperit, nominat socios, praeterea multos cuiusque generis innocios, quo legatis animus amplior esset: deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit.* c. 41. *Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent. — Tandem vicit fortuna reipublicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, ut cognoverant, aperiunt.* Plutarch. Cic. c. 18. 3. Πραττομένων δὲ τούτων ἔτυχον ἐπιδημοῦντες Ἀλλοβρίγων δύο πρέσβεις, ἔθνους μάλιστα δὴ τότε πονηρὰ πράττοντος καὶ βαρυνομένου τὴν ἡγεμονίαν. Τούτους οἱ περὶ Λέντλον ὠφελίμους ἡγούμενοι πρός τὸ κινῆσαι καὶ μεταβαλεῖν τὴν Γαλατίαν ἐποιήσαντο συναμώτας. Appian. B. C. II. c. 4. Ἀλλοβρίγων δὲ πρέσβεις, αἰτιώμενοι τοὺς ἡγουμένους αὐτῶν, ἐς τὴν Λέντλου συναμοσίαν ἐπήχθησαν, ὡς ἀναστήσοντες ἐπὶ Ῥωμαίους τὴν Γαλατίαν. — Οἱ δ' Ἀλλόβριγες ἐνδοιάσαντες, ἐποιοῦσαντο Φαβίῳ Σάγγᾳ, ὃς ἦν τῶν Ἀλλοβρίγων προστάτης· ὥσπερ ἁπάσαις πόλεσιν ἔστι τις ἐν Ῥώμῃ προστάτης. Dio XXXVII. c. 34. 1. Παρασκευαζομένου τοῦ Λεντούλου καταπρῆσαί τε τὸ ἄστυ καὶ σφαγὰς ἐργάσασθαι μετά τε τῶν ἄλλων τῶν συνομωμοκότων καὶ μετὰ Ἀλλοβρίγων, οὓς κατὰ πρεσβείαν παρόντας ἀνέπεισε συμφρονῆσαί τε αὐτῷ... Cfr. Florus l. c.

(38) Cicero per Sangam consilio cognito, legatis praecipit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam, uti eos quam maxime manifestos habeant. Qui, acceptis ante ad civitatem suam et ad Catilinam litteris, duce Vulturcio Urbem relinquunt. III. c. 20. 65. c. 22. 69. c. 23. 72.

Sallustius Catil. c. 44. *Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio, postulant iusiurandum, quod signatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes*

dant; Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex Urbe proficiscitur. Lentulus cum his T. Vulturcium quendam Crotoniensem mittit, ut Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina data atque accepta fide societatem confirmarent. Ipse Vulturcio litteras ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est: Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse; consideres, quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis! Plutarch. Cic. c. 18. 3. *Καὶ γράμματα μὲν αὐτοῖς πρὸς τὴν ἐκεῖ βουλὴν, γράμματα δὲ πρὸς Κατιλίναν ἔδοσαν, τῇ μὲν ὑπισχνούμενοι τὴν ἐλευθερίαν, τὸν δὲ Κατιλίναν παρακαλοῦντες ἐλευθερώσαντα τοὺς δούλους ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν. Συνεπίστελλον δὲ μετ' αὐτῶν πρὸς τὸν Κατιλίναν Τίτον τινὰ, Κροτωνιάτην νομίζοντα τὰς ἐπιστολάς.* Appian. B. C. II, c. 4. *Καὶ Λέντλος μὲν αὐτοῖς συνέπεμπεν ἐς Κατιλίναν Βουλτούρκιον, ἄνδρα Κροτωνιάτην, γράμματα χωρὶς ὀνομάτων γεγραμμένα φέροντα.*

(39) Cicero, opera usus praetorum L. Valerii Flacci et C. Pomptini, a. d. III. Non. Decembres [= 3 Decemb. 691 = 5 Febr. 62. a. C.] tertia vigilia noctis, quum profecturi essent Allobrogum legati, omnem eum comitatum in ponte Mulvio comprehendi curat. III. c. 21. 66.

Sallust. Catil. c. 45. *His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus L. Valerio Flacco et C. Pomptino praetoribus imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Illi, homines militares, sine tumultu praesidiis collocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Vulturcio venere, et simul utrimque clamor exortus est, Galli cito cognito consilio sine mora praetoribus se tradunt. Vulturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; deinde, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei natus erat, postremo timidus ac vitae diffidens, velut hostibus sese praetoribus dedit.* c. 46. *Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios consuli declarantur.* Plutarch. Cic. c. 18. 4. *Οἷα δ' ἀνθρώπων ἀσταθμήτων καὶ μετ' οἴνου τὰ πολλὰ καὶ γυναικῶν ἀλλήλοις ἐντυγχανόντων βουλεύματα πόνῳ καὶ λογισμῷ νήφοντι καὶ συνέσει περιττῇ διώκων ὁ Κικέρων καὶ πολλοὺς μὲν ἔχων ἔξωθεν ἐπισκοποῦντας*

τὰ πραττόμενα καὶ συνεξιχνεύοντας αὐτῷ, πολλοῖς δὲ τῶν μετέχειν δοκούντων τῆς συνωμοσίας διαλεγόμενος κρύφα καὶ πιστεύων, ἔγνω τὴν πρὸς τοὺς ξένους κοινολογίαν· καὶ νυκτὸς ἐνεδρεύσας ἔλαβε τὸν Κροτωνιάτην καὶ τὰ γράμματα, συνεργούντων ἀδήλως τῶν Ἀλλοβρίγων. Appian. B. C. II. c. 4. Παρὰ δὲ τοῦ Σάγγα μαθὼν ὁ Κικέρων, συνέλαβεν ἀπιόντας τοὺς Ἀλλόβριγάς τε καὶ Βουλτούρκιον, καὶ ἐς τὴν βουλὴν αὐθὶς ἐπήγαγεν. Dio XXXVII. c. 34. 2. Καὶ συλλαβὼν τοὺς ἐπ' αὐτὴν σταλέντας, ἔς τε τὸ βουλευτήριον μετὰ τῶν γραμμάτων ἐσήγαγε, καὶ ἄδειαν αὐτοῖς δοὺς πᾶσαν, οὕτω τὴν συνωμοσίαν ἤλεγξεν. Florus l. c.

(40) Cicero arcessitis coniurationis principibus et senatu in aedem Concordiae convocato rem omnem certis indiciis et litteris patefacit, adhibitis, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent, senatoribus C. Cosconio, M. Messalla, P. Nigidio, App. Claudio. III. c. 22. 68—c. 24. 75.

Sallust. Catil. c. 46. (*Cicero*) *vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item Caeparium Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt; Caeparius, paullo ante domo egressus, cognito indicio, ex Urbe profugerat. Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens in senatum perducit; reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet. Eo senatum advocat, magnaque frequentia eius ordinis Vulturcium cum legatis introducit; Flaccum praetorem scrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, eodem adferre iubet.* c. 47. *Vulturcius interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de caussa consilii habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit docetque se, paucis ante diebus a Gabinio et Caeparo socium adscitum, nihil amplius scire quam legatos; tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Vargunteium, multos praeterea in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur, ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret Urbis potiri* [v. ad a. 691. 36.]; *praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum* [v. ad a. 671. 2.], *quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore.* Plutarch. Cic. c. 19. 1. Ἅμα δ' ἡμέρᾳ βουλὴν ἀθροίσας εἰς τὸ τῆς Ὁμονοίας ἱερὸν ἐξανέγνω τὰ

γράμματα καὶ τῶν μηνυτῶν δεήσουσιν. Ἔφη δὲ καὶ Σιλανὸς Ἰούνιος ἀπηγορεύειν τινὰς Καθήγου λέγοντος, ὡς ὑποπτοί τε τοῖς καὶ στρατηγοὶ τέτταρες ἀναιρεῖσθαι μέλλουσι. Τοιαῦτα δ' ἕτερα καὶ Πείσων, ἀνὴρ ὑπατικός, εἰσήγγειλε. Γάϊος δὲ Λουλπίκιος, εἷς τῶν στρατηγῶν, ἐπὶ τὴν οἰκίαν πεμφθεὶς τοῦ Καθήγου, πολλὰ μὲν ἐν αὐτῇ βέλη καὶ ὅπλα, πλεῖστα δὲ ξίφη καὶ μαχαίρας εὗρε νεοθήκτους ἁπάσας. Τέλος δὲ τῷ Κροτωνιάτῃ ψηφισαμένης ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει τῆς βουλῆς, κτέ. Appian. B. C. II. c. 4. Οἱ δὲ (Ἀλλοβρίγων πρέσβεις) ὡμολόγουν ὅσα τοῖς ἀμφὶ τὸν Λέντλον συνῳδὰ εἶπον, ἀχθέντας τε ἤλεγχον, ὡς ὁ Κορνήλιος Λέντλος εἴποι πολλάκις, εἰμάρθαι, τρεῖς Κορνηλίους γενέσθαι Ῥωμαίων μονάρχους, ὧν ἤδη Κίννων καὶ Σύλλων γεγονέναι. Cfr. Plutarch. Cic. c. 17. 4.

(41) Quo die quum mane per forum coniurati in aedem Concordiae ducebantur, eo ipso tempore signum Iovis statutum est ex praecepto haruspicum. III. c. 30. 93.

Dio XXXVII. c. 34. 3. Καὶ ταῦτα καὶ τῷ δήμῳ ὁμοίως ἤρεσε, καὶ μάλιστα ἐπειδή, τοῦ Κικέρωνος δημηγορουντός τι περὶ αὐτῶν, τὸ ἄγαλμα τὸ τοῦ Διὸς ἔς τε τὸ Καπιτώλιον παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς ἐκκλησίας ἀνιδρύθη, καὶ κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν μάντεων πρός τε τὰς ἀνατολὰς καὶ πρὸς τὴν ἀγορὰν βλέπον ἀνετέθη: ἐπειδὴ γὰρ ἐπαινοί τε συνωμοσίαν τινὰ ἐξελεγχθήσεσθαι ἐκ τῆς τοῦ ἀγάλματος πτώσεως εἰρήκεσαν, καὶ ἡ ἀνάθεσις αὐτοῦ τοῖς φωραθεῖσι συνέβαινε, τό τε θεῖον ἐμεγάλυνον καὶ τοὺς τὴν αἰτίαν λαβόντας δι' ὀργῆς μᾶλλον ἐποιοῦντο. Cfr. ad a. 689. 4.

(42) Senatus P. Lentulum, abdicato magistratu, et reliquos coniurationis principes decernit in custodiam tradendos. III. c. 25. 79.

Cic. in Catil. IV. c. 3. 5. *Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt, vos (P. C.) multis iam iudiciis iudicastis: — deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret praetura, coegistis: tum, quod eum et ceteros, de quibus iudicastis, in custodiam dandos censuistis.* Ibid. c. 5. 10. Sallust. Catil. c. 47. *Igitur perlectis litteris, quum prius omnes signa sua cognovissent, senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus iteraque ceteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat* [v. ad a. 691. 16.], *Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Caeparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur.* Plutarch. Cic. c. 19. 1. Ἐξελεγχθεὶς ὁ Λέντλος ἀπωμόσατο τὴν ἀρχὴν (στρατηγῶν γὰρ ἐτύγχανε) καὶ τὴν περιπόρφυρον ἐν τῇ βουλῇ καταθέμε-

νος διήλλαξεν ἐσθῆτα τῇ συμφορᾷ πρέπουσαν. Οὗτος μὲν οὖν καὶ οἱ σὺν αὐτῷ παρεδόθησαν εἰς ἄδεσμον φυλακὴν τοῖς στρατηγοῖς. Appian. B. C. II. c. 5. *Λεχθέντων δὲ τούτων, ἡ μὲν βουλὴ Λέντλον παρέλυσε τῆς ἀρχῆς· ὁ δὲ Κικέρων, ἕκαστον ἐς τὰς οἰκίας τῶν στρατηγῶν διαθεὶς, ἐπανῆλθεν αὐτίκα, καὶ ψῆφον περὶ αὐτῶν ἐδίδου.* Dio XXXVII. c. 34. 2. *Κἀκ τούτου ὁ Λέντουλος ἀπειπεῖν τὴν στρατηγίαν ὑπὸ τῆς γερουσίας ἀναγκασθεὶς, ἐν φρουρᾷ μετὰ τῶν ἄλλων τῶν συλληφθέντων ἐγένετο, καὶ οἱ λοιποὶ ἀνεζητοῦντο.* Florus l. c.

(43) Ciceroni autem senatus decernit teslimonium conservatae reipublicae et novum supplicationis genus. III. c. 25. 78. 80. c. 29. 88 sqq. c. 32. 100.

Cic. in Catil. IV. c. 3. 5. *Haec omnia — vos (P. C.) multis iam iudiciis iudicastis: primum quod mihi gratias egistis singularibus verbis, et mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse coniurationem decrevistis; — maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis, qui honos togato habitus ante me est nemini.* Ibid. c. 5. 10. pro Sulla c. 30. 85. *Grave esse videtur, eum, qui investigarit coniurationem, qui patefecerit, qui oppresserit, cui senatus singularibus verbis gratias egerit, cui uni togato supplicationem decreverit, dicere in iudicio: non defenderem, si coniurasset.* Philipp. II. c. 1. 2. *Senatus clarissimis civibus bene gestae reipublicae testimonium multis, mihi uni conservatae dedit.* Ibid. c. 6. 13. *L. Cotta, vir summo ingenio summoque prudentia, rebus iis gestis — supplicationem decrevit verbis amplissimis: eique — consulares senatusque cunctus assensus est: qui honos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemini.* Philipp. XIV. c. 8. 24. *Mihi consuli supplicatio, nullis armis sumptis, non ob caedem hostium, sed ob conservationem civium, novo et inaudito genere, decreta est.* Quintil. II. c. 16. 7. *Divina M. Tullii eloquentia — Catilinae fregit audaciam et supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit.* Dio XXXVII. 36. 3. *Καὶ ἐπ' αὐτοῖς καὶ θυσία καὶ ἱερομηνία ἐψηφίσθη, ὃ μή πώποτε ἐπὶ τοιούτῳ τινὶ ἐγεγόνει.* Id. XLV. c. 46. 3. *Καὶ θῦσαι καὶ ἑορτάσαι ἐφ' οἷς ὑπατεύων ἐποίησα ἐψηφίσασθε, ὅπερ οὐδενὶ πώποτε ἄλλῳ μὴ οὐκ ἐν πολέμῳ γέ τι καταπράξαντι ἐγένετο.*

(44) Eodem illo die, III. Nonas Decemb. [= 3 Decemb. 691 = 5 Febr. 62 a. C.] Cicero sub noctem in concionem progressus, *Oratione tertia* et quae in senatu acta essent ex-

ponit et ad celebrandam supplicationem sibi a senatu decretam populum cohortatur. III. c. 32. 100. c. 35. 113.

Cic. in Catil. III. c. 1. 1. *Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum — hodierno die — ex flamma atque ferro — ereptam et vobis conservatam ac restitutam videtis.* Sallust. Catil. c. 48. *Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere; veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat.* Plutarch. Cic. c. 19. 2. *Ἤδη δ' ἑσπέρας οὔσης καὶ τοῦ δήμου περιμένοντος ἀθρόου, προελθὼν ὁ Κικέρων καὶ φράσας τὸ πρᾶγμα τοῖς πολίταις, κτέ.*

(45) Habita oratione deducitur in domum amici cuiusdam vicini, ibique audit ea nocte de ostento quod factum sit Terentiae domi suae cum mulieribus sacrificanti, et deliberat secum quomodo agendum sit cum deprehensis.

Plutarch. Cic. c. 19. 2. *Καὶ προπεμφθεὶς παρῆλθεν εἰς οἰκίαν φίλου γειτνιῶντος, ἐπεὶ τὴν ἐκείνου γυναῖκες κατεῖχον ἱεροῖς ἀπορρήτοις ὀργιάζουσαι θεόν, ἣν Ῥωμαῖοι μὲν Ἀγαθήν, Ἕλληνες δὲ Γυναικείαν ὀνομάζουσι. Θύεται δ' αὐτῇ κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ ὑπάτου διὰ γυναικὸς ἢ μητρὸς αὐτοῦ, τῶν Ἑστιάδων παρθένων παρουσῶν. Εἰσελθὼν οὖν ὁ Κικέρων καθ' αὑτόν, ὀλίγων παντάπασιν αὐτῷ παρόντων, ἐφρόντιζεν ὅπως χρήσαιτο τοῖς ἀνδράσι.* — c. 20. 1. *Ταῦτα τοῦ Κικέρωνος διαποροῦντος γίνεταί τι ταῖς γυναιξὶ σημεῖον θυούσαις. Ὁ γὰρ βωμός, ἤδη τοῦ πυρὸς κατακεκοιμῆσθαι δοκοῦντος, ἐκ τῆς τέφρας καὶ τῶν κεκαυμένων φλοιῶν φλόγα πολλὴν ἀνῆκε καὶ λαμπράν, ὑφ' ἧς αἱ μὲν ἄλλαι διεπτοήθησαν, αἱ δ' ἱεραὶ παρθένοι τὴν τοῦ Κικέρωνος γυναῖκα Τερεντίαν ἐκέλευσαν ᾗ τάχος χωρεῖν πρὸς τὸν ἄνδρα καὶ κελεύειν οἷς ἔγνωκεν ἐγχειρεῖν ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς μέγα πρός τε σωτηρίαν καὶ δόξαν αὐτῷ τῆς θεοῦ φῶς διδούσης. Ἡ δὲ Τερεντία — ταῦτά τε πρὸς αὐτὸν ἔφρασε καὶ παρώξυνεν ἐπὶ τοὺς ἄνδρας.* Dio XXXVII. c. 35. 4. *Καί τινα παρὰ τοῦ δαιμονίου χρηστὴν ἐλπίδα ἅμα τῇ ἕω λαβών, ὅτι ἱερῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ ὑπὸ τῶν ἀειπαρθένων ὑπὲρ τοῦ δήμου ποιηθέντων τὸ πῦρ ἐπὶ μακρότατον παρὰ τὸ εἰκὸς ἤρθη, τὸν μὲν δῆμον τοῖς στρατηγοῖς ὁρκῶσαι ἐς τὸν κατάλογον, εἰ δή τις χρεία στρατιωτῶν γένοιτο, ἐκέλευσεν.* De prodigio superiore anno facto loquitur Servius ad Virgil. Ecl. VIII. 106. *Quum (uxor Ciceronis) post peractum sacrificium libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit, quae flamma*

eodem anno consulem futurum ostendit eius maritum: sicut Cicero in suo testatur poemate.

(46) Pridie Nonas Decembr. [= 4 Decembr. 691 = 6 Febr. 62 a. C.] indicibus praemia constituuntur, Allobrogum legatis et Tito Vulturcio. III. c. 20. 65. c. 22. 69.

Sallust. Catil. c. 50. *Dum haec in senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et Tito Vulturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur* cet. Cic. in Catil. IV. c. 3. 5. *Hesterno die praemia legatis Allobrogum Titoque Vulturcio dedistis amplissima.* Ibid. c. 5. 10. *Video — abesse non neminem:* [*Q. Metellum* v. Schol. Gronov. p. 413.] — *Is et nudius tertius in custodiam cives Romanos dedit, et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis affecit.*

(47) Denique Nonis Decembribus [= 5 Decemb. 691 = 7 Febr. 62 a. C.] quum senatu de puniendis coniuratis deliberante duae essent sententiae, altera D. Iunii Silani cos. designati, supplicium suadentis, altera C. Iulii Caesaris, coniuratos bonis publicatis per municipia custodiendos esse censentis: tandem sententia Silani vicit, commendata auctoritate et *Oratione* Ciceronis, quae est *quarta in Catilinam.* III. c. 26. 82. c. 35. 113. c. 36. 117.

Sallust. Catil. c. 50. *Consul — convocato senatu refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. — Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, et praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat, quod de ea re praesidiis additis, referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule, huiuscemodi verba locutus est.* c. 51. *Omnis homines, P. C., qui de rebus dubiis consultant* cet. — *Equidem ego sic aestimo, P. C., omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris eorum obliti de poena disserunt, si ea paullo severior fuit. D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certe scio, quae dixerit, studio reipublicae dixisse. — Verum sententia eius mihi non crudelis, — sed aliena a republica nostra videtur. — Sed*

ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxime opibus valent: nec quis de his postea ad senatum referat neve cum populo agat: qui aliter fecerit, senatum existumare eum contra rempublicam et salutem omnium facturum. c. 52. *Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie adsentiebantur; at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit: Longe mihi alia mens est, P. C., quum res atque pericula nostra considero* cet. — *Quare ita ego censeo: quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxima pericula venerit, hique indicio T. Vultureii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum supplicium sumendum.* c. 53. *Postquam Cato adsedit, consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad caelum ferunt, alii alios increpantes timidos vocant; Cato clarus atque magnus habetur; senatus decretum fit, sicut ille censuerat.* Sueton. Caes. c. 14. *Praetor creatus, detecta coniuratione Catilinae, senatuque universo in socios facinoris ultimam statuente poenam, solus municipatim dividendos custodiendosque publicatis bonis censuit. Quin et tantum metum iniecit asperiora suadentibus, idemtidem ostentans, quanta eos in posterum a plebe Romana maneret invidia, ut D. Silanum consulem designatum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut gravius atque ipse sensisset exceptam: obtinuissetque adeo, transductis ad se iam pluribus, et in his Cicerone consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio.* Velleius II. c. 35. 1. *Ille senatus dies — virtutem M. Catonis, iam multis in rebus conspicuam atque praenitentem, altissime illuminavit. — Hic tribunus plebis designatus et adhuc admodum adolescens, quum alii suaderent ut per municipia Lentulus coniuratique custodirentur, pene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in coniurationem, ut ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium societate consilii suspectam fecerit: sic impendentia ex ruinis incendiisque Urbis et commutatione status publici pericula exposuit, ita consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in eius sententiam transiret, animadvertendumque in eos, quos praediximus, censeret; maiorque pars ordinis eius Catonem prosequerentur domum.* Florus IV. c. 1. 10. *De supplicio agentibus Caesar parcendum dignitati, Cato animadvertendum censebat. Quam sententiam secutis omnibus, in carcere parricidae strangulantur.* Plutarch.

Cic. c. 20. 3. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ γενομένων ἐν συγκλήτῳ λόγων περὶ τιμωρίας τῶν ἀνδρῶν, ὁ πρῶτος ἐρωτηθεὶς γνώμην Σιλανὸς εἶπε τὴν ἐσχάτην δίκην δοῦναι προσήκειν ἀχθέντας εἰς τὸ δεσμωτήριον. Καὶ προσετίθεντο τούτῳ πάντες ἐφεξῆς μέχρι Γαΐου Καίσαρος τοῦ μετὰ ταῦτα δικτάτορος γενομένου. — c. 21. 1. Ἐπεὶ δ' οὖν ἡ γνώμη περιῆλθεν εἰς αὐτόν, ἀναστὰς ἀπεφήνατο μὴ θανατοῦν τοὺς ἄνδρας, ἀλλὰ τὰς οὐσίας εἶναι δημοσίας, αὐτοὺς δ' ἀπενεχθέντας εἰς πόλεις τῆς Ἰταλίας ὃς ἂν δοκῇ Κικέρωνι τηρεῖσθαι δεδεμένους ἄχρι ἂν οὗ πατακολεμηθῇ Κατιλίνας. — Εἰρημένης δὲ τῆς γνώμης, πρῶτος ἀντέκρουσεν αὐτῇ Κάτλος Λουτάτιος· εἶτα δεξάμενος Κάτων καὶ τῷ λόγῳ σφοδρῶς συνεπερείσας ἐπὶ τὸν Καίσαρα τὴν ὑπόνοιαν ἐνέπλησε θυμοῦ καὶ φρονήματος τὴν σύγκλητον, ὥστε θάνατον καταψηφίσασθαι τῶν ἀνδρῶν. Cfr. Plutarch. Cat. Min. c. 22. 2. Appian. B. C. II. c. 5. Ἦν ὁ Κικέρων πυθόμενος — τὴν γνώμην ἐπετάχυνε. Σιλανὸς μὲν δὴ πρῶτος ἔλεγεν, ὃς ἐς τὸ μέλλον ἤρητο ὑπατεύειν. — Ἀξιοῦντι δὲ τῷ Σιλανῷ, τοὺς ἄνδρας ἐσχάτῃ κολάσει μετιέναι, πολλοὶ συνετίθεντο, ἕως, ἐπὶ Νέρωνα τῆς γνώμης περιούσης, ὁ Νέρων ἔδικαίου, φυλάττειν αὐτοὺς μέχρι Κατιλίναν ἐξέλωσι πολέμῳ, καὶ τὰ ἀκριβέστατα μάθωσι. c. 6. Γαΐός τε Καῖσαρ, οὐ καθαρεύων μὲν ὑπονοίας μὴ συνεγνωκέναι τοῖς ἀνδράσι, Κικέρωνος δ' οὐ θαρροῦντος καὶ τόνδε, ὑπεραρέσκοντα τῷ δήμῳ, ἐς τὸν ἀγῶνα προβάλλεσθαι, προσετίθει, διαθέσθαι τοὺς ἄνδρας Κικέρωνα τῆς Ἰταλίας ἔν πόλεσιν αἷς ἂν αὐτὸς δοκιμάσῃ, μέχρι, Κατιλίνα καταπολεμηθέντος, ἐς δικαστήριον ὑπαχθῶσι, καὶ μηδὲν ἀνήκεστον ἐς ἄνδρας ἐπιφανεῖς ἢ πρὸ λόγου καὶ δίκης ἐξεργασμένος. Δικαίου δὲ τῆς γνώμης φανείσης καὶ δεχθείσης, ἀκρατῶς οἱ πολλοὶ μετετίθεντο· μέχρι Κάτων, ἤδη σαφῶς ἀνακαλύπτων τὴν ἐς τὸν Καίσαρα ὑποψίαν, καὶ ὁ Κικέρων, δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ, μὴ τὸ συνεγνωκὸς τοῖς ἀνδράσι πλῆθος αἰωρούμενον ἔτι κατ' ἀγοράν, καὶ δεδιὸς περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ ἐκείνων, ἐργάσηταί τι ἄτοπον, ἔπεισαν, ὡς αὐτοφώρων ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι. Dio XXXVII. c. 35. 4. Αὐτὸς δὲ ἐν τούτῳ τὴν βουλὴν ἤθροισε, καί σφας συνταράξας τε καὶ ἐκφοβήσας ἔπεισε θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι. c. 36. 1. Ἐγένοντο μὲν γὰρ ἀμφίβολοι, καὶ παρ' ὀλίγον αὐτοὺς ἀπέλυσαν· ὁ γὰρ Καῖσαρ, πάντων τῶν πρὸ αὐτοῦ ψηφισαμένων ἀποθανεῖν αφᾶς, γνώμην ἔδωκε δῆσαί τε αὐτοὺς καὶ ἐς πόλεις ἄλλους ἄλλῃ καταθέσθαι, τῶν οὐσιῶν ἐστερημένους, ἐπὶ τῷ μήτε περὶ ἀδείας ἔτι αὐτῶν χρηματισθῆναί τι ποτε, καν διαδράσῃ τις, ἐν πολεμίων μοίρᾳ τὴν πάλιν ἐξ ἧς ἂν φύγῃ εἶναι· καὶ τοῦτο πάντες οἱ μετὰ ταῦτα ἀποφηνάμενοι μέχρι τοῦ Κάτωνος ἐψη-

φίσαντο, ὥστε καὶ τῶν προτέρων τινὰς ἀναγνῶναι· ἔπειτα δὲ οὗτος αὐτός τε τὸν θάνατον αὐτῶν κατεδίκασε καὶ τοὺς λοιποὺς πάντας ὁμοψήφους ἐποιήσατο, οὕτω δὴ ἐκεῖνοί τε ἐκ τῆς νεκώσης ἀνελάσθησαν, καὶ ἐπ' αὐτοῖς καὶ θυσία καὶ ἱερομηνία ἐψηφίσθη.

(48) Itaque facta in Catonis sententiam discessione, de quinque coniuratis in carcere supplicium sumptum est. III. c. 26. 84. c. 27. 85.

Sallust. Catil. c. 55. *Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul optimum factu ratus noctem, quae instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, Triumviros quae supplicium postulabat parare iubet; ipse dispositis praesidiis Lentulum in carcerem deducit: idem fit ceteris per praetores. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, — in eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. — De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est.* Plutarch. Cic. c. 22. 1. Ἐχώρει δὲ (ὁ Κικέρων) μετὰ τῆς βουλῆς ἐπὶ τοὺς ἄνδρας. Οὐκ ἐν ταὐτῷ δὲ πάντες ἦσαν, ἄλλος δ' ἄλλον ἐφύλαττε τῶν στρατηγῶν. Καὶ πρῶτον ἐν Παλατίου παραλαβὼν τὸν Λέντλον ἦγε διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ καὶ τῆς ἀγορᾶς μέσης, τῶν μὲν ἡγεμονικωτάτων ἀνδρῶν κύκλῳ περισπειραμένων καὶ δορυφορούντων, τοῦ δὲ δήμου φριττοντος τὰ δρώμενα καὶ παριόντος σιωπῇ, μάλιστα δὲ τῶν νέων, ὥσπερ ἱεροῖς τισι πατρίοις ἀριστοκρατικῆς τινος ἐξουσίας τελεῖσθαι μετὰ φόβου καὶ θάμβους δοκούντων. Διελθὼν δὲ τὴν ἀγορὰν καὶ γενόμενος πρὸς τῷ δεσμωτηρίῳ παρέδωκε τὸν Λέντλον τῷ δημίῳ καὶ προσέταξεν ἀνελεῖν· εἶθ' ἑξῆς τὸν Κέθηγον καὶ οὕτω τῶν ἄλλων ἕκαστον καταγαγὼν ἀπέκτεινεν. Ὁρῶν δὲ πολλοὺς ἔτι τῆς συνωμοσίας ἐν ἀγορᾷ συνεστῶτας ἀθρόους καὶ τὴν μὲν πρᾶξιν ἀγνοοῦντας, τὴν δὲ νύκτα προσμένοντας, ὡς ἔτι ζώντων τῶν ἀνδρῶν καὶ δυναμένων ἐξαφικασθῆναι, φθεγξάμενος μέγα πρὸς αὐτούς, Ἔζησαν, εἶπεν. Οὕτω δὲ Ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι τὸ τεθνάναι σημαίνουσιν. Appian. B. C. II. c. 6. Καὶ εὐθὺς ἐκ τῶν οἰκιῶν, ἔτι τῆς βουλῆς συνεστώσης, ἕκαστον αὐτῶν ὁ Κικέρων ἐς τὸ δεσμωτήριον μεταγαγών, τοῦ πλήθους ἀγνοοῦντος, ἐπεῖδεν ἀποθνήσκοντας· καὶ τοῖς ἐν ἀγορᾷ παροδεύουσιν ἐσήμηνεν, ὅτι τεθνᾶσιν.

(49) Finito negotio quum vesperi per forum domum suam se reciperet, cum clamore et plausu exceptus et servator patriae invocatus est; quare has quidem Nonas Decembres semper in ore habuit Cicero. III. c. 27. 85. c. 34. 106.

Plutarch. Cic. c. 22. 3. *Ἤδη δ' ἦν ἑσπέρα καὶ δι' ἀγορᾶς ἀνέβαινον εἰς τὴν οἰκίαν, οὐκέτι σιωπῇ τῶν πολιτῶν οὐδὲ τάξει προπαμπόντων αὐτόν, ἀλλὰ φωναῖς καὶ κρότοις δεχομένων καθ' οὓς γένοιτο, σωτῆρα καὶ κτίστην ἀναπαλοίντων τῆς πατρίδος. Τὰ δὲ φῶτα πολλὰ κατέλαμπε τοὺς στενωπούς, λαμπάδια καὶ δᾷδας ἱστώντων ἐπὶ ταῖς θύραις. Αἱ δὲ γυναῖκες ἐκ τῶν τεγῶν προὔφαινον ἐπὶ τιμῇ καὶ θέᾳ τοῦ ἀνδρὸς ὑπὸ πομπῇ τῶν ἀρίστων μάλα σεμνῶς ἀνιόντος· ὧν οἱ πλεῖστοι πολέμους τε κατειργασμένοι μεγάλους καὶ δεὰ θριάμβων εἰσεληλακότες καὶ προσκεκτημένοι γῆν καὶ θάλατταν οὐκ ὀλίγην ἐβάδιζον ἀνομολογούμενοι πρὸς ἀλλήλους, πολλοῖς μὲν τῶν τότε ἡγεμόνων καὶ στρατηγῶν πλούτου καὶ λαφύρων καὶ δυνάμεως χάριν ὀφείλειν τὸν Ῥωμαίων δῆμον, ἀσφαλείας δὲ καὶ σωτηρίας ἑνὶ μόνῳ Κικέρωνι, τηλικοῦτον ἀφελόντι καὶ τοσοῦτον αὐτοῦ κίνδυνον.* Cic. pro Flacco c. 40. 102. *O Nonae illae Decembres, quae me consule fuistis! quem ego diem vere natalem huius Urbis, aut certe salutarem appellare possum.* ad Att. x. 1. 1. *Nonis illis Decembribus* cet. ibid. xvi. 14. 4. *Nonis iis, quibus nos magna gessimus* cet. ad Lentulum (ad Fam. i. 9. 12.) *Tenebam memoria, nobis consulibus, ea fundamenta iacta ex Kalendis Ianuariis confirmandi senatus, ut neminem mirari oporteret, Nonis Decembribus tantum vel animi fuisse in illo ordine vel auctoritatis.* pro Plancio c. 37. 90. *An, si umquam in me vitae cupiditas fuisset, ego mense Decembri mei consulatus, omnium parricidarum tela commossem? quae, si viginti quiessem dies, in aliorum vigiliam consulum recidissent.* post red. in senatu c. 5. 12. *Neque eo contentus fuit (A. Gabinius), sed etiam in concionem ascendit, eaque dixit, quae, si eius vir Catilina revixisset, dicere non esset ausus: se Nonarum Decembr., quae me consule fuissent, clivique Capitolini poenas ab equitibus Romanis* [ofr. L. iv. c. 27. 67.] *esse repetiturum.* Pseudo-Brutus Ep. ad Att. 17. *An quia non omnibus horis iactamus Idus Martias, similiter atque ille Nonas Decembres suas in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia et Clodius reprehendere illius consulatum soliti sunt?*

(50) Cicero, quum abdicans se consulatu pridie Kal. Ianuar. [= 29 Decbr. 691 = 3 Martii 62. a. C.] orationem habiturus erat, verba facere vetitus est a Q. Metello Nepote tribuno; iurandi tamen venia data, se rempublicam conservasse iuravit: idemque quum universus populus iurasset, Ciceronem domum suam reduxit. iii. c. 34. 107. iv. c. 9. 23.

Plutarch. Cic. c. 23. 1. *Οὐ μὴν ἀλλ' ἦσαν οἱ τὸν Κικέρωνα παροξυνάμενοι καὶ λέγειν ἐπὶ τούτοις καὶ ποιεῖν κακῶς, ἔχοντες ἡγεμόνας τῶν εἰς τὸ μέλλον ἀρχόντων Καίσαρα μὲν στρατηγοῦντα, Μέτελλον δὲ καὶ Βηστίαν δημαρχοῦντας. Οἳ τὴν ἀρχὴν παραλαβόντες, ἔτι τοῦ Κικέρωνος ἡμέρας ὀλίγας ἄρχοντος, οὐκ εἴων δημηγορεῖν αὐτὸν, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν ἐμβόλων βάθρα θέντες οὐ παρίεσαν οὐδ' ἐπέτρεπον λέγειν, ἀλλ' ἐκέλευον, εἰ βούλοιτο, μόνον περὶ τῆς ἀρχῆς ἀπομόσαντα καταβαίνειν. Κἀκεῖνος ἐπὶ τούτοις ὡς ὀμόσων προῆλθε· καὶ γενομένης αὐτῷ σιωπῆς ὤμνυεν οὐ τὸν πάτριον, ἀλλ' ἴδιόν τινα καὶ καινὸν ὅρκον, ᾗ μὴν σεσωκέναι τὴν πατρίδα καὶ διατετηρηκέναι τὴν ἡγεμονίαν. Ἐπώμνυε δὲ τὸν ὅρκον αὐτῷ σύμπας ὁ δῆμος.* Dio XXXVII. c. 38. 1. *Τὸν δὲ δὴ Κικέρωνα ἐν ὀργῇ ἐπὶ τῷ τῶν πολιτῶν θανάτῳ ποιούμενοι τά τε ἄλλα ἤχθαιρον, καὶ τέλος ἀπολογεῖσθαί τε καὶ καταλέξαι πάνθ' ὅσα ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἐπεποιήκει τῇ τελευταίᾳ τῆς ἀρχῆς ἡμέρᾳ ἐθελήσαντα (πάνυ γάρ που ἡδέως οὐχ ὅπως ὑφ' ἑτέρων ἐπῃνεῖτο, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν ἐνεκωμίαζεν) ἐσίγασαν, οὐδ' ἐπέτρεψαν αὐτῷ ἔξω τι τοῦ ὅρκου φθέγξασθαι, συναγωνιστῇ Μετέλλῳ Νέπωτι δημαρχοῦντι χρησάμενοι, πλὴν καθ' ὅσον ἀντιφιλονεικήσας προσεπώμοσεν ὅτι σεσωκὼς τὴν πόλιν εἴη.* Cic. de Rep. I. c. 4. 7. ** * * salvam esse consulatu abiens in concione P. R. idem iurante iuravissem, facile iniuriarum omnium compensarem curam et molestiam.*

(51) Ciceronis consulatum, quantumvis a quibusdam tribunis graviter reprehensum, summis laudibus extulere Cato, Catulus, Gellius, alii, deinde etiam Pompeius et Crassus. III. c. 29. 88 sqq.

Plut. Cic. c. 28. 2. *Ἐφ' οἷς ἔτι μᾶλλον ὅ τε Καῖσαρ οἵ τε δήμαρχοι ζηλοπαίνοντες ἄλλως τε τῷ Κικέρωνι ταραχὰς ἐμηχανῶντο καὶ νόμος ὑπ' αὐτῶν εἰσήγετο καλεῖν Πομπήιον μετὰ τῆς στρατιᾶς, ὡς δὴ καταλύσοντα τὴν Κικέρωνος δυναστείαν. Ἀλλ' ἦν ὄφελος μέγα τῷ Κικέρωνι καὶ πάσῃ τῇ πόλει δημαρχῶν τότε Κάτων καὶ τοῖς ἐκείνων πολιτεύμασιν ἀπ' ἴσης μὲν ἐξουσίας, μείζονος δὲ δόξης ἀντιτασσόμενος. Τά τε γὰρ ἄλλα ῥᾳδίως ἔλυσε καὶ τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν οὕτως ἦρε τῷ λόγῳ μεγάλην δημηγορήσας, ὥστε τιμὰς αὐτῷ τῶν πώποτε μεγίστας ψηφίσασθαι καὶ προσαγορεῦσαι πατέρα πατρίδος. Πρώτῳ γὰρ ἐκείνῳ δοκεῖ τοῦτο καθυπάρξαι, Κάτωνος αὐτὸν οὕτως ἐν τῷ δήμῳ προσαγορεύσαντος.* Appian B. C. II. c. 7. *Καὶ ὁ Κικέρων, ἅπασιν ἐπὶ λόγου δυνάμει μόνῃ γνώριμος ὤν, τότε καὶ ἐπὶ ἔργῳ διὰ στόματος ἦν, καὶ σωτὴρ ἐδόκει περιφανῶς ἀπολ-*

λυμένῃ τῇ πατρίδι γενέσθαι, χάριτές τε ἦσαν αὐτῷ παρὰ τὴν ἐκκλησίαν καὶ εὐφημίαι ποικίλαι. Κάτωνος δ' αὐτὸν καὶ πατέρα τῆς πατρίδος προσαγορεύσαντος, ἐπεβόησεν ὁ δῆμος. Καὶ δοκεῖ τισιν ἤδη ἡ εὐφημία ἀπὸ Κικέρωνος ἀρξαμένη παρελθεῖν ἐς τῶν νῦν αὐτοκρατόρων τοὺς φαινομένους ἀξίους. Cic. pro Sextio c. 57. 121. *Me ille absentem, ut patrem, deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii saepe in senatu patrem patriae nominarant.* ad Att. IX. 10. 3. *Me, quem nonnulli conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt.* Plinius VII. c. 30. (31.) *Salve (M. Tulli) primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite, et facundiae Latiarumque litterarum parens.* Iuvenalis Sat. VIII. 243. *Sed Roma parentem, Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.* Gellius V. c. 6. 15. *Hac corona civica L. Gellius, vir censorius, in senatu Ciceronem consulem donari a republica censuit, quod eius opera esset atrocissima illa Catilinae coniuratio detecta vindicataque.*

ANNUS VITAE CICERONIS XLV.

[Kal. Ian. incid. in d. 4 Martii 692 a. C.]

a. U. C.	Coss. D. IUNIUS SILANUS.	a. A. C.
692.	L. LICINIUS MURENA.	62.

(1) Primis anni diebus quum Q. Metellus Nepos tribunus plebis, idem qui Ciceronem abeuntem magistratu verba facere vetuerat [v. ad a. 691. 50.], iterum minaretur Ciceroni, hic virtute atque animo resistens istius temeritati, orationem habuit *contra concionem Metelli.* IV. c. 1. 2.

Dio XXXVII. c. 42. 1. Κικέρων δὲ ὀλίγου μὲν καὶ παραχρῆμα ἐπὶ τῇ τοῦ Λεντούλου τῶν τε ἄλλων τῶν δεθέντων σφαγῇ ἐκρίθη. τὸ δὲ ἔγκλημα τοῦτο λόγῳ μὲν ἐκείνῳ ἐπεφέρετο, ἔργῳ δὲ ἐπὶ τῇ βουλῇ κατεσκευάζετο· ὡς γὰρ οὐκ ἐξὸν σφισιν ἄνευ τοῦ δήμου θάνατον πολίτου τινὸς καταψηφίσασθαι, πολλὴν καταβοὴν ἐν τῷ ὁμίλῳ πρὸς τοῦ Μετέλλου τοῦ Νέπωτος ὅτι μάλιστα εἶχον. οὐ μὴν καὶ ὤφλε τότε οὐδέν· τῇ γὰρ γερουσίας ἄδειαν πᾶσι τοῖς διαχειρίσασι τὰ τότε πραχθέντα δοίσης, καὶ προσέτι καὶ προειποίσης ὅτι, κἂν αὖθίς τις εὐθῦναί τινα αὐτῶν τολμήσῃ, ἔν τε ἐχθροῦ

καὶ ἐν πολεμίου μοίρᾳ ἔσται, ἐφοβήθη τε ὁ Νέπως καὶ οὐδὲν ἔτ' ἐπέτηδεν. Cic. ad Att. I. 13. 5. *Quae laudas ex Orationibus, mihi crede, valde mihi placebant: sed non audebam antea dicere. Nunc vero, quod a te probata sunt, multo mihi ἀττικώτερα videntur. In illam Metellinam addidi quaedam. Liber tibi mittetur; quoniam te amor nostri φιλοφρίτορα reddidit.* Gellius XVIII. c. 7. 6. (*Concionem*) *item significare coetum populi adsistentis: item orationem ipsam, quae ad populum diceretur. Sicut M. Tullius in oratione, quae inscripta est Contra concionem Q. Metelli: — Id autem quod potissimum expetebat, concionem esse dictam pro verbis et oratione, docuit titulus Tulliani libri, qui a M. Cicerone inscriptus est: Contra concionem Q. Metelli, quo nihil profecto significatur aliud, quam ipsa, quae a Metello dicta est, oratio.*

(2) Catilina, adversus quem Antonius procos. cum exercitu missus erat, victus ab eius legato M. Petreio, fortissime pugnans confoditur.

Sallust. Cat. c. 57. *Sed postquam in castra nuncius pervenit, Romae coniurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum; plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit.* c. 59. *Dein remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. — C. Manlium in dextra, Faesulanum quemdam in sinistra parte curare iubet; ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur.* [cfr. III. c. 16. 53.] *At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod praelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumultus caussa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. — 60. Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortes paullatim incedere iubet; idem facit hostium exercitus. — Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere, omnia providere, multum pugnare ipse, saepe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentes interficit: deinde utrimque ex lateribus ceteros adgreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam Catilina fusas copias seque cum paucis relictum videt, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos*

hostis incurrit ibique pugnans, confoditur. Florus l. c. Cic. pro Sextio c. 5. 12. *Si M. Petreii non excellens animus, et amor reipublicae, non praestans in republica virtus, non summa auctoritas apud milites, non mirificus usus in re militari exstitisset; — datus illo in bello esset hiemi locus, neque unquam Catilina, quum e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset atque, aestatem integram nactus, Italiae calles et pastorum stabula praedari coepisset, sine multo sanguine ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset.* Dio XXXVII. c. 39. 1. *Κατιλίνας δὲ ἐν ἀρχῇ αὐθὶς τοῦ ἔτους, ἐν ᾧ Ἰούνιός τε Σιλανὸς καὶ Λούκιος Λεντίνιος ἦρξαν, ἀπεφθάρη.* — 4. *καὶ (Ἀντώνιος) προσκαταδείσας μή πως προθύμως σφᾶς ἀγωνιζομένους ἰδὼν (Κατιλίνας) ἐξονειδίσῃ τι καὶ προσενέγκῃ οἱ τῶν ἀποῤῥήτων, αὐτὸς μὲν νοσεῖν προσφασίσατο, Μάρκῳ δὲ Πετρηίῳ τὴν μάχην ἐπέτρεψεν. συμβαλὼν οὖν οὗτός σφισι τὸν Κατιλίναν καὶ ἄλλους τρισχιλίους προθυμότατα ἀγωνιζομένους οὐκ ἀναιμωτὶ κατέκοψεν· οὔτε γὰρ ἔφυγεν αὐτῶν οὐδείς, καὶ ἐν χώρᾳ πάντες ἔπεσον.* Appian. B. C. II. c. 7. *Κατιλίναν δὲ ἐς δισμυρίους τε ἀγείραντα, καὶ τούτων τεταρτημόριον ὁπλίσαντα ἤδη, καὶ ἐς Γαλατίαν ἐπὶ ἄλλην παρασκευὴν ἀπιόντα, Ἀντώνιος, ὁ ἕτερος ὕπατος, ὑπὲρ Ἄλπεις καταλαβὼν, οὐ δυσχερῶς ἐκράτησεν ἀνδρὸς ἐμπλήκτως ἀλλόκοτον ἔργον ἐπὶ νοῦν λαβόντος τε, καὶ ἐς πεῖραν ἔτι ἐμπληκτότερον ἀπαρασκεύως προαγαγόντος. Οὐ μὴν ὅ γε Κατιλίνας, οὐδ' ἄλλος οὐδεὶς τῶν συνόντων ἐπιφανῶν, φυγεῖν ἠξίωσεν· ἀλλ' ἐσδραμόντες ἐς τοὺς πολεμίους ἀπώλοντο.*

(3) De coniuratione Catilinae a se oppressa, rebusque in consulatu a se gestis Cicero *epistolam*, voluminis instar, *ad Pompeium* mittit in Asiam. III. c. 35. 112.

Schol. Bob. in Orat. pro Plancio p. 270. *Significat Epistolam non mediocrem ad instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam de rebus suis in consulatu gestis miserat Cicero, aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompeii stomachum non mediocriter commoveret: quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. Hoc igitur vult esse purgatum, dicens nuntiasse se Cn. Pompeio patriae conservationem, nec insolenter de semet ipso gloriatum. Obfuerunt autem re vera: nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur.* Ad hanc Epistolam Pompeium frigide admodum respondisse, nec Ciceroni ullam significasse rerum in consulatu suo gestarum gratulationem, apparet ex alia Ciceronis Epistola, ad Pompeium hoc quoque anno scripta; quae est ad Fam. V. 7. 3. *Ac ne ignores, quid ego in tuis litteris desiderarim, scribam aperte, sicut et mea natura et nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarum aliquam*

in tuis litteris et nostrae necessitudinis et reipublicae caussa gratulationem exspectavi: quam ego abs te praetermissam esse arbitror, quod vererere, ne cuius animum offenderes. Cfr. Programma nostrum de Romanis Autobiographis p. 22.

(4) De reliquorum coniuratorum scelere, in quibus Autronius erat, Ser. Sulla, P. et M. Laeca, C. Cornelius, gravia iudicia facta sunt indicio L. Vettii equitis: quorum defensionem nemo in se suscipere ausus est. IV. c. 2. 4. c. 4. 10.

Dio XXXVII. c. 41. 1. *Οὐ μὴν οἵ γε σύμμαχοι οἱ μετασχόντες τῷ Κατιλίνᾳ τῶν πραγμάτων καὶ τότε ἔτε παρόντες ἡσύχαζον, ἀλλὰ καὶ δίκει τῆς τιμωρίας ἐταράττοντο. καὶ ἐκείνους μὲν στρατηγοὶ καθ' ἑκάστους πεμφθέντες προκατέλαβον τρόπον τινὰ ἐσκεδασμένους καὶ ἐτιμωρήσαντο· ἕτεροι δὲ τῶν λανθανόντων μηνύσει Λουκίου Οὐεττίου ἀνδρὸς ἱππέως, συγκοινωνήσαντος μέν σφισι τῆς συνωμοσίας, τότε δὲ ἐπ' ἀδείᾳ αὐτοὺς ἐκφαίνοντος, ἐλεγχόμενοι ἐδεκασούντο —. 4. κἀκ τούτου οἵ τε ἀναίτιοι κατέστησαν καὶ τοῖς ὑπευθύνοις δίκαι ἐγένοντο· καὶ αὐτῶν οἱ μὲν παρόντες, οἱ δὲ καὶ ἐρήμην ὤφλον.* Cic. pro Sulla c. 33. 92. *Sic vos severitatem iudiciorum, quae per hos menses in homines audacissimos facta sunt, lenitate ac misericordia mitigate.* Cfr. in Vatinium c. 11. 26. ad Att. II. 24. 2. Sueton. Caes. c. 17.

(5) *P.* vero *Cornelius Sulla* de duplici coniuratione quum accusatus esset a L. Torquato filio, (eodem qui ipsi antea [v. ad a. 688. 12.] consulatum eripuerat eumque ad patrem suum retulerat;) de priore a Q. Hortensio, de posteriore *a Cicerone defensus*, absolvitur. IV. c. 1. 3 sqq.

Cic. pro Sulla c. 4. 11. *Duae coniurationes abs te, Torquate, constituuntur: una, quae Lepido et Volcatio consulibus, patre tuo consule designato* [v. ad a. 688. 13.], *facta esse dicitur: altera, quae me consule* [v. ad a. 691. 13.]. *Harum in utraque Sullam dicis fuisse. Patris tui, fortissimi viri atque optimi consulis, scis me consiliis non interfuisse* [cfr. II. c. 31. 84.] — *Quis ergo intererat vestris consiliis? Omnes hi, quos vides huic adesse, et in primis Q. Hortensius. — Ergo istius coniurationis crimen defensum ab eo est, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et consilii vestri fuit et timoris. — Mei consulatus autem tempus, et crimen maximae coniurationis a me defendetur. — c. 5. 14. Et, quo-*

niam de criminibus superioris coniurationis Hortensium diligenter audistis, de hac coniuratione, quae me consule facta est, hoc primum attendite. c. 32. 90. *Te ipsum iam, Torquate, expletum esse huius miseriis par erat. Etsi nihil aliud Sullae nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 15. p. 372.

(6) Eodem tempore, quum Sulla reus esset, Cicero domum emit de Crasso in Palatio.

Cic. ad P. Sextium (ad Fam. v. 6. 2.) *Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras, velle te bene evenire, quod de Crasso domum emissem: emi eam ipsam domum H—S* XXXV, *aliquanto post tuam gratulationem. Itaque nunc me scito tantum habere aeris alieni, ut cupiam coniurare, si qui recipiat;* cet. ad Att. I. 13. 6. *Messalla consul Autronianam domum emit H—S* CCCXXXVII. *Quid id ad me, inquies? Tantum, quod ea emptione et nos bene emisse iudicati sumus, et homines intelligere coeperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire.* Gellius XII. c. 12. 1. *Haec quoque disciplina rhetorica est, callide et cum astu res criminosas citra periculum confiteri; ut si obiectum sit turpe aliquid, quod negari non queat, responsione ioculari eludas, et rem facias risu magis dignam, quam crimine. Sicut fecisse Ciceronem scriptum est, quum id, quod infitiari non poterat, urbano facetoque dicto diluit. Nam quum emere vellet in Palatio domum, et pecuniam in praesens non haberet, a P. Sulla, qui tum reus erat, mutua sestertium viciens tacite accepit. Ea res tamen, priusquam emeret, prodita est et in vulgus exivit; obiectumque ei est, quod pecuniam, domus emendae caussa, a reo accepisset. Tum Cicero, inopinata opprobratione permotus, accepisse se negavit, ac domum quoque se empturum negavit: atque adeo, inquit, verum sit, accepisse me pecuniam, si domum emero. Sed quum postea emisset, et hoc mendacium in senatu ei ab inimicis obiiceretur, risit satis; atque inter ridendum: »Ἀκούουσόηποι, inquit, homines estis, quum ignoratis, prudentis et cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, empturum sese negare, propter competitores emptionis.*" Cfr. Vellcius II. c. 14. 3. Plutarch. Cic. c. 8. 3.

(7) C. Antonium, qui victo Catilina in Macedoniam profectus erat, oratione habita in senatu defendit Cicero.

Cic. ad P. Sextium (ad Fam. v. 6. 4.) *Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu gravissime ac diligentissime defendi, senatumque vehementer oratione mea atque auctoritate com-*

movi. Cic. ad C. Antonium (ad Fam. v. 5. 2.) *Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemini videri debeat. Omnia enim a me in te profecta sunt, quae ad tuum commodum, quae ad honorem, quae ad dignitatem pertinerent. Pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis: contra etiam esse aliquid abs te profectum, ex multis audivi. — Meus in te animus quam singulari officio fuerit, et senatus et populus Romanus testis est.*

(8) Pro *A. Licinio Archia,* cui Gracchus quidam civitatis controversiam moverat, Cicero habet orationem, IV. c. 5. 11. quum ille poeta paullo ante, ut videtur, inchoaverat versibus celebrare res a Cicerone in consulatu gestas. I. c. 2. 3.

Schol. Bob. ad Orat. pro Arch. p. 354. *Hanc causam lege Papia de civitate Romana apud Quintum Ciceronem dixit Archias huius M. Tullii fratrem. — Mentionem facit praetoris ipsius, id est, fratris sui Q. Ciceronis, qui iudicio praeerat.* [Cf. ad a. 652. 2.]

(9) Praeturam h. a. gessit Q. Cicero, M. frater, XL annos natus (v. ad a. 652. 3.), collegam habens C. Virgilium. v. c. 2. 4.

Schol. Bob. l. c. Cic. pro Plancio c. 40. 95. *Siciliam petivi animo, quae — obtinebatur a C. Virgilio, quocum me uno vel maxime quum vetustas — tum mei fratris collegia, tum respublica sociarat.*

(10) Paullo ante habitam orationem pro Archia, mortuus est Q. Roscius, illustris comici operis actor, quo familiariter usus fuerat Cicero. II. c. 1. 2.

Cic. pro Archia c. 8. 17. *Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur?* ad q. l. Schol. Bob. p. 357. *Quintum Roscium (Gallum?) dicit, illis temporibus illustrem comici operis actorem, quem familiarissime Cicero dilexit, qui non ita pridem vita excesserat.* Valer. Max. VIII. c. 7. 7. *Ne Roscius quidem subtrahatur scenicae industriae notissimum exemplum, qui nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quapropter non ludicra res Roscium, sed Roscius ludicram artem commendavit: nec vulgi tantum favorem, verum etiam principum familiaritates amplexus est.* Paulus Diacon. de Sign. Verb. *Roscii appellabantur in omnibus perfecti artibus, quod Roscius quidam perfectus unus in arte sua, id est comoedia, iudicatus sit.* Cfr. ad a. 673. 5. et 678. 1.

(11) A consulibus huius anni lata fuit lex Iunia Licinia, ab utriusque nomine dicta, cuius mentio fit III. c. 9. 27.

Schol. Bob. ad Orat. pro Sextio p. 310. *Licinia et Iunia consulibus auctoribus Licinio Murena et Iunio Silano perlata illud cavebat, ne clam aerario legem inferri liceret, quoniam leges in aerario condebantur.* Conf. Cic. Phil. V. c. 3. 8. ad Att. II. 9. 1. IV. 16. 5. in Vatin. c. 14. 33.

(12) Extremo anno P. Clodius, App. filius, Pompeiae Caesaris uxoris amore captus, quum in eius domo Bonae Deae pro populo fieret, clam veste muliebri ingressus et agnitus foras eiicitur. IV. c. 7. 15. V. c. 35. 92.

Ascon. in Milon. p. 52. *P. Clodius, quum adhuc quaestor designatus esset, deprehensus est, quum intrasset eo, ubi sacrificium pro populo Romano fiebat. Quod factum notatum est a senatu, decretumque, ut extra ordinem iudicium fieret.* Schol. Bob. ad Orat. in Clod. et Curion. p. 329. *Vitus est (P. Clodius) in domo pontificis maximi C. Caesaris eiusdemque praetoris incestum fecisse cum eius uxore Pompeia, quum eo tempore per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto Bonae Deae sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat. Unde elapso tamen Clodio, magna invidia percrebuit et infamia caerimoniarum, ut senatus decernere cogeretur, omni diligentia consulum pervestigandum, si quod esset publicis religionibus inlatum flagitium.* Plutarch. Cic. c. 28. 1. Ἦν Κλώδιος ἀνὴρ εὐγενὴς, τῇ μὲν ἡλικίᾳ νέος, τῷ δὲ φρονήματι θρασὺς καὶ αὐθάδης. Οὗτος ἐρῶν Πομπηίας τῆς Καίσαρος γυναικὸς εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ παρεισῆλθε κρύφα λαβὼν ἐσθῆτα καὶ σκευὴν ψαλτρίας· ἔθυον γὰρ αἱ γυναῖκες τὴν ἀπόρρητον ἐκείνην καὶ ἀθέατον ἀνδράσι θυσίαν ἐν τῇ τοῦ Καίσαρος οἰκίᾳ, καὶ παρῆν ἀνὴρ οὐδείς· ἀλλὰ μειράκιον ὢν ἔτι καὶ μήπω γενειῶν ὁ Κλώδιος ἤλπιζε λήσεσθαι διαδὺς πρὸς τὴν Πομπηίαν μετὰ τῶν γυναικῶν. Ὡς δ' εἰσῆλθε νυκτὸς εἰς οἰκίαν μεγάλην, ἠποροῦντο τῶν θυράων· καὶ πλανώμενον αὐτὸν ἰδοῦσα Λὐρηλίας θεραπαινὶς τῆς Καίσαρος μητρὸς ἤτησεν ὄνομα. Φθέγξασθαι δ' ἀναγκασθέντος ἐκείνου καὶ φήσαντος ἀκόλουθον Πομπηίας οὖσαν ἀνέκραγε καὶ συνεκάλει τὰς γυναῖκας. Αἱ δ' ἀποκλείσασαι τὰς θύρας καὶ πάντα διερευνώμεναι λαμβάνουσι τὸν Κλώδιον εἰς οἴκημα παιδίσκης, ᾗ συνεισῆλθε, κατακεφευγότα. Τοῦ δὲ πράγματος περιβοήτου γενομένου, Καῖσάρ τε τὴν Πομπηίαν ἀφῆκε καὶ ** δίκην ἀσεβείας ἀπεγράψατο τῷ Κλωδίῳ. Cfr. Plut. Caes. c. 9 sq. Dio XXXVII. c. 45. 1. Κἀν τούτῳ ὁ Καῖσαρ, τοῦ Κλωδίου τοῦ Πουπλίου τὴν γυναῖκα

αὐτοῦ ἔν τε τῇ οἰκίᾳ καὶ παρὰ τὴν ποίησιν τῶν ἱερῶν, ἅπερ αἱ ἀειπαρθένοι παρά τε τοῖς ὑπάτοις καὶ παρὰ τοῖς στρατηγοῖς ἄγνωστα ἐκ τῶν πατρίων ἐς πᾶν τὸ ἄρρεν ὑπετέλουν, αἰσχύναντος, ἐκείνῳ μὲν οὐδὲν ἐνεκάλεσαν (καὶ γὰρ εὖ ἠπίστατο ὅτι οὐχ ἁλώσεται διὰ τὴν ἑταιρείαν), τὴν δὲ δὴ γυναῖκα ἀπεπέμψατο, εἰπών ἄλλως μὲν μὴ πιστεύειν τῷ λεγομένῳ, μὴ μέντοι καὶ συνοικήσειν ἔτ' αὐτῇ δύνασθαι, διότι καὶ ὑπωπτεύθη ἀρχὴν μεμοιχεύσθαι.

([13]) Idem ante quoque male audiebat propter stuprum, quod tribus sororibus intulisse dicebatur. IV. c. 8. 19. c. 23. 58.

Velleius II. c. 45. 1. *P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax; — malorum propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro et actus incesti reus ob initum inter religiosissima populi Romani sacra adulterium* cet. Plutarch. Cic. c. 29. 2. Κατεμαρτύρουν δὲ τοῦ Κλωδίου πολλοὶ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἐπιορκίας, ῥᾳδιουργίας, ὄχλων δεκασμούς, φθορὰς γυναικῶν. Λεύκουλλος δὲ καὶ θεραπαινίδας παρεῖχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λευκούλλῳ συνῴκει. Πολλὴ δ' ἦν δόξα καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερτίαν μὲν Μάρκιος Ῥῆξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν, ἣν Κουαδραντερίαν ἐκάλουν. — Ἐπὶ ταύτῃ μάλιστα τῶν ἀδελφῶν κακῶς ἤκουσεν ὁ Κλώδιος. Conf. Cic. pro Sextio c. 17. 39. pro Domo sua c. 34. 92.

ANNUS VITAE CICERONIS XLVI.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 23 Febr. 61 a. C.]

a. U. C.	Coss. M. PUPIUS PISO CALPURNIANUS.	a. A. C.
693.	M. VALERIUS MESSALLA NIGER.	61.

([1]) Alter consulum, qui, accepta offensa in petitione aedilitatis [v. ad a. 680. 6.], summos honores nactus erat, homo fuit perversus et iners, qui opera usus Fufii, tribuni plebis levissimi, Clodianis partibus studuit; Messalla autem, consul egregius, Ciceronis laudator et bonarum partium, severe egit in Clodium. IV. c. 6. 14. c. 7. 16.

Cic. ad Att. I. 14. 5. *Romanae autem se res sic habent: senatus ἄφιλος πάγος. Nihil constantius, nihil severius, nihil fortius. Nam quum dies venisset rogationi ex senatus consulto ferendae, concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis, et populum, ut antiquaret, rogabant. Piso autem consul, lator rogationis, idem erat dissuasor. Operae Clodianae pontes occuparant. Tabellae ministrabantur ita, ut nulla daretur* UTI ROGAS. *Hic tibi rostra Cato advolat, convicium Pisoni consuli mirificum facit; si id est convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. Accedit eodem etiam noster Hortensius, multi praeterea boni: insignis vero opera Favonii fuit. Hoc concursu optimatum comitia dimittuntur: senatus vocatur. Quum decerneretur frequenti senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium singillatim accidente Clodio, ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam; homines ad* XV *Curioni, nullum senatus consultum facienti, assenserunt: ex altera parte facile* CCCC *fuerunt. Acta res est. Fufius tribunus tum concessit.*

(2) Q. Ciceroni, M. fratri, ex praetura [v. ad a. 692. 9.] provincia obtigit Asia; quo ut secum legati loco proficisceretur, non potuit impetrare ab Attico. Q. hanc provinciam per triennium (ab a. U. C. 693—695.) administravit. v. c. 7. 13. c. 8. 16. c. 14. 38. VII. c. 33. 89.

Cic. ad Att. I. 15. 1. *Asiam Quinto, suavissimo fratri, obtigisse audisti: non enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quam ullius nostrum litterae nuntiarint.* Ibid. I. 16. 14. *Quod ad me scribis, te in Asiam statuisse non ire; equidem mallem, ut ires: ac vereor, ne quid in ista re minus commode fiat. Sed tamen non possum reprehendere consilium tuum, praesertim quum egomet in provinciam non sim profectus* [v. ad a. 689. 3 et 691. 9.]. Nepos Att. c. 6. 4. *Multorum consulum praetorumque praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum: qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, quum apud eum legati locum obtinere posset.* Cic. ad Q. fr. I. 1. c. 1. 8. *Praeclarum est enim, summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniae (quibus rebus abundat ista provincia) ab summa integritate continentiaque deduxerit.* c. 4. 12. *Tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiorem etiam ac diligentiorem.* Conf. pro Flacco c. 14. 33. ibique Scholia Bob. p. 238. de Divinat. I. c. 28. 58.

(3) De Clodii facto quum rogatio consularis ex SCto facta esset, ex qua a praetore iudices legerentur in iudicio Clodiano, Q. Fufius tribunus plebis, amicus Clodii, legem tulit, quam defendit Hortensius, ut iudices sorte ducerentur, quod ita facilius putaret eiusmodi fore iudices, qui se corrumpi sinerent. IV. c. 7. 15. c. 8. 18. c. 9. 20.

Schol. Bob. in Orat. in Clod. et Curion. p. 329. *Magna invidia percrebuit et infamia caerimoniarum, ut senatus decernere cogeretur, omni diligentia consulum pervestigandum, si quod esset publicis religionibus illatum flagitium. — Post quod reus de incesto factus est P. Clodius, accusante L. Lentulo, defendente C. Curione patre. — Multum diuque habitis concertationibus ante iudicium, P. Clodius a turbulenta multitudine, ne caussam diceret, non sine impetu seditionis adiutus est: auctore huius conspirationis Q. Fufio Caleno tribuno plebis, cuius mentionem creberrimam Tullius in Philippicis orationibus* [VIII. c. 4. 11. X. c. 1. 3. XI. c. 6. 15. XII. c. 1. 1.] *facit. Obstante vero paene universo senatu pro sanctimonia religionum adversus crimen incesti, iudices tamen ad extremum dati sunt.*

(4) Incesti crimen, quo accusabatur, Clodius quidem amoliri studuit, quum diceret se illa nocte non Romae, sed Interamnae apud C. Cassinium fuisse. Sed Cicero testis productus dicit illum eodem die ad se domum venisse. Et tamen Clodius absolvitur. IV. c. 7 sq. c. 12. 31.

Livius Epit. 103. *P. Clodius accusatus, quod in habitu muliebri in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset, et uxorem maximi pontificis stuprasset, absolutus est.* Cic. in Pison. c. 39. 95. *Emissus etiam ille — quum stuprum Bonae Deae pulvinaribus intulisset.* Valer. Max. VIII. c. 6. 5. *Quid, M. Cicero forensi militia summos honores amplissimumque dignitatis locum adeptus, nonne in ipsis eloquentiae suae castris testis obiectus est, dum P. Clodium Romae apud se fuisse iuravit, illo sacrilegum flagitium uno absentiae argumento tuente? Siquidem iudices Clodium incesti crimine, quam Ciceronem infamia periurii liberare maluerunt.* Ascon. in Milon. p. 49. *Fuit hic Cassinius, apud quem Clodius mansisse Interamnae videri volebat, qua nocte deprehensus est in Caesaris domo, quum ibi in operto virgines pro populo Romano sacra facerent.* Schol. Bob. ad Orat. in Clod. et Curion. p. 330. *Et primo quidem ab senatu petiverant (iudices), ut de Clodio potentissimo homine liberius iudicaretur. Verum ita cecidit, ut in eum multi grave*

testimonium dicerent: quorum in numero M. ipse Tullius interrogatus, ait ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnae fuisse, millibus passuum ferme LXXXI *ab Urbe disiunctum; quo scilicet videri volebat, incesti Romae committendi facultatem non habuisse. Et post haec ab iudicibus* XXV *damnatus est. Praevaluit tamen ad eius victoriam maior eorum numerus, qui absolverunt: nam* XXX *et una pro eo sententiae latae sunt.* Plutarch. Cic. c. 29. 1. *Κικέρων δ' ἦν μὲν αὐτοῦ (Κλωδίου) φίλος καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων ἐχρῆτο προθυμοτάτῳ συνεργῷ καὶ φύλακι τοῦ σώματος· ἰσχυριζομένου δὲ πρὸς τὸ ἔγκλημα τῷ μηδὲ γεγονέναι κατ' ἐκεῖνον ἐν Ῥώμῃ τὸν χρόνον, ἀλλ' ἐν τοῖς πορρωτάτω χωρίοις διατρίβειν, κατεμαρτύρησεν ὡς ἀφιγμένου πρὸς αὐτὸν οἴκαδε καὶ διειλεγμένου περί τινων· ὅπερ ἦν ἀληθές. Οὐ μὴν ἐδόκει μαρτυρεῖν ὁ Κικέρων διὰ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν αὐτοῦ γυναῖκα Τερεντίαν ἀπολογούμενος.* [5] *Ἦν γὰρ αὐτῇ πρὸς τὸν Κλώδιον ἀπέχθεια διὰ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐκείνου Κλωδίαν, ὡς τῷ Κικέρωνι βουλομένην γαμηθῆναι καὶ τοῦτο διὰ Τύλλου τινὸς πράττουσαν, ὃς ἑταῖρος μὲν ἦν καὶ συνήθης ἐν τοῖς μάλιστα Κικέρωνος, οἰκὶ δὲ πρὸς τὴν Κλωδίαν φοιτῶν καὶ θεραπεύων ἐγγὺς οἰκοῦσαν ὑποψίαν τῇ Τερεντίᾳ παρέσχε. Χαλεπὴ δὲ τὸν τρόπον οὖσα καὶ τοῦ Κικέρωνος ἄρχουσα παρώξυνε τῷ Κλωδίῳ συνεπιθέσθαι καὶ καταμαρτυρῆσαι.* Id. Caes. c. 10. 4. *Ἀποφεύγει δ' οὖν τὸ ἔγκλημα τῶν πλείστων δικαστῶν συγκεχυμένας τοῖς γράμμασι τὰς γνώμας ἀποδόντων, ὅπως μήτε παρακινδυνεύσωσιν ἐν τοῖς πολλοῖς καταψηφισάμενοι, μήτ' ἀπολύσαντες ἀδοξήσωσι παρὰ τοῖς ἀρίστοις.* Dio XXXVII. c. 46. 1. *Τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει ἔπί τε Πίσωνος καὶ ἐπὶ Μάρκου Μεσσάλου ὑπάτων μισοῦντές τε ἄλλως οἱ δυνατοὶ τὸν Κλώδιον, καὶ ἅμα καὶ τὸ μίασμα αὐτοῦ ἀποδιοπομπούμενοι, ἐπειδὴ οἱ ποντίφικες ἀνατυθῆναι τὰ ἱερὰ ὡς οὐχ ὁσίως διὰ τοῦτο τελεσθέντα ἔγνωσαν, δικαστηρίῳ αὐτὸν παρέδωκαν, καὶ κατηγορήθη μὲν τῆς τε μοιχείας, καίπερ τοῦ Καίσαρος σιωπῶντος, καὶ τῆς μεταστάσεως τῆς περὶ Νίσιβιν, καὶ προσέτι καὶ ὅτι τῇ ἀδελφῇ συγγίγνοιτο, ἀφείθη δὲ, καίτοι τῶν δικαστῶν φρουρὰν παρὰ τῆς βουλῆς, ὅπως μηδὲν κακὸν ὑπ' αὐτοῦ πάθωσι, καὶ αἰτησάντων καὶ λαβόντων.*

(5) Iudices, qui largitione corrupti Clodium absolvissent, eleganti dicterio reprehendit Catulus. IV. c. 9. 24.

Seneca Ep. 97. 5. *Hi iudices Clodiani a senatu petierant praesidium, quod non erat nisi damnatis necessarium, et impetraverant. Itaque eleganter illis Catulus, absoluto reo: Quid vos, inquit, praesidium a nobis petebatis? an, ne nummi vobis eriperentur?* Plut-

arch. Cic. c. 29. 3. *Ὅμως δὲ πλείονες ἔδοξαν οἱ ἀπολύοντες γενέσθαι, καὶ τις ἐλέχθη καὶ δεκασμὸς διελθεῖν. Ὅθεν ὁ μὲν Κάτλος ἀπαντήσας τοῖς κριταῖς, Ὑμεῖς, εἶπεν, ὡς ἀληθῶς ὑπὲρ ἀσφαλείας ἠτήσασθε τὴν φυλακήν, φοβούμενοι μή τις ὑμῶν ἀφέληται τὸ ἀργύριον.* Dio XXXVII. c. 46. 3. *Ἐφ' ᾧπερ καὶ ὁ Κάτουλος ἐπισκώπτων ἔλεγεν ὅτι τὴν φυλακὴν ᾔτησαν οὐχ ἵν' ἀσφαλῶς τοῦ Κλωδίου καταψηφίσωνται, ἀλλ' ἵν' αὐτοὶ τὰ χρήματα ἃ δεδωροδοκήκεσαν διασώσωνται.*

(6) Clodium autem ipsum Cicero Idibus Maiis [= 15 Mali 695 = 2 Iulii 61 a. C.] in senatu tum oratione perpetua, tum altercatione frangit. IV. c. 10. 25 sqq.

Plutarch. Cic. c. 29. 3. *Κικέρων δὲ τοῦ Κλωδίου πρὸς αὐτὸν λέγοντος, ὅτι μαρτύρων φύκ ἔσχε πίστιν παρὰ τοῖς δικασταῖς, Ἀλλ' ἐμοὶ μέν, εἶπεν, οἱ πάντες καὶ εἴκοσι τῶν δικαστῶν ἐπίστευσαν· τοσοῦτοί γάρ σου κατεψηφίσαντο· σοὶ δὲ τριάκοντα οὐκ ἐπίστευσαν· οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον.*

(7) Pompeius, ex Syria decedens, per biduum, i. e. III. et prid. Kal. Octobr. [= 28 et 29 Sept. 693 = 12 et 13 Novbr. 61. a. C.] de Mithridate, Tigrane, aliisque regibus victis triumphum agit et multis verbis Ciceroni, salutem imperii adiudicat. III. c. 29. 89. IV. c. 11. 28.

Velleius II. c. 40. 2. *Victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius — revertit in Italiam — magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum.* Plinius H. N. VII. c. 26. (27.) *Triumphi, quem duxit a. d. III. Kal. Oct. M. Pisone M. Messalla coss. praefatio haec fuit: Quum oram maritimam a praedonibus liberasset et imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudaeis, Albanis, Iberia, insula Creta, Bastarnis, et super haec de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit.* Cfr. Idem XXXVII. c. 2. (6.) Plutarch. Pomp. c. 45. Eutrop. VI. c. 16. Florus IV. c. 2. 8. Valer. Max. VIII. c. 15. 8. Dio XXXVII. c. 21. Zonar. X. c. 5.

(8) Equitum commoda bis in senatu defendit Cicero, eorumque concordiam cum senatu restituit dissentiente Catone. IV. c. 15. 36.

Appian. B. C. II. c. 13. *Οἱ δ' Ἱππέας λεγόμενοι, τὴν μὲν ἀξίωσιν*

τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ὄντες ἐν μέσῳ, δυνατώτατοι δὲ ἐς ἅπαντα, περιουσίας τε οὕνεκα, καὶ μισθώσεως τελῶν καὶ φόρων, οὓς ὑπὸ τῶν ἐθνῶν τελουμένους ἐξεμισθοῦντο, καὶ πλήθους βεβαιοτάτων ἐς ταῦτα θεραπόντων, ἐκ πολλοῦ τὴν βουλὴν ᾔτουν, ἄφεσίν τινα μέρους τῶν φόρων αὐτοῖς γενέσθαι. Καὶ ἀποδιέτριβον ἡ βουλή. κτέ.

(9) C. Pomptinius, is qui Cicerone consule praetor fuerat (v. ad 691. 39.), in Galliam profectus, Allobrogas domuit. VII. c. 44. 114.

Livius Epit. 103. *C. Pontinius praetor Allobrogas, qui rebellaverant, ad Solonium domuit.* Schol. Bob. ad Orat. in Vatin. p. 322. *Supplicationes — decerni postulaverat C. Pomptinus rebus in Gallia prospere gestis, quum etiam triumphum peteret* [a. U. C. 700. Cf. Cic. ad Att. IV. 16. 12. ad Q. fr. III. 4. 6.]. Dio XXXVII. c. 47. 1. Τῶν δὲ Ἀλλοβρίγων τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα πορθούντων, Γάϊος Πομπτῖνος ὁ ἄρχων αὐτῆς τοὺς μὲν ὑποστρατήγους ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἔπεμψεν, αὐτὸς δὲ ἐν ἐπιτηδείῳ ἱδρυθεὶς ἐπετήρει τὰ γιγνόμενα, ὅπως κατὰ καιρὸν πρὸς τὸ ἀεὶ χρήσιμον καὶ γνώμην σφίσι διδόναι καὶ ἐπαμύνειν δύνηται. καὶ Μάλλιος μὲν Λεντῖνος ἐπὶ Οὐεντίαν πόλιν στρατεύσας, — c. 48. 1. τὸ τεῖχος — ἐξεῖλεν· Λούκιος δὲ δὴ Μάριος καὶ Σερούϊος Γάλβας τόν τε Ῥοδανὸν ἐπεραιώθησαν, καὶ τὰ τῶν Ἀλλοβρίγων λυμηνάμενοι τέλος πρὸς Σολώνιον πόλιν ἦλθον, καὶ χωρίον μέν τι ὑπὲρ αὐτῆς ἰσχυρὸν κατέλαβον, μάχῃ τε τοὺς ἀντιστάντας σφίσιν ἐνίκησαν, καί τινα καὶ τοῦ πολίσματος ξυλίνου πῃ ὄντος ἐνέπρησαν, οὐ μέντοι καὶ εἷλον αὐτό· ὁ γὰρ Κατούγνατος ἐπελθὼν ἐκώλυσεν· μαθὼν οὖν τοῦτο ὁ Πομπτῖνος ἐπεστράτευσί τε ἐπ' αὐτὸν παντὶ τῷ στρατῷ, καὶ πολιορκήσας σφᾶς ἐχειρώσατο πλὴν τοῦ Κατουγνάτου. καὶ ὁ μὲν καὶ τὰ λοιπὰ ῥᾷον ἐκ τούτου προσκατεστρέψατο. Conf. XXXIX. c. 65.

ANNUS VITAE CICERONIS XLVII.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 11 Februar. 60 a. C.]

a. U. C.	Coss. L. AFRANIUS.	a. A. C.
694.	Q. CAECILIUS METELLUS CELER.	60.

(1) Cicero primis anni mensibus in Urbe degens scripsit

Commentarium consulatus sui, quem Idib. Martiis [= 15 Mart. 694 = 25 April. 60 a. C.] misit ad Atticum. Graece autem quum compositus esset, Latinum quoque perficere cogitabat. III. c. 35. 109.

Cic. ad Att. I. 19. 10. *Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te —. Idibus Mart.* Ibid. 20. 6. *De meis scriptis misi ad te, Graece perfectum, Consulatum meum.* Plutarch. Crass. c. 13. 4. *Ἐν δὲ τῷ Περὶ Ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα τὰ περὶ τὸν Κατιλίναν ἐξηγουμένην, ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν.* Id. Caes. c. 8. 3. *Τοῦτο μὲν οὖν οὐκ οἶδα ὅπως ὁ Κικέρων, εἴπερ ἦν ἀληθὲς, ἐν τῷ Περὶ τῆς Ὑπατείας οὐκ ἔγραψεν.* Conf. Programma Schol. de Roman. Autobiogr. p. 23. Add. I. G. Linsén et S. G. Bergh, *de Cicerone historico*, Spec. I et II. Aboae, 1826. 4°.

(2) Quo lecto Commentario, Posidonius Rhodius, rogatus a Cicerone ut ornatius de iisdem rebus scriberet, a scribendo est deterritus. III. c. 35. 110.

Cic. ad Att. I. 20. 6. *Alii si scripserint, mittemus ad te; sed, mihi crede, simul atque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur.* Conf. Bakii Posidonius Rh. p. 19.

(3) Orto in republica metu Gallici belli, propter excursiones Helvetiorum, senatus decrevit ut Metellus et Afranius duas Gallias sortirentur. IV. c. 16. 39.

Caesar B. G. I. c. 2. *Apud Helvetios longe nobilissimus et ditissimus fuit Orgetorix. Is, M. Messalla et M. Pisone coss.* [a. U. C. 693.] *regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit, et civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent.* — c. 5. *Post eius mortem nihilo minus Helvetii id, quod constituerant, facere conantur, ut e finibus suis exeant.* cet.

(4) C. Antonius in provincia, in quam devicto Catilina profectus erat [v. ad a. 692. 7.], male rem gerit. IV. c. 14. 35.

Livius Epit. 103. *C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit.* Obsequens c. 123. *Antonius quum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam tulit: ibi a Dardanis oppressus amisso exercitu profugit. Apparuit eum hostibus portendisse victoriam, quum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.* Dio XXXVIII. c. 10. 1. *Οὗτος (ὁ Ἀντώνιος) πολλῷ*

μὲν καὶ δεινὰ καὶ τὸ ὑπήκοον τὸ ἐν τῇ Μακεδονίᾳ, ἄρξας αὐτῆς, καὶ τὸ ἔναπογδον εἰργάσατο, πολλὰ δὲ καὶ ἀντέπαθεν. τά τε γὰρ τῶν Δαρδάνων καὶ τὰ τῶν πλησιοχώρων σφίσι πορθήσας οὐκ ἐτόλμησεν ἐπιόντας αὐτοὺς ὑπομεῖναι, ἀλλ' ὡς καὶ ἐπ' ἄλλο τι μετὰ τῶν ἱππέων ὑποχωρήσας ἔφυγεν, καὶ οὕτω τοὺς πεζοὺς ἐκεῖνοι περισχόντες ἔκ τε τῆς χώρας βιαίως ἐξήλασαν καὶ τὴν λείαν προσαφείλοντο. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ περὶ τοὺς συμμάχους τοὺς ἐν τῇ Μυσίᾳ ποιήσας ἠτιᾶτο πρὸς τῇ τῶν Ἰστριανῶν πόλει πρὸς τῶν Σκυθῶν τῶν Βασταρνῶν, ἐπιβοηθησάντων αὐτοῖς, καὶ ἀπέδρα. [Cfr. ad a. 695. 2.]

(5) L. Flavius tribunus plebis legem agrariam promulgat auctore Pompeio de agris dividendis inter milites Pompeii et plebem; qua ex lege Cicero, secunda concionis voluntate, omnia illa tollit, quae ad privatorum incommoda pertinebant, liberatque agrum, qui ab a. 621. fuerat publicus. IV. c. 16. 40.

Cic. ad Att. I. 18. 6. *Agraria autem promulgata est a Flavio, sane levis, eadem fere, quae fuit Plotia.* Ibid. II. 1. 6. *Quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse.* Ibid. II. 3. 3. *Est res sane magni consilii. Nam aut fortiter resistendum est legi agrariae; in quo est quaedam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescendum; quod est non dissimile atque ire in Solonium aut Antium; aut etiam adiuvandum, quod a me aiunt Caesarem sic exspectare, ut non dubitet.* Dio XXXVII. c. 50. 1. Τοῦ γοῦν δημάρχου [Λούκιος δὲ δὴ Φλαούιος ὠνομάζετο] τοῦ τὴν γῆν τοῖς τῷ Πομπηίῳ συνεξητασμένοις κατανεῖμαι ἐσηγουμένου προσγράψαντος τῇ γνώμῃ τὸ καὶ πᾶσι τοῖς πολίταις, ὅπως τοῦτό τε αὐτὸ ῥᾷον ψηφίσωνται καὶ τὰ πραχθέντα αὐτῷ βεβαιώσωσι, κλήρους τινὰς δοθῆναι, ἐπὶ πᾶν ὁ Μέτελλος ἀνθιστάμενος ἐπεξῆλθεν, ὥστε καὶ ἐς τὸ οἴκημα ὑπ' αὐτοῦ ἐμβληθῆναι καὶ τὴν γερουσίαν ἐνταῦθα ἀθροῖσαι ἐθελῆσαι. ἐπεί τε ἐκεῖνος τό τε βάθρον τὸ δημαρχικὸν ἐν αὐτῇ τῇ ἐσόδῳ αὐτοῦ ἔθηκε, καὶ ἐπ' αὐτῷ καθεζόμενος ἐμποδὼν ὥστε μηδένα ἐσιέναι ἐγίγνετο, τόν τε τοῖχον τοῦ βουλευτηρίου διακοπῆναι ἐκέλευσεν, ὅπως δι' αὐτοῦ ἡ βουλὴ ἐσέλθῃ, καὶ ὡς συνιερεύσων κατὰ χώραν παρεσκευάζετο. μαθὼν οὖν τοῦθ' ὁ Πομπήιος, καὶ αἰσχυνθείς τε ἅμα καὶ δείσας μὴ καὶ ὁ δῆμος ἀγανακτήσῃ, προσέταξε τῷ Φλαουίῳ ἀπανασταῆναι. κτέ.

(6) P. Clodius, Ciceronis ulciscendi caussa tribunatus cupidus, transitionem ad plebem molitur. IV. c. 12. 30.

Schol. Bob. ad Orat. in Clod. et Curion. p. 330. *Inde igitur (Clodius) capitalis inimicus in M. Tullium coepit efferari et, quum illo anno potestate quaestoria fungeretur, apud populum creberrimis eum concionibus lacessebat: minas quin immo praetendens, ad familiam se plebeiam transiturum, ut tribunus plebis fieret, denuntiabat.* Dio XXXVII. c. 51. 1. *Κλώδιος δὲ ἐπεθύμησε μὲν διὰ τοὺς δυνατοὺς ἐπὶ τῇ δίκῃ δημαρχῆσαι, καί τινας τῶν δημαρχούντων προκαθῆκεν ἐσηγήσασθαι τό καὶ τοῖς εὐπατρίδαις τῆς ἀρχῆς μεταδίδοσθαι, ὡς δ' οὐκ ἔπεισε, τήν τε εὐγένειαν ἐξωμόσατο καὶ πρὸς τὰ τοῦ πλήθους δικαιώματα, ἐς αὐτόν σφων τὸν σύλλογον ἐσελθών, μετέστη. καὶ ἧτησε μὲν εὐθὺς τὴν δημαρχίαν, οὐκ ἀπεδείχθη δὲ ἐναντιωθέντος οἱ τοῦ Μετέλλου· ἐν γένει τε γὰρ αὐτῷ ἦν, καὶ τοῖς πραττομένοις ὑπ' αὐτοῦ οὐκ ἠρέσκετο. πρόφασιν δὲ ἐποιήσατο ὅτι μὴ κατὰ τὰ πάτρια ἡ ἐκποίησις αὐτοῦ ἐγεγόνει· ἐν γὰρ τῇ ἐσφορᾷ τοῦ φρατριατικοῦ νόμου μόνως ἐξῆν τοῦτο γίγνεσθαι.*

(7) Cicero, quum sollicitus esset et de reipublicae motu et de periculis, quae sibi ipsi intendi perspiciebat, luget quam maxime absentiam fratris et Attici; quibuscum iam non posset ingenue et libere colloqui. IV. c. 18. 45.

Quintus frater aberat in Asia praetor v. ad a. 693. 2. Atticus eo tempore morabatur in Epiro v. J. G. Hulleman, *Diatr. in T. Pomponium Atticum* p. 42.

(8) Ad iuvenilem laborem regressus Cicero hoc anno *Arati Prognostica* Latinis versibus reddidit, aut fortasse, quae adolescentulus interpretatus fuerat (v. ad a. 664. 6.), hoc tempore recensuit.

Cic. ad Att. II. 1. 11. *In Gallia speramus esse otium. Prognostica mea cum Oratiunculis propediem exspecta. — Mihi Pomponia nuntiari iussit, te mense Quintili Romae fore.* Significari hoc carmen videtur ad Att. XV. 16 *b. Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt. Romae enim ἐφεσρεύουσιν.* (Vid. fragm. de Divin. I. c. 9. 15.)

ANNUS VITAE CICERONIS XLVIII.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 1 Februar. 59 a. C.]

a. U. C.	Coss. C. IULIUS CAESAR.	a. A. C.
695.	M. CALPURNIUS BIBULUS.	59.

(1) Primis anni mensibus Cicero in villis suis vivit, om-

nino abstinens consiliis publicis; deinde in Urbem reversus totum se ad forensem operam laboremque confert. IV. c. 14. 34. c. 17. 42.

Cic. ad Att. II. 4. 2. *Accommodatius nobis erit ad liberam legationem tempus illud, quum et Quintus noster iam, ut speramus, in otio consederit et, iste sacerdos Bonae Deae cuius modi futurus sit, scierimus. Interea quidem cum Musis nos delectabimus animo aequo, immo vero etiam gaudenti ac libenti. Neque mihi umquam veniet in mentem Crasso invidere neque poenitere, quod a me ipse non desciverim. De Geographia, dabo operam, ut tibi satisfaciam: sed nihil certi polliceor. Magnum opus est; sed tamen, ut iubes, curabo, ut huius peregrinationis aliquod tibi opus exstet. Tu quidquid indagaris de republica, et maxime quos consules futuros putes, facito ut sciam: tametsi minus sum curiosus. Statui enim, nihil iam de republica cogitare.* Ibid. II. 5. 2. *Sed quid ego haec, quae cupio deponere et toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν? Sic, inquam, in animo est. Vellem ab initio. Nunc vero, quoniam, quae putavi esse praeclara, experius sum, quam essent inania, cum omnibus Musis rationem habere cogito.* Ibid. II. 6. 1. *Sic sum complexus otium, ut ab eo divelli non queam. Itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii festivam copiam, aut fluctus numero. Nam ad lacertos captandos tempestates non sunt idoneae. A scribendo prorsus abhorreo. Etenim γεωγραφικά, quae constitueram, magnum opus est. — Quin etiam dubitem, an hic Antii considam, et hoc tempus omne consumam; ubi quidem ego mallem, duumvirum, quam Romae me fuisse. — Hic, hic nimirum πολιτευτέον. Nam istic non solum non licet, sed etiam taedet.* Ibid. II. 8. 2. *Sed cognosce itinera nostra; ut statuas, ubi nos visurus sis. In Formianum volumus venire Parilibus* [21 April.]: *inde — Kal. Mai. de Formiano proficiscemur, ut Antii simus a. d. V. Non. Mai. Ludi enim Antii futuri sunt a IV. ad prid. Non. Mai. Eos Tullia spectare vult. Inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum; Romam ad Kal. Iun.*

(2) Defendit itaque *C. Antonium*, post reditum e provincia [v. ad a. 694. 4.] a M. Caelio repetundarum accusatum; qui tamen condemnatus est et Cephalleniam abiit exsul. IV. c. 14. 35.

Schol. Bob. ad Orat. pro Flacco p. 229. *Caius scilicet Antonius collega Ciceronis, M. Caelio Rufo accusante, non tantum pecuniarum repetundarum crimine, verum etiam ob hanc coniurationem non ita pridem damnatus fuerat. Nec ignoramus praefuisse exercitui, quo Catilina*

superatus est: quamvis ipse Antonius vel pedum valetudine vel conscientia retardatus Petreium legatum suum miserit, qui cum hoste confligeret. [v. ad a. 692. 2.]. Dio XXXVIII. c. 10. 1. *Ὑποπτος δ' οὖν ἐκ τούτων ὁ Κικέρων τῷ τε Καίσαρι καὶ τῷ Πομπηίῳ γενόμενος ἐβεβαιώσατο τὴν ὑπόνοιαν ἐν τῇ ὑπὲρ τοῦ Ἀντωνίου ἀπολογίᾳ. οὗτος γὰρ πολλὰ μὲν καὶ δεινὰ καὶ τὸ ὑπήκοον τὸ ἐν τῇ Μακεδονίᾳ, ἄρξας αὐτῆς, καὶ τὸ ἔνσπονδον εἰργάσατο, πολλὰ δὲ καὶ ἀντέπαθεν.* — 3. *Οὐ μέντοι καὶ ἐπὶ τούτοις αἰτίαν ἔσχεν, ἀλλ' ἐγράφη μὲν ἐπὶ τῇ τοῦ Κατιλίνου συνωμοσίᾳ, ἑάλω δὲ δι' ἐκεῖνα, καὶ συνέβη αὐτῷ, ὧν μὲν ἀκρίνετο, μὴ ἐλεγχθῆναι, ὧν δ' οὐκ ἠτιάζετο, κολασθῆναι. καὶ ὁ μὲν οὕτως ἀπήλλαξεν.* Strabo X. p. 455. *Γάϊος Ἀντώνιος, ὁ θεῖος Μάρκου Ἀντωνίου, ἡνίκα φυγὰς γενόμενος μετὰ τὴν ὑπατείαν ἣν συνῆρξε Κικέρωνι τῷ ῥήτορι, ἐν τῇ Κεφαλληνίᾳ διέτριψε, καὶ τὴν ὅλην νῆσον ὑπήκοον ἔσχεν, ὡς ἴδιον κτῆμα· οὐκ ἔφθη μέντοι συνοικίσας, ἀλλὰ καθόδου τυχὼν, πρὸς ἄλλοις μείζοσιν ὢν, κατέλυσε τὸν βίον.*

(3) Eodem die, quo Cicero orationem habuit pro Antonio, Caesar Clodium traduxit ad plebem. IV. c. 14. 35. c. 19. 48. VII. c. 42. 110.

Sueton. Caes. c. 20. (*Caesar*) *Ciceronе in iudicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum eius frustra iam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die horaque nona transduxit.* Idem Tib. c. 2. *Notissimum est, Claudios omnes, excepto dumtaxat P. Clodio, qui ob expellendum Urbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam natu minori, in adoptionem se dedit, optimates assertoresque unicos dignitatis ac potentiae patriciorum semper fuisse.* Dio XXXVIII. c. 12. 1. *Ἐξ οὖν τούτων τῶν λογισμῶν καὶ τότε αὐτὸς (ὁ Καῖσαρ) μὲν τὴν ἡσυχίαν ἦγε, τὸν δὲ δὴ Κλώδιον ἀντιχαρίσασθαί τι αὐτῷ, ὅτι τῆς μοιχείας αὐτοῦ οὐ κατηγόρησε, βουλόμενον αἰσθόμενος παρεσκεύασε κρύφα κατὰ τοῦ Κικέρωνος. καὶ πρῶτον μὲν ἐς τὰ τοῦ πλήθους δικαιώματα αὖθις αὐτὸν, ὅπως νομίμως ἐκποιηθῇ, συμπράττοντος αὐτῷ καὶ τοῦ Πομπηίου μετέστησεν, ἔπειτα δὲ δήμαρχον εὐθὺς ἀποδειχθῆναι διεπράξατο.*

(4) Postea bis defendit *A. Thermum*, effecitque ut absolveretur. IV. c. 18. 46.

(5) Deinde orationem habuit pro *L. Valerio Flacco*, qui post praeturam [v. ad a. 691. 39.] Asiae praefuerat, a D. Laelio repetundarum accusato; eumque de manifestissimis

criminibus ioci opportunitate exemit. Eumdem defendit quoque Hortensius. IV. c. 17. 42 sqq.

Macrob. Saturn. II. c. 1. *Ni longum esset, referrem, in quibus causis (Cicero), quum nocentissimos reos tueretur, victoriam iocis adeptus sit. Ut ecce pro L. Flacco, quem repetundarum reum ioci opportunitate de manifestissimis criminibus exemit. Is iocus in Oratione non exstat: mihi ex libro Fusii Bibaculi notus est, et inter alia eius dicteria celebratur.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 18. p. 373.

(6) Caesar, praeter alias leges quae ab ipso latae sunt in consulatu, legem tulit de pecuniis repetundis, in qua officia descripsit eorum, qui in provinciam proficiscerentur. VII. c. 5. 13. c. 9. 23. c. 34. 91.

Cic. in Pison. c. 21. 50. *Exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum iniussu populi aut senatus accedere: — quum plurimae leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulia de pecuniis repetundis, planissime vetant.* Ibid. c. 25. 61. c. 37. 90. Idem pro Rabir. Post. c. 4. 8. *Iubet lex Iulia, persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenerit.* Schol. Bob. ad Orat. pro Sextio p. 310. *Legem Iuliam dicit, quam consul C. Caesar de pecuniis repetundis tulerat, cuius auctoritatem a P. Vatinio dicit esse contemptam et ab L. Pisone.*

(7) Caesari consuli, rogatione P. Vatinii tribuni plebis, invito senatu, Gallia citerior cum Illyrico et tribus legionibus in quinquennium decernitur; quo facto senatus ei Galliam ulteriorem cum alia legione addit.

Sueton. Caes. c. 22. *Ex omni provinciarum copia Galliae potissimum elegit, cuius emolumento et opportunitate idonea sit materia triumphorum. Et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per senatum, Comatam quoque: veritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus et hanc daret.* Velleius II. c. 44. 5. *Tum Caesari decretae in quinquennium Galliae.* Schol. Bob. in Vatin. p. 317. *Iam dictum est, servante de caelo Bibulo consule hunc Vatinium legem tulisse de imperio Caesaris, ut exercitum per Illyricum et Gallias duceret.* Orosius VI. c. 7. *Anno ab Urbe condita* DCXCIII, *C. Caesare et M. Bibulo coss. lege Vatinia Caesari tres provinciae cum legionibus septem in quinquennium datae, Gallia Transalpina et Cisalpina et Illyricus. Galliam Comatam postea senatus adiecit.* Dio XXXVIII. c. 8. 5. Ὁ τε ἄμιλλος τοῦ τε Ἰλλυρικοῦ καὶ τῆς Γαλατίας τῆς ἐντὸς τῶν Ἀλ-

πεων ἄρξαι αὐτῷ μετὰ τριῶν στρατοπέδων ἐπὶ ἔτη πέντε ἔδοσαν, καὶ ἡ βουλὴ τήν τε Γαλατίαν τὴν ἐπέκεινα τῶν ὀρῶν καὶ στρατόπεδον ἕτερον προσεπέτρεψεν. Appian. B. C. II. c. 13. Ἐφ' οἷς αὐτὸν εἵλοντο Γαλατίας τῆς τε ἐντὸς Ἄλπεων καὶ ὑπὲρ Ἄλπεις ἐπὶ πενταετὶς ἄρχειν, καὶ ἐς τὴν ἀρχὴν ἔδοσαν τάλη στρατοῦ τέσσαρα. Plutarch. Caes. c. 14. 5. Καίσαρι τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὴν ἐκτὸς ἅπασαν Κελτικὴν προσθεὶς τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ ταγμάτων τεσσάρων εἰς πενταετίαν.

(8) Cicero legationem sibi a Caesare, in Galliam profecturo, oblatam aspernatur, itemque alium quoque honorem recusat, sive is locus fuerit in Vviratu sive in XXvīratu dividendo agro Campano. IV. c. 19. 47.

Cic. ad Att. II. 18. 3. *A Caesare valde liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus: atque etiam libera legatio voti causa datur. Sed haec et praesidii apud pudorem Pulchelli non habet satis, et a fratris adventu me abligat; illa et vanitior est, et non impedit, quo minus absim, quum velim. Hanc ego teneo, sed usurum me non puto. Neque tamen scit quisquam. Non libet fugere; aeco pugnare. Magna sunt hominum studia. Sed nihil affirmo; tu hoc silebis.* Ibid. II. 19. 4. *Cosconio mortuo, cum in eius locum invitatus. Id erat vocari in locum mortui. Nihil me turpius apud homines fuisset, neque vero, ad istam ipsam ἀσφάλειαν quidquam alienius. Sunt enim illi apud bonos invidiosi: ego apud improbos meam retinuissem invidiam, alienam assumpsissem. Caesar me sibi vult esse legatum. Honestior haec declinatio periculi. Sed ego hoc nunc repudio. Quid ergo est? Pugnare malo. Nihil tamen certi.* Ibid. IX. 2b. 1. (*Caesar*) *repudiari se totum, magis etiam, quam olim in* XXviratu, *putabit. Ac solet, quum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem.* Velleius II. c. 45. 2. *Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter* XXviros *dividendo agro Campano esse noluisset.* Quintil. XII. c. 1. 16. *Nec Marco Tullio defuisse video in ulla parte civis optimi voluntatem. Testimonio est actus nobilissime consulatus; integerrime provincia administrata; et repudiatus vigintiviratus* cet. Dio XXXVIII. c. 1. 6. Καὶ τοὺς γαμόνους (ὁ Καῖσαρ) οὔτ' ὀλίγους, ὥστε καὶ δυναστείᾳ τινὶ ἐοικέναι, οὔτ' ἐξ ὑπευθύνων, ὥστε τινὰ δυσχεραίνειν, καθίστη, ἀλλὰ πρῶτον μὲν τοῦ συχνοὺς τῆς τιμῆς μετασχεῖν εἴκοσιν, ἔπειτα δὲ τοὺς ἐπιτηδειοτάτους, πλὴν ἑαυτοῦ.

(9) P. Clodius comitiis tribuniciis tribunus plebis designatur eumque tribunatum adit mense Decembri. Etsi autem Pompeius Clodium omni cautione devinxerat, nihil in tribunatu contra Ciceronem esse facturum, ille tamen in fide non mansit, sed tribunus plebis factus continuo se in Ciceronem convertit. IV. c. 13. 32. c. 23. 57.

Dio XXXVIII. c. 12. 2. *Καὶ πρῶτον μὲν (ὁ Καῖσαρ) ἐς τὰ τοῦ πλήθους δικαιώματα αὖθις αὐτὸν, ὅπως νομίμως ἐποιηθῇ, συμπράττοντος αὐτῷ καὶ τοῦ Πομπηίου μετέστησεν, ἔπειτα δὲ δήμαρχον εὐθὺς ἀποδειχθῆναι διεπράξατο. οὗτος οὖν ὁ Κλώδιος ἐπαστόμισε μὲν καὶ τὸν Βίβουλον ἐσελθόντα τε ἐς τὴν ἀγορὰν ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς, καὶ διανοούμενον μετὰ τῆς τοῦ ὅρκου πιστώσεως καὶ περὶ τῶν παρόντων δημηγορῆσαι, ἐπέθετο δὲ καὶ τῷ Κικέρωνι. καὶ ἐπειδὴ μὴ ἐδόκει οἱ ῥᾴδιον εἶναι ἄνδρα πάμπολυ ἐν τῇ πολιτείᾳ διὰ τὴν τῶν λόγων δεινότητα δυνάμενον καταλῦσαι, τρέπεται πρὸς οἰκειώσειν οὐχ ὅτι τοῦ πλήθους, ἀλλὰ καὶ τῶν ἱππέων τῆς τε βουλῆς, παρ' οἷσπερ που καὶ ὁ Κικέρων πλεῖστος ἐφέρετο, ἐλπίσας, ἂν τούτους σφετερίσηται, ῥᾳδίως αὐτὸν, ἅτε καὶ διὰ φόβον μᾶλλον ἢ δι' εὔνοιαν ἰσχύοντα, καθαιρήσειν.* Plutarch. Caes. c. 14. 7. *Ἀσχιστον δὲ τῶν τότε πολιτευμάτων ἔδοξεν ἐν τῇ Καίσαρος ὑπατείᾳ δήμαρχον αἱρεθῆναι Κλώδιον ἐκεῖνον, ὑφ' οὗ τὰ περὶ τὸν γάμον καὶ τὰς ἀπορρήτους παρενομήθη παννυχίδας* [v. ad a. 692. 12.] *Ἠιρέθη δὲ ἐπὶ τῇ Κικέρωνος καταλύσει.* Id. Cic. c. 30. 1.

(10) Hoc anno mortuus est Diodotus Stoicus, quem Cicero inde a pueritia secum domique suae habuerat. I. c. 32. 103.

Cic. ad Att. II. 20. 6. *Diodotus mortuus est; reliquit nobis H—S fortasse centies. Comitia Bibulus — in ante diem* XV. *Kal. Novemb. distulit.* Acad. pr. II. c. 36. 115. *Diodoto quid faciam Stoico, quem a puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem et admiror et diligo? qui ista Antiochia contemnit?* Idem ad Caesar. (ad Fam. XIII. 16. 4.) *Doctum hominem cognovi (Apollonium, Crassi libertum) et studiis optimis deditum idque a puero. Nam domi meae cum Diodoto Stoico, homine meo iudicio eruditissimo, multum a puero fuit.* [v. ad a. 669. 2.]

(11) C. Octavius, Octaviani sive Augusti pater, Macedoniam provinciam regit propraetor. VII. c. 27. 72.

Velleius II. c. 59. 1. *Fuit C. Octavius ut non patricia, ita admo-*

dum speciosa equestri genitus familia, gravis, sanctus, innocens, dives. Hic praetor inter nobilissimos viros creatus primo loco, quum ei dignatio Iulia genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea imperator, decedens ad petitionem consulatus obiit, praetextato relicto filio. Sueton. Aug. c. 3. *Ex praetura Macedoniam sortitus, fugitivos, residuam Spartaci et Catilinae manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere delevit, negotio sibi in senatu extra ordinem dato. Provinciae praefuit, non minore iustitia quam fortitudine: namque, Bessis ac Thracibus magno praelio fusis ita socios tractavit, ut epistolae M. Tullii Ciceronis extent, quibus Q. fratrem, eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiae administrantem, hortatur et monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium* [ad Q. fr. I. 1. 7. 21. Ibid. 2. 2. 7.]. *Decedens Macedonia, priusquam profiteri se candidatum consulatus posset, mortem obiit repentinam.* Cf. Cic. Phil. III. c. 6. 15. A. Weichert, *Imperatoris Caesaris Augusti scriptorum reliquiae.* Grimae, 1846. 4°. p. 4.

ANNUS VITAE CICERONIS XLIX.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 22 Ianuar. 58 a. C.]

a. U. C.	Coss. L. CALPURNIUS PISO CAESONINUS.	a. A. C.
696.	A. GABINIUS.	58.

(1) Piso et Gabinius sunt duo funesti, non consules, sed latrones atque eversores reipublicae; quos suis coloribus Cicero multis locis depinxit. IV. c. 20. 49 sqq. c. 23. 58.

Cic. de provinc. cons. c. 1. 2. *Quod si ille (P. Servilius) — Gabinium et Pisonem, duo reipublicae portenta ac paene funera, quum propter alias causas, tum maxime propter illud insigne scelus eorum et importunam in me crudelitatem, non solum sententia sua, sed etiam verborum gravitate esse notandos putavit; quonam me animo in eos esse oportet, cuius illi salutem pro pignore tradiderunt ad explendas suas cupiditates?* Idem pro Domo sua c. 9. 23. de Harusp. respons. c. 2. 3. *Ego enim, Patres Conscripti, inimicum me semper esse professus sum duobus, qui me, qui rempublicam, quum defendere deberent, servare possent; quumque ad consulare officium ipsis insignibus illius imperii, ad meam salutem non solum auctoritate, sed etiam precibus*

vestris vocarentur; primo reliquerunt, deinde prodiderunt, postremo oppugnaverunt, praemiisque nefariae pactionis funditus una cum republica oppressum exstinctumque voluerunt: quique suo ductu et imperio, cruento illo atque funesto, supplicia neque a sociorum moenibus prohibere, neque hostium urbibus inferre potuerunt: excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem eam tua cum praeda meis omnibus tectis atque agris intulerunt. Cum his furiis et facibus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis ac paene huius imperii postibus bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum: neque id tamen ipsum tantum, quantum meus ac meorum, sed tantum, quantum vester atque omnium bonorum dolor postulavit. Piso acerrime exagitatur per totam Pisonianam; de Gabinio scripsit Rud. Rauchenstein, *Ueber Aulus Gabinius.* Aarau, 1826. 8°. [Cfr. ad a. 696. 31.]

(2) His coss. inspectantibus atque adeo adiuvantibus Clodius Ciceronem eiecit in exilium, usus in hanc rem adiutoribus Cn. Pompeio, M. Crasso, C. Iulio Caesare. IV. c. 23 sq.

Plutarch. Cic. c. 30. 1. *Τόν τε δῆμον (ὁ Κλώδιος) ᾠκειώσατο νόμοις φιλανθρώποις καὶ τῶν ὑπάτων ἑκατέρῳ μεγάλας ἐπαρχίας ἐψηφίσατο — πολλοὺς δὲ τῶν ἀπόρων συνέστασεν εἰς τὸ πολίτευμα καὶ δούλους ὡπλισμένους περὶ αὑτὸν εἶχε. Τῶν δὲ πλείστον δυναμένων τότε τριῶν ἀνδρῶν, Κράσσου μὲν ἀντιπρῳρος Καίσαρι πολεμοῦντος, Πομπηίου δὲ θρυπτομένου πρὸς ἀμφοτέρους, Καίσαρος δὲ μέλλοντος εἰς Γαλατίαν ἐξιέναι μετὰ στρατεύματος κτέ.* Velleius II. c. 45. 2. *Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius.*

(3) Clodius igitur, sperans facile se Ciceronem oppressurum, si prius senatum, equites et plebem sibi conciliasset, initio huius anni aliquot leges tulit, populares illas quidem, sed reipublicae perniciosas. IV. c. 22. 54. c. 32. 79.

Cic. in Pison. c. 4. 9. *Ergo his fundamentis positis consulatus tui, triduo post, inspectante et tacente te, a P. Clodio, fatali portento prodigioque reipublicae, lex Aelia et Fufia eversa est, propugnacula maximique tranquillitatis atque otii: collegia, non ea solum, quae senatus sustulerat, restituta: sed innumerabilia quaedam nova ex omni face Urbis ac servitio concitata. Ab eodem homine, in stupris incestis nefariisque versato* [v. ad a. 692. 12 et 13.], *vetus illa magistra pudoris et modestiae, severitas censoria, sublata est.* Ad q. l. Asconius p. 9. *Diximus L. Pisone et A. Gabinio coss. P. Clodium, tribunum plebis, quattuor leges perniciosas populo Romano tulisse; unnonianam, de qua Cicero mentionem hoc*

loco non facit (fuit enim summe popularis), ut frumentum populo, quod antea semissibus ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur; alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo servaret, propter quam rogationem ait legem Fufiam et Aeliam, propugnacula et muros tranquillitatis atque otii, eversam esse: obnunciatio enim, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Aelia lex confirmaverat, erat sublata; tertiam de collegiis restituendis novisque instituendis, quae ait ex servitiorum faece constituta; quartam, ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus et utriusque censoris sententia damnatus esset: hac ergo eius lege censuram, quae magistra pudoris et modestiae est, sublatam ait. Dio XXXVIII. c. 13. 1. Ὁ οὖν Κλώδιος ἐλπίσας αὐτὸν διὰ ταῦτα, ἂν τήν τε βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας τόν τε ὅμιλον προπαρασκευάσηται, ταχὺ κατεργάσασθαι, τόν τε σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε (τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις τοῦ τε Γαβινίου ἤδη καὶ τοῦ Πίσωνος ὑπατευόντων ἐσηγήσατο) καὶ τὰ ἀταιριαστὰ κολλήγια ἐπιχωρίως καλούμενα, ὄντα μὲν ἐκ τοῦ ἀρχαίου καταλυθέντα δὲ χρόνον τινά, ἀνενεώσατο· τοῖς τε τιμηταῖς ἀπηγόρευσε μήτ' ἀπαλείφειν ἔκ τινος τέλους μήτ' ἀτιμάζειν μηδένα, χωρὶς ἢ εἴ τις παρ' ἀμφοτέροις σφίσι κριθεὶς ἁλοίη. τούτοις οὖν αὐτοὺς δελεάσας καὶ ἕτερόν τινα νόμον ἔγραψε, — 6. ἐσήνεγκε μηδένα τῶν ἀρχόντων ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς ψηφίσασθαί τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον εἴη, τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γιγνόμενα παραιρεῖν.

(4) Clodianarum legum prima fuit annoniana s. frumentaria. IV. c. 52. 79.

Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 300. *Ante quidem Gracchus* [a. U. C. 631.] *legem tulerat, ut populus pro frumento, quod sibi publice daretur, in singulos modios semisses et trientes* [$= \frac{6}{12} + \frac{4}{12} = \frac{10}{12} = \frac{5}{6}$ id est *dextantes*, quos nummos non habebant. vid. Gronov. de Sest. IV. 12.] *pretii nomine exsolveret. Sed hic (P. Clodius) anno suo frumentariam legem tulit, ut gratuito populus acciperet. Per hoc igitur ab eo deminuta vectigalia criminatur.* Ascon. in Pison. l. c. Dio l. c.

(5) Altera de auspiciis. IV. c. 22. 54. c. 52. 80.

Cic. de prov. cons. c. 19. 46. *Quare aut vobis statuendum est, legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam,* [latam a. U. C. 598.] *non omnibus fastis legem ferri licere; quum lex feratur, de caelo servari, obnuntiari, intercedi licere: censorium iudicium ac notionem et illud morum severissimum magisterium non esse nefariis legibus de civitate sublatum; si patricius tribunus plebis fuerit, contra leges sacratas, si plebeius, contra auspicia fuisse: aut mihi concedant homines oportet* cet. in Pison. l. c. Ascon. l. c. Dio l. c.

(6) Tertia de collegiis. IV. c. 32. 79. c. 22. 55.

Ascon. in Pison. p. 7 sq. *L. Caecilio Q. Marcio consulibus* [a. U. C. 686.] *senatusconsulto collegia sublata sunt, quae adversus rempublicam videbantur esse: — Post novem deinde annos, quam sublata erant* [i. e. novem annis interpositis inter a. 686 et 696.], *P. Clodius, tribunus plebis, lege lata restituit collegia.* Cic. ad Att. III. 15. 4. *Si, quantum me amas et amasti, tantum amare deberes ac debuisses, numquam esses passus, me, quo tu abundabas, egere consilio; nec esses passus mihi persuaderi, utile nobis esse, legem de collegiis perferri.* in Pison. l. c. Ascon. in Pison. p. 9. l. c. Dio l. c.

(7) Quarta de censoria notione. IV. c. 32. 79.

Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 300. *Clodianarum legum facit enumerationem; quarum fuit et haec, ne liceret censori praeterire aliquem in senatu recitando, niri eum, quem damnatum esse constaret.* Cic. de prov. cons. l. c. in Pison. l. c. Ascon. in Pison. p. 9. l. c. Dio l. c.

(8) Alias deinde duas rogationes idem Clodius uno eodemque tempore promulgavit; quarum altera iubebat provincias consulibus nominatim dandas: IV. c. 22. 54. c. 25. 62. c. 32. 79. V. c. 12. 32. c. 35. 88.

Cic. pro Domo sua c. 9. 23. *Quid? homini post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo quis illam opimam fertilemque Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Caesaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Cui quidem quum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem, et Ciliciam ad praetorem item extra ordinem tratulisti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dedisti. Quid? homini taeterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimo, L. Pisoni, nonne nominatim populos liberos, multis senatusconsultis, etiam recenti lege generi ipsius liberatos, vinctos et constrictos tradidisti? Nonne, quum ab eo merces tui beneficii pretiumque provinciae meo sanguine tibi esset persolutum, tamen aerarium cum eo partitus es? Itane vero? tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, decreta lege sanxit, eas, lege Sempronia per senatum decretas, rescidisti; extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed reipublicae pestibus.* Ibid. c. 23. 60. *Quum alteri (Pisoni) totam Achaiam, Thessaliam, Boeotiam, Graeciam, Macedoniam omnemque barbariam, bona civium Romanorum condonastes; alteri*

(*Gabinio*) *Syriam*, *Babylonem*, *Persas*, *integerrimas pacatissimasque gentes*, *ad diripiendum tradidisses*. Id. in Pison. c. 16. 37. *Lege ea*, *quam nemo praeter te* (*Pisonem*) *et collegam tuum* (*Gabinium*) *putavit*, *omnis erat tibi* (*Pisoni*) *Achaia*, *Thessalia*, *Athenae*, *cuncta Graecia addicta*. Plutarch. Cic. c. 30. 1. *Τῶν ὑπάτων ἑκατέρῳ μεγάλας ἐπαρχίας ἐψηφίσατο*, *Πείσωνι μὲν Μακεδονίαν*, *Γαβινίῳ δὲ Συρίαν*.

(9) Altera erat de pernicie Ciceronis. IV. c. 25. 62. V. c. 12. 32 sq.

Velleius II. c. 45. 1. *Per idem tempus P. Clodius — quum graves inimicitias cum M. Cicerone exerceret — legem in tribunatu tulit: Qui civem Romanum indemnatum interemisset*, *ei aqua et igni interdiceretur*. *Cuius verbis etsi non nominabatur Cicero*, *tamen solus petebatur*. Livius Epit. 103. *M. Cicero*, *lege a P. Clodio tribuno plebis lata*, *quod indemnatos cives necavisset*, *in exsilium missus est*. Cic. in Pison. c. 13. 30. *Quae lex privatis hominibus esse lex non videbatur*, *inusta per servos*, *incisa per vim*, *imposita per latrocinium*, *sublato senatu*, *pulsis e foro bonis omnibus*, *capta republica contra omnes leges*, *nullo scripta more: hanc qui se metuere dicerent*, *hos consules*, *non dicam animi hominum*, *sed fasti ulli ferre possunt? Nam*, *si illam legem non putabatis*, *quae erat contra omnes leges*, *indemnati civis atque integri capitis bonorumque tribunicia proscriptio*, *hac tamen obstricti pactione tenebamini: quis vos non modo consules*, *sed liberos fuisse putet*, *quorum mens fuerit oppressa praemio*, *lingua astricta mercede?* Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 309. *Vigilantissime Claudiam legem*, *quae de exsilio Ciceronis eiusdem lata fuerat*, *maluit proscriptionem nominare*, *quemadmodum multis locis* [pro Sext. c. 20. 46. c. 30. 65. in Pison. l. c.] *fecit*. Dio XXXVIII. c. 14. 3. *Ὁ δὲ δὴ νόμος*, *ὃν μετὰ ταῦτα ὁ Κλώδιος ἐσήνεγκεν*, *ἄλλως μὲν οὐκ ἐδόκει ἐπ' αὐτῷ τίθεσθαι* (*οὐδὲ γὰρ τὸ ὄνομα αὐτοῦ εἶχεν*) *ἀλλὰ κατὰ πάντων ἁπλῶς τῶν πολίτην τινὰ ἄνευ τῆς τοῦ δήμου κατεγνώσεως ἀποκτεινόντων ἢ καὶ ἀπεκτονότων ἐσήγετο*, *ἔργῳ δὲ ἐπ' αὐτὸν ὅτι μάλιστα συνεγράφετο* Plutarch. Cic. c. 30. 4. *Ἐφ' ᾧ παροξυνθεὶς ὁ Καῖσαρ τὸν Κλώδιον ἐπέρρωσε καὶ — κατεμαρτύρησεν ἐν τῷ δήμῳ μὴ δοκεῖν αὐτῷ καλῶς μηδὲ νομίμως ἄνδρας ἀκρίτους ἀνῃρῆσθαι τοὺς περὶ Λέντλον καὶ Κέθηγον*. *Αὕτη γὰρ ἦν ἡ κατηγορία καὶ ἐπὶ τοῦθ' ὁ Κικέρων ἐκαλεῖτο*. Appian. B. C. II. c. 15. *Κικέρωνα δὲ γράφεται Κλώδιος παρανόμων*, *ὅτι πρὸ δικαστηρίου τοὺς ἀμφὶ Λέντλον καὶ Κέθηγον ἀνέλοι*.

(10) Hac igitur lege reus Cicero vestem mutat, et sordidatus populo supplicat. V. c. 11. 31.

Plutarch. Cic. c. 30. 4. *Κινδυνεύων οὖν καὶ διωκόμενος ἐσθῆτα μετήλλαξε καὶ κόμης ἀνάπλεως περιιὼν ἱκέτευε τὸν δῆμον. Παντα-χοῦ δ' ὁ Κλώδιος ἀπήντα κατὰ τοὺς στενωποὺς, ἀνθρώπους ἔχων ὑβριστὰς περὶ αὐτὸν καὶ θρασεῖς, οἳ πολλὰ μὲν χλευάζοντες ἀκο-λάστως εἰς τὴν μεταβολὴν καὶ τὸ σχῆμα τοῦ Κικέρωνος, πολλαχοῦ δὲ πηλῷ καὶ λίθοις βάλλοντες ἐνίσταντο ταῖς ἱκεσίαις.* Appian. B. C. II. c. 15. *Ὁ δ' ἐς τὸ ἔργον ἐκεῖνο γενναιοτάτῳ λήματι κεχρημέ-νος, ἀσθενέστατος ἐς τὴν δίκην ἐγίγνετο. Καὶ ταπεινὴν ἐσθῆτα ἐπικείμενος, γέμων τε αὐχμοῦ καὶ ῥύπου, προσέπιπτεν οἷς ἐντύχοι κατὰ τοὺς στενωποὺς, οὐδὲ τοῖς ἀγνῶσιν ἐνοχλεῖν αἰδούμενος· ὥστε αὐτῷ τὸ ἔργον, διὰ τὴν ἀπρέπειαν, ἀπὸ οἴκτου μεταπίπτειν ἐς γέ-λωτα. Ἐς τοσοῦτο δειλίας περὶ μίαν οἰκείαν δίκην κατέπεσεν, ὃς τὸν ὅλον βίον ἐν ἀλλοτριαις ἐξήταστο λαμπρῶς.*

(11) Cum Cicerone primum omnis fere ordo equester vestem mutavit: eumque nobilissimi adolescentes, numero ad XX milia, sordidati, deprecatores eius salutis comitabantur. Deinde, quum senatus quoque, referente L. Ninnio, vestem tamquam in publico luctu mutandam censuisset, consules vetuerunt, et ut ad suum vestitum senatores redirent, edixerunt. IV. c. 26—28.

Cic. ad Quirit. post redit. c. 3. 8. *Pro me praesente senatus hominumque praeterea viginti milia vestem mutaverunt.* — c. 5. 11. *Pro me superiores consules semper, ut referrent, flagitati sunt: sed veriti sunt, ne gratiae caussa facere viderentur, quod alter mihi affinis erat, alterius caussam capitis receperam: qui provinciarum foedere irretiti, totum illum annum querelas senatus, luctum bonorum, Italiae gemitum pertulerunt.* pro Domo sua c. 21. 55. *Quid? quum — me praesidio spoliarent, senatum pro me non modo pugnare, amplissimum ordinem, sed etiam plorare et supplicare, mutata veste, prohiberent; ne tum quidem vis erat?* c. 22. 56. *Quid igitur ego cessi, aut qui timor fuit? non dicam, in me: fac me timidum esse natura: quid illa tot virorum fortissimorum milia? quid nostri equites Romani? quid senatus? quid denique omnes boni? Si nulla erat vis, cur me flentes potius prosecuti sunt, quam aut increpantes retinuerunt aut irati reliquerunt?* post redit. in senat. c. 7. 16. *Te consule (L. Piso), tuis edictis et imperiis, senatui populoque Romano non est licitum, non modo sententiis atque auctoritate sua, sed ne luctu quidem ac vestitu reipublicae subvenire.* Ibid. c. 5. 12. in Pison. c. 10. 23. c. 35. 87. Plut.

arch. Cic. c. 31. 1. *Οὐ μὴν ἀλλὰ τῷ Κικέρωνι πρῶτον μὲν ὀλίγου δεῖν σύμπαν τὸ τῶν ἱππικῶν πλῆθος συμμετέβαλε τὴν ἐσθῆτα καὶ δισμυρίων οὐκ ἐλάττους νέων παρηκολούθουν κομῶντες καὶ συνικετεύοντες· ἔπειτα τῆς βουλῆς συνελθούσης, ὅπως ψηφίσαιτο τὸν δῆμον ὡς ἐπὶ πένθεσι μεταβαλεῖν τὰ ἱμάτια, καὶ τῶν ὑπάτων ἐναντιωθέντων, Κλωδίου δὲ σιδηροφορουμένου περὶ τὸ βουλευτήριον, ἐξέδραμον οὐκ ὀλίγοι τῶν βουλευτικῶν καταρρηγνύμενοι τοὺς χιτῶνας καὶ βοῶντες.* Dio XXXVIII. c. 16. 2. *Οἵ τε ἱππεῖς συνελθόντες ἐς τὸ Καπιτώλιον πρέσβεις ὑπὲρ αὐτοῦ πρός τε τοὺς ὑπάτους καὶ πρὸς τὴν γερουσίαν, ἄλλους τέ τινας ἐκ σφῶν καὶ βουλευτὰς τόν τε Ὁρτήσιον τὸν Κύϊντον καὶ Γάϊον Κουρίωνα, ἔπεμψαν· καὶ ὁ Νίννιος τά τε ἄλλα αὐτῷ συνήρετο, καὶ τὴν ἐσθῆτα τῷ πλήθει ὡς καὶ ἐπί τινι κοινῇ συμφορᾷ μεταβαλεῖν παρῄνεσεν. καὶ πολλοὶ τοῦτο καὶ τῶν βουλευτῶν ἐποίησαν, καὶ οὐ πρότερόν γε μετεβάλοντο πρὶν τοὺς ὑπάτους σφίσι διὰ προγραφῆς ἐπιτιμῆσαι. ἀλλ' ἦν γὰρ τὰ τῶν ἀντισιασιωτῶν αὐτοῦ δυνατώτερα, οὔτε ὁ Κλώδιος χρηματίσασθαί τι ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ Νιννίῳ ἐπέτρεψεν, οὔτε Γαβίνιος τὴν πρόσοδον τοῖς ἱππεῦσιν ἐς τὴν βουλὴν ἔδωκεν, ἀλλὰ καὶ ἕνα τινὰ αὐτῶν, ὡς πολὺς ἐνέκειτο, καὶ ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασεν, τῷ τε Ὁρτησίῳ καὶ τῷ Κουρίωνι, ὅτι καὶ ἀθροισθεῖσί σφισι συνεγένοντο καὶ τὴν πρεσβείαν ὑπέστησαν, ἐπεκάλει. καὶ αὐτοὺς ὁ Κλώδιος ἐς τὸ πλῆθος ἐσαγαγὼν πληγαῖς ἐπὶ τῇ πρεσβείᾳ διά τινων προπαρεσκευασμένων συνέκοψεν.*

(12) Cicero non solum a consulibus proditus sceleratissimo tribuno plebis, verum etiam a Pompeio, Crasso et Caesare derelictus, mense, ut videtur, Martio extremo, Urbe cedit et discessu suo rempublicam servat. IV. c. 20. 49. c. 30. 75. Qui dies omnibus bonis fuit luctuosus. IV. c. 26. 66. V. c. 12. 32.

Aurelius Victor de Vir. ill. c. 81. *Invidia P. Clodii, instinctuque Caesaris et Pompeii, quos dominationis suspectos, eadem, qua quondam Sullanos, libertate perstrinxerat, sollicitatis Pisone et Gabinio consulibus, qui Macedoniam Asiamque provincias in stipendium opera huius acceperant, in exsilium actus.* Velleius II. c. 45. 2. *Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius.* Cic. post redit. in senatu c. 12. 32 sq. *Quibus ego rebus obiectis, quum mihi privato confligendum viderem cum eodem exercitu, quem consul non armis, sed vestra auctoritate superaram; multa mecum ipse reputavi. Dixerat in concione consul, se clivi Capitolini poenas ab equiti-*

bus Romanis repetiturum. Nominatim alii compellabantur, alii citabantur, alii relegabantur. Aditus templorum erant non solum praesidiis et manu, verum etiam demolitione sublati. Alter consul, ut me et rempublicam non modo desereret, sed etiam hostibus reipublicae proderet, pactionibus eos suorum praemiorum obligarat. Erat alius ad portas cum imperio in multos annos magnoque exercitu: quem ego inimicum mihi fuisse non dico; tacuisse, quum diceretur esse inimicus, scio. Duae partes esse in republica quum putarentur, altera me deposcere propter inimicitias, altera timide defendere propter suspicionem caedis putabatur. Qui autem me deposcere videbantur, in hoc auxerunt dimicationis metum, quod numquam infitiando suspicionem hominum curamque minuerunt. Quare quum viderem senatum ducibus orbatum, me a magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum cet. Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 297. *Haec omnia latentes querelae sunt de Pompeio, Crasso et Caesare, quos non ambigitur partim manifestius partim vero occultius id egisse, ut Urbe Tullius eiiceretur.* Cic. in Pison. c. 14. 32. *Tu luctum senatus, tu desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiae, tu curiae taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum iudiciorum ac fori, tu cetera illa in maledicti loco pones, quae meus discessus reipublicae vulnera inflixit? — Utrum tandem bono viro et sapienti optabilius putas, sic exire e patria, ut omnes sui cives salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit: an, quod tibi proficiscenti evenit* cet. Dio XXXVIII. c. 16. 5. Καὶ μετὰ ταῦτα ὅ τε *Πίσων — πυθομένου τοῦ Κλωδίου τίνα γνώμην περὶ τῶν γεγραμμένων ἔχοι, εἶπεν ὅτι οὐδέν μοι οὔτ' ὠμὸν οὔτε σκυθρωπὸν ἔργον ἀρέσκει· καὶ ὁ Γαβίνιος ἐρωτηθεὶς τὸ αὐτὸ τοῦτο οὐχ ὅπως ἐκεῖνον ἐπῄνεσεν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἱππέων τῆς τε βουλῆς προσκατηγόρησεν.* c. 17. 1. Ὁ *μέντοι Καῖσαρ* (ἔξω γὰρ τοῦ τείχους ὁ Κλώδιος δι' αὐτὸν, ἐπειδὴ περ ἐξεστράτευτο, τὸν ὅμιλον συναγαγὼν καὶ ἐκεῖνον ἐπιγνώμονα τῶν γεγραμμένων ἐποιήσατο) τὴν μὲν παρανομίαν τῶν περὶ τὸν Λέντουλον πραχθέντων κατεψηφίσατο —. Κράσσος δὲ διὰ μὲν τοῦ υἱέος βοηθείαν τινὰ τῷ Κικέρωνι ἐνεδείκνυτο, αὐτὸς δὲ τὰ τοῦ πλήθους ἔπρασσεν. καὶ ὁ *Πομπήιος ὑπισχνεῖτο μὲν αὐτῷ τὴν ἐπικουρίαν, σκήψεις δέ τινας ἄλλοτε ἄλλας ποιούμενος καὶ ἀποδημίας συχνὰς ἐπιτηδὲς στελλόμενος οὐκ ἐπήμυνεν. ἰδὼν οὖν ταῦτα ὁ Κικέρων — τότε δὴ καὶ ἄκων μετά τε αἰσχύνης καὶ μετὰ κακοδοξίας, ὡς καὶ ἐκ τοῦ συνειδότος ἑαυτῷ ἐθελοντὴς πεφευγὼς, μετέστη.* Plutarch. Cic. c. 30. 1 sqq. Idem Pomp. c. 46. 4. Idem Crass. c. 13. 5. Idem Caes. c. 14. 7. Hanc partem vitae Ciceronis explicuerunt Constantius Felicius Duratinus, (idem cuius Historiam coniurationis Catilinariae supra memoravimus ad

a. 691. 18.) *De exsilio Ciceronis et eius glorioso reditu, Libri duo.* Lipsiae, 1535. 4°. Io. Hermanson, *Dissertatio de Exsilio M. Tullii Ciceronis.* Upsal. 1725. 8°. I. Morabin, *Histoire de l'Exil de Cicéron.* Paris, 1726. 8°. et M. Anton. Ferratius, *Epistola de Ciceronis Exsilio* (in Ferratii Epistolis quae prodierunt Venetiis 1738. 4°. p. 209—218 et p. 342—346.)

(13) Eiecto demum Cicerone, Caesar proficiscitur in Galliam. IV. c. 20. 49. VII. c. 43. 111.

Caesar B. G. I. c. 6—7. *Helvetii — omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant: is dies erat a. d. V. Kal. Apriles L. Pisone A. Gabinio consulibus* [= 28 Mart. 696 = 16 Apr. 58 a. C.]. *Caesari quum id nuntiatum esset eos per provinciam nostram iter facere conari, maturat ab Urbe proficisci et quam maximis itineribus potest in Galliam ulteriorem contendit et ad Genevam pervenit.* Plutarch. Caes. c. 14. 7. Καὶ Καῖσαρ οὐ πρόσθεν ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν στρατείαν ἢ καταστασιάσαι Κεκίλιον μετὰ Κλωδίου καὶ συνεμβαλεῖν ἐκ τῆς Ἰταλίας. Cicero post redit. in sen. l. c. Dio l. c.

(14) Priusquam Caesar in Galliam proficisceretur, tres habuit orationes contra C. Memmium et L. Domitium, praetores, qui acta anni superioris labefactabant. IV. c. 24. 60.

Sueton. Caes. c. 23. *Functus consulatu, C. Memmio Lucioque Domitio praetoribus de superioris anni actis referentibus, cognitionem senatui detulit: nec illo suscipiente, triduoque per irritas altercationes absumpto, in provinciam abiit.* Scholia Bob. in Orat. pro Sextio p. 297. *De actis loquitur, quae habuit in consulatu C. Caesar inauspicato, ut videbatur: qua de re adversus eum egerant in senatu C. Memmius et L. Domitius praetores, et ipsius Caesaris orationes contra hos exstant, quibus et sua acta defendit, et illos insectatur.* Eadem in Orat. in Vatin. p. 317. *Commiserat autem senatui caussam suam C. Caesar, id est, ut de lege agraria patres iudicarent. Ibi enim habitae sunt tres illae orationes contra Domitium et Memmium.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXXX. 9. p. 416.

(15) Caesar, itinere per VIII dies confecto, primum cum Helvetiis felicissime dimicavit. VII. c. 44. 115.

Plutarch. Caes. c. 17. 3. Συντόνως δὲ ἤλαυνεν οὕτως, ὥστε τὴν πρώτην ἔξοδον ἀπὸ Ῥώμης ποιησάμενος ὀγδοαῖος ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν ἐλθεῖν. Caesar B. G. I. c. 7. *Ubi de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt —. Caesar — legatis respondit,*

diem se ad deliberandum sumpturum; si quid vellent, a. d. Idus Aprileis [= 13 April. 696 = 2 Maii 58 a. C.] *reverterentur.* Conf. c. 8—30. Livius Epit. 103. *Caesar, in provinciam Galliam profectus, Helvetios, vagam gentem, domuit: quae sedem quaerens per provinciam Caesaris Narbonem iter facere volebat.* Cf. Dio XXXVIII. c. 31—33. Plutarch. Caes. c. 18. Oros. VI. c. 7.

(16) Post Ciceronis discessum Clodius de eius exsilio ad populum refert edictumque proponit, ut illi aqua et igni interdicatur et ne intra quadringenta milia passuum aut ei liceat esse, aut cuiquam ipsum tecto recipere. v. c. 3. 5.

Plutarch. Cic. c. 32. 1. *Ὡς δ' ἦν φανερὸς ἤδη πεφευγώς, ἐπήγαγεν αὐτῷ φυγῆς ψῆφον ὁ Κλώδιος καὶ διάγραμμα προὔθηκεν εἴργειν πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν ἄνδρα καὶ μὴ παρέχειν στέγην ἐντὸς μιλίων πεντακοσίων Ἰταλίας. Τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐλάχιστος ἦν τοῦ διαγράμματος τούτου λόγος αἰδουμένοις τὸν Κικέρωνα, καὶ πᾶσαν ἐνδεικνύμενοι φιλοφροσύνην παρέπεμπον αὐτόν· κτέ.* Dio XXXVIII. c. 17. 6. *Φυγόντος δ' αὐτοῦ ὁ νόμος τὸ κῦρος οὐχ ὅπως οὐκ ἐναντιωθέντος τινός, ἀλλὰ καὶ σπουδασάντων ἄλλων τε καὶ αὐτῶν ἐκείνων, οἳ ὑπὲρ τοῦ Κικέρωνος ἀνὰ πρώτους πράττειν ἐδόκουν, ἐπειδή περ ἅπαξ ἐκποδὼν ἐγεγόνει, ἔλαβεν· — αὐτῷ τε ἐκείνῳ ᾗ τε φυγῇ ἐπετιμήθη καὶ ἡ ἐν τῇ Σικελίᾳ διατριβὴ ἀπερρήθη· τρισχιλίους τε γὰρ καὶ ἑπτακοσίους καὶ πεντήκοντα σταδίους ὑπὲρ τὴν Ῥώμην ὑπερωρίσθη, καὶ προσεπηρύχθη, ἵν' εἴ δή ποτε ἐντὸς αὐτῶν φανείη, καὶ αὐτὸς καὶ οἱ ὑποδεξάμενοι αὐτὸν ἀνατὶ διόλωντο.*

(17) Deinde Ciceronis domum in Palatio [v. ad a. 692. 6.], simul cum porticu Catuli [v. ad a. 653. 3.] diruit areamque templo Libertatis consecrat: praeterea villas quoque Tusculanam et Formianam incendit [v. ad a. 697. 14.] et reliqua Ciceronis bona diripit. IV. c. 31. 77. V. c. 1. 1. c. 35. 89. VI. c. 6. 12.

Cic. pro Domo sua c. 24. 62. *Quum domus in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem, transferebatur, senatusconsulta volabant: columnae marmoreae ex aedibus meis inspectante populo Romano ad socrum consulis portabantur: in fundum autem vicini consulis non instrumentum aut ornamenta villae, sed etiam arbores transferebantur: quum ipsa villa non praedae cupiditate, (quid enim erat praedae?) sed odio et crudelitate funditus everteretur. Domus ardebat in*

Palatio non fortuito, sed oblato incendio. — c. 41. 108. *Civis est nemo in tanto populo, extra contaminatam illam et cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit. At, qui aliqua se contagione praedae, societatis, emptionis contaminaverunt, nullius neque privati neque publici iudicii poenam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium iudicio sceleratissimus haberetur, dii immortales domum meam concupiverunt? Ista tua pulchra Libertas deos penates et familiares meos lares expulit, ut a te ipsa, tamquam in captivis sedibus, collocaretur?* Ascon. in Pison. p. 10. *Post profectionem ex Urbe Ciceronis, bona eius P. Clodius publicavit; postquam direpta sunt omnia, quae aut in domo aut in villis fuerunt, et ex eis ad ipsos consules lata complura, domus direpta primum, deinde inflammata ac diruta est.* Plutarch. Cic. c. 33. 1. Ὁ δὲ Κλώδιος ἐξελάσας τὸν Κικέρωνα κατέπρησε μὲν αὐτοῦ τὰς ἐπαύλεις, κατέπρησε δὲ τὴν οἰκίαν καὶ τῷ τόπῳ ναὸν Ἐλευθερίας ἐπῳκοδόμησε· τὴν δ' ἄλλην οὐσίαν ἐπώλει καὶ διεκήρυττε καθ' ἡμέραν, μηδὲν ὠνουμένου μηδενός. Dio XXXVIII. c. 17. 6. Καὶ ἥ τε οὐσία αὐτοῦ ἐδημεύθη, καὶ ἡ οἰκία ὥσπερ τινὸς πολεμίου κατεσκάφη, τό τε ἔδαφος αὐτῆς ἐς νεὼν Ἐλευθερίας ἀνέθηκαν. Cfr. I. Chrph. Cramer, *de M. T. Ciceronis Tusculano*, Ienae, 1752. 4°. Praeter Tusculanum et Formianum, Cicero multas alias habuit villas: v. ad a. 710. 11. cfr. Andr. Schottus, *Cicero a calumniis vindicatus* c. 3. qui citat Flavium Blondum [*de Roma triumphante.* Basil. 1531. f°. p. 191.] et Ioann. Servilium Belgam *Memorabilium* L. II. c. 2. Addatur Georg. Greenius, *de Rusticatione et Villis veterum Commentariolus.* Lipsiae 1667. 12°. et ex recentioribus Sickler und Reinhart, *Almanach aus Rom* 1810.

(18) Cicerone expulso, Clodius legem tulit de Ptolemaeo, rege Cypri, Alexandrini regis fratre, ut bona eius publicarentur et regnum in provinciae formam redigeretur; quod negotium M. Catoni mandatum est invito. IV. c. 52. 81 sqq. V. c. 13. 34.

Velleius II. c. 45. 4. *P. Clodius sub honorificentissimo ministerii titulo, M. Catonem a republica relegavit. Quippe legem tulit, ut is quaestor cum iure praetorio, adiecto etiam quaestore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemaeum. — Sed ille, sub adventum Catonis, vitae suae vim intulit: unde pecuniam longe sperata maiorem Cato Romam retulit.* Livius Epit. 104. *Lege lata de redigenda in provinciae formam Cypro, et publicanda pecunia regia, M.*

Catoni administratio eius rei mandata est. Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 301. *Hunc etiam Ptolemaeum, regem Cypri, amicum quodammodo a senatu appellatum fuisse, quandoquidem frater eius, qui in Aegypto regnabat, consecutus iam societatis et amicitiae honorem videretur; ferente autem rogationem Clodio publicatum fuerat eius regnum, quod diceretur ab eo piratas adiuvari.* Cic. pro Domo sua c. 8. 20. *Quum lege nefaria Ptolemaeum, regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem iure regnantem, caussa incognita publicasses populumque Romanum scelere obligasses; quum in eius regnum, bona, fortunas latrocinium huius imperii immisisses, cuius cum patre, avo, maioribus societas nobis et amicitia fuisset; huius pecuniae deportandae et, si quis suum defenderet, bello gerendo M. Catonem praefecisti.* Florus III. c. 9. *Aderat fatum insularum: igitur et Cypros recepta sine bello. Insulam, veteribus divitiis abundantem et ob hoc Veneri sacram, Ptolemaeus regebat. Sed divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium Populus, et donare regna consuetus, Publio Clodio tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata praecepit. Ceterum Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium invexit: quae res latius aerarium populi Romani, quam ullus triumphus, implevit.* Dio XXXVIII. c. 30. 5. *Βουληθεὶς ὁ Κλώδιος τόν τε Κάτωνα ἐκποδὼν — ποιήσασθαι, καὶ τὸν Πτολεμαῖον τότε τὴν Κύπρον ἔχοντα ἀμύνασθαι ὅτι αὐτὸν παρὰ τῶν καταπονητισιῶν οὐκ ἐλύσατο, τήν τε νῆσον ἐδημοσίευσε καὶ πρὸς τὴν διοίκησιν αὐτῆς τὸν Κάτωνα καὶ μάλα ἄκοντα ἀπέστειλεν.* Appian. B. C. II. c. 23. *Κάτωνα μὲν ἐψηφίσατο, ἵνα μὴ παρὼν ἐνοχλοίη, Κύπρον ἀφελέσθαι Πτολεμαίου βασιλέως· νενομοτεθημένον ἤδη τοῦτο ὑπὸ Κλωδίου, ὅτι οἱ ποτε ἁλόντι ὑπὸ λῃστῶν ὁ Πτολεμαῖος ἐς λίτρα ὑπὸ σμικρολογίας δύο τάλαντα ἐπεπόμφει. Κάτων μὲν δὴ καθίσταιο Κύπρον, Πτολεμαίου τὰ χρήματα ῥίψαντος ἐς τὴν θάλασσαν καὶ ἑαυτὸν ἐξαγαγόντος, ἐπεὶ τῶν ἐψηφισμένων ἐπύθετο.* Plutarch. Cat. Min. c. 34. 2. *Ὁ δὲ Κλώδιος οὐδὲ Κικέρωνα καταλύσειν ἤλπιζε Κάτωνος παρόντος, ἀλλὰ τοῦτο διαμηχανώμενος πρῶτον, ὡς ἐς ἀρχὴν κατέστη, μετεπέμψατο τὸν Κάτωνα καὶ λόγους αὐτῷ προσήνεγκεν, ὡς πάντων ἐκεῖνον ἡγούμενος ἄνδρα Ῥωμαίων καθαρώτατον ἔργῳ διδόναι πίστιν ἕτοιμός ἐστι· πολλῶν γὰρ αἰτουμένων τὴν ἐπὶ Κύπρον καὶ Πτολεμαῖον ἀρχὴν καὶ δεομένων ἀποσταλῆναι, μόνον ἄξιον ἐκεῖνον ἡγεῖσθαι καὶ διδόναι τὴν χάριν ἠδέως. Ἀνακραγόντος δὲ τοῦ Κάτωνος, ὡς ἐνέδρα τὸ πρᾶγμα καὶ προσπλακισμός, οὐ χάρις ἐστὶν, ὑπερηφάνως ὁ Κλώδιος καὶ ὀλιγώρως· Οὐκοῦν, εἶπεν, εἰ μὴ χάριν ἔχεις,*

ἀνιώμενος πλεύσῃ· καὶ προελθὼν εὐθὺς εἰς τὸν δῆμον ἐκύρωσε νόμῳ τὴν ἔκπεμψιν τοῦ Κάτωνος. Cfr. Idem Pomp. c. 48. 6.

(19) Eadem lege exsules Byzantium restituuntur. IV. c. 32. 80. c. 33. 83.

Cic. pro Domo sua c. 20. 52. *Tu lege una tulisti, ut Cyprius rex, cuius maiores huic populo socii atque amici semper fuerunt, cum bonis omnibus sub praecone subiiceretur, et exsules Byzantium reducerentur.* Ibid. c. 50. 129. pro Sext. c. 39. 84. Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 301. *Hos (exsules) etiam lege sua revocaverat Clodius, quamvis fuissent iure damnati. — Igitur — ingessit invidiam, restitutos tunc eos, qui damnati legitime fuerant, quum ipse indemnatus Cicero in exsilium fuisset eiectus.* Plutarch. Cat. Min. c. 34. 3. Ὡς δὲ μικρὸν ἔργον αὐτῷ (Κάτωνι) Κύπρον καὶ Πτολεμαῖον ἀναθεὶς, ἔτι καὶ Βυζαντίων φυγάδας κατάγειν προσέταξε, βουλόμενος ὅτι πλεῖστον χρόνον ἐκποδὼν ἄρχοντος αὐτοῦ γενέσθαι τὸν Κάτωνα.

(20) Aliam denique legem tulit Clodius de Pessinuntio Matris Magnae sacerdote. IV. c 32. 80.

Cic. de Harusp. Resp. c. 13. 28. *Sed quid ego id admiror? qui, accepta pecunia, Pessinuntem ipsum, sedem domiciliumque Matris deorum* [cfr. Strabo XII. p. 390], *vastaris, et Brogitaro Gallograeco, impuro homini ac nefario, cuius legati, te tribuno, dividere in aede Castoris tuis operis nummos solebant, totum illum locum fanumque vendideris? sacerdotem ab ipsis aris pulvinaribusque detraxeris? omina illa, quae vetustas, quae Persae, quae Syri, quae reges omnes, qui Europam Asiamque tenuerunt, semper summa religione coluerunt, perverteris? — Quod (fanum) quum Deiotarus religione sua castissime tueretur — Brogitaro — addictum pecunia tradidisti. Atque hunc tamen Deiotarum — tu etiam regem appellari cum Brogitaro iubes. Sed alter est rex iudicio senatus per nos, pecunia Brogitarus per te appellatus. — Nam quum multa regia sunt in Deiotaro, tum illa maxime, — quod Pessinuntem, per scelus a te violatum et sacerdote sacrisque spoliatum, recuperavit, ut in pristina religione servaret: quod caerimonias, ab omni vetustate acceptas, a Brogitaro pollui non sinit, mavultque generum suum munere tuo, quam illud fanum antiquitate religionis carere.*

(21) Cicero igitur relicta Urbe [v. ad a. 696. 12.] iter suum convertit in Lucaniae oppidum, Vibonem (h. *Monte Leone*), ubi a (Vibio) Sicca, homine familiari, in fundum exceptus est. V. c. 2. 5.

Plutarch. Cic. c. 32. 1. *Ἐν δ' Ἱππωνίῳ, πόλει τῆς Λευκανίας, ἣν Οὐιβῶνα νῦν καλοῦσιν, Οὐίβιος, Σικελὸς ἀνὴρ, ἄλλα τε πολλὰ τῆς Κικέρωνος φιλίας ἀπολελαυκὼς, καὶ γεγονὼς ὑπατεύοντος αὐτοῦ τεκτόνων ἔπαρχος, οἰκίᾳ μὲν οὐκ ἐδέξατο, τὸ χωρίον δὲ καταγράψειν ἐπηγγέλλετο.*

(22) In Siciliam autem quum transgressurus esset, prohibitus est a C. Virgilio, qui praetor Siciliam obtinebat; qua re consilio mutato, per Thurios et Tarentum contendit Brundisium, quo a. d. XIV. Kal. Mai. [= 17 Apr. 696 = 6 Mai. 58 a. C.] venit. v. c. 2. 4 sqq.

Dio XXXVIII. c. 17. 5. *Ὑπεξῆλθε δὲ ἐς Σικελίαν· προστάτης τε γὰρ αὐτῇ ἐγεγόνει, καὶ ἐλπίδα πολλὴν ἔν τε τοῖς δήμοις καὶ ἐν τοῖς ἰδιώταις τῷ τε ἄρχοντι αὐτῆς εἶχε τιμηθήσεσθαι. — Καὶ ἡ ἐν τῇ Σικελίᾳ διατριβὴ ἀπερρύθη· τρισχιλίους τε γὰρ καὶ ἑπτακοσίους καὶ πεντήκοντα σταδίους ὑπὲρ τὴν Ῥώμην ὑπερωρίσθη.* Plutarch. Cic. c. 32. 1. *Καὶ Γάϊος Οὐεργίλιος ὁ τῆς Σικελλίας στρατηγὸς, ἐν τοῖς μάλιστα Κικέρωνι κεχρημένος, ἔγραψεν ἀπέχεσθαι τῆς Σικελίας. Ἐφ' οἷς ἀθυμήσας ὥρμησεν ἐπὶ Βρεντέσιον.*

(23) A Brundisio, ubi XIII dies fuerat in hortis M. Laenii Flacci, v. c. 5. 9. discedit prid. Kal. Mai. [= 29 Apr. 696 = 18 Mai. 58 a. C.] et contendit Dyrrhachium. v. c. 6. 11.

Plutarch. Cic. c. 32. 2. *Κἀκεῖθεν εἰς Δυρράχιον ἀνέμῳ φορῷ παραιούμενος, ἀντιπνεύσαντος πελαγίου, μεθ' ἡμέρων ἐπαλινδρόμησεν, εἶτ' αὖθις ἀνήχθη. Λέγεται δὲ καὶ, καταπλεύσαντος εἰς Δυρράχιον αὐτοῦ καὶ μέλλοντος ἀποβαίνειν, σεισμόν τε τῆς γῆς καὶ σπασμὸν ἅμα γενέσθαι τῆς θαλάττης. Ἀφ' ὧν συνέβαλον οἱ μαντικοὶ μὴ μόνιμον αὐτῷ τὴν φυγὴν ἔσεσθαι· μεταβολῆς γὰρ εἶναι ταῦτα σημεῖα.*

(24) A. d. X. Kal. Iun. [= 23 Mai. 696 = 10 Iun. 58 a. C.] venit Thessalonicam; ubi Cn. Plancius, L. Appuleii praetoris quaestor, sua liberalitate Ciceronem per VI menses retinuit. v. c. 7—10.

Dio XXXVIII. c. 18. 1. *Καὶ ὁ μὲν ἐς τὴν Μακεδονίαν διὰ τοῦτο μετέστη καὶ ἐκεῖ διέτριβεν ὀδυρόμενος.* Schol. Bob. ad Orat. pro Plancio p. 253. (*Cicero*), *quum P. Clodii tribuni plebi inimici sui lege*

aqua et igni interdictus Urbe cessisset et Macedoniam petisset, nullis opem ferentibus, qui Clodianam potentiam graviter extimescebant, prolixa benignitate et fide non minore quaestoris Cn. Plancii sustentatus est. Illo quippe anno sub L. Appuleio praetore quaestura Plancius in Macedonia fungebatur. Diu igitur Thessalonicae fuit auxilio eius ab omni periculo insidiarum Cicero defensus. Cic. pro Plancio c. 42. 101. *O excubias tuas, Cn. Planci, miseras! o flebiles vigilias! o noctes acerbas! o custodiam etiam mei capitis infelicem! — Memini enim, memini, neque umquam oblivisear noctis illius, quum tibi vigilanti, assidenti, maerenti, vana quaedam miser atque inania, falsa spe inductus, pollicebar: me, si essem in patriam restitutus, praesentem tibi gratiam relaturum.* [Cfr. ad a. 700. 7.]. ad Att. III. 22. 1. *Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet —. Ego — quod mei studiosos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi, quum illo superiora Thessalonicae scripsissem. — Dat.* VI. [*Kal.*] *Decemb.* [= 25 Novbr. 696 = 9 Decbr. 58 a. C.] *Dyrrhachii.* Cfr. ad a. 696. 30.

(25) Interim Q. fratrem, ex Asia decedentem, quam per triennium obtinuerat, (v. ad a. U. C. 693. 2.) quum Athenas venisset, hortatur M. Cicero ut protinus pergat Romam. v. c. 8. 16. c. 14. 38.

Cic. pro Domo sua c. 23. 59. *Quid frater meus? qui quum aliquanto post meum discessum ex provincia venisset, neque sibi vivendum, nisi me restituto, putaret, quum eius maeror, squalor incredibilis et inauditus, omnibus mortalibus miserabilis videretur, quotiee ex vestro ferro ac manibus est elapsus?*

(26) Pompeius, illo tempore se accusans quod Ciceronem prodidisset (v. ad a. 696. 2.), de illius reditu, amicorum opera adiutus agere coepit. v. c. 14. 56.

Cic. pro Domo sua c. 10. 25. *Sed excitatus aliquando Cn. Pompeii — nimium diu reconditus et penitus abstrusus animi dolor subvenit subito reipublicae, civitatemque fractam malis, mutam, debilitatam, abiectam metu, ad aliquam spem libertatis et pristinae dignitatis erexit.* ad Att. III. 22. 1. *Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet: — Lentulus suo in nos officio, quod et re et promissis et litteris declarat, spem nobis nonnullam affert Pompeii voluntatis.* Plutarch Cic. c. 33. 1. *Ὁ Πομπήιος ἐκάκιζεν αὐτὸς αὑτὸν προάμενος τὸν Κικέρωνα· καὶ πάλιν ἐκ μεταβολῆς παντοῖος ἐγίνετο πράττων κάθοδον αὐτῷ μετὰ τῶν φίλων. Ἐνισταμένου δὲ τοῦ Κλωδίου, συνέδοξε τῇ βουλῇ, μη-*

δὲν διὰ μέσου πρᾶγμα κυροῦν μηδὲ πράττειν δημόσιον, εἰ μὴ Κικέρωνι κάθοδος γένοιτο. Dio XXXVIII. c. 30. 1. Οὐ μέντοι καὶ ἐπὶ πολὺ ἔφυγεν (ὁ Κικέρων), ἀλλὰ καὶ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Πομπηίου, τοῦ μάλιστα αὐτὸν ἐκβαλόντος, κατήχθη. — Ὀργισθεὶς γὰρ ὁ Πομπήιος, ὅτι τῇ ἐξουσίᾳ, ἣν αὐτὸς τοῖς δημάρχοις ἀπεδεδώκει, κατ' αὐτοῦ ὁ Κλώδιος ἐκέχρητο, ἀνακαλέσασθαι τὸν Κικέρωνα ἠθέλησε, καὶ αὐτῷ τὴν κάθοδον εὐθὺς διὰ τοῦ Νιννίου πράττειν ἤρξατο. καὶ ὃς ἐσήνεγκε μὲν ἐς τὸ βουλευτήριον τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ γνώμην, ἀπόντα τὸν Κλώδιον τηρήσας· ἀντιστάντος δέ οἱ ἑτέρου τινὸς δημάρχου, ἐκείνην τε ὡς καὶ τῷ πλήθει κοινώσων ἐξέθηκε, καὶ τῷ Κλωδίῳ πρὸς πάντα καθάπαξ ἠναντιοῦτο.

(27) Kalend. Iuniis [= 1 Iunii 696 = 19 Iunii 58. a. C.] decrevit senatus frequens de Ciceronis reditu, referente L. Ninnio, tribuno plebis; sed intercessit Aelius Ligur. v. c. 14. 37. c. 16. 42.

Cic. post redit. in sen. c. 2. 3. *Itaque, patres conscripti, — illo ipso tempore, quum vi, ferro, metu, minis obsessi teneremini, non multo post discessum meum, universi me revocastis, referente L. Ninnio, fortissimo atque optimo viro; quem habuit ille pestifer annus et maxime fidelem, et minime timidum, si dimicare placuisset, defensorem salutis meae. Posteaquam vobis potestas decernendi non est permissa per eum tribunum plebis, qui, quum per se rempublicam lacerare non posset, sub alieno scelere delevit; numquam de me siluistis, numquam meam salutem non ab his consulibus, qui vendiderant, flagitavistis.* de Harusp. resp. c. 3. 5. *Itaque eum (Clodium) numquam a me esse accusandum putavi, non plus, quam stipitem illum, qui, quorum hominum esset, nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret. Quid enim hunc persequar, pecudem ac belluam, pabulo inimicorum meorum et glande corruptum? qui si sensit, quo sese scelere devinxerit, non dubito, quin sit miserrimus: sin autem id non videt, periculum est, ne se stuporis excusatione defendat.* Dio l. c.

(28) III. Id. Sext. [= 11 Sext. (Aug.) 696 = 28 Aug. 58 a. C.] in templo Castoris comprehensus est servus P. Clodii, quem ille ad Pompeium interficiendum collocarat; qua de re Pompeius quidem deinde se tenuit domi. v. c. 15. 40 sq.

Cic. in Pison. c. 12. 28. *Itaque in illo tumultu fracti fasces; ictus ipse; quotidie tela, lapides., fugae; deprehensus denique cum ferro ad senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse*

constabat. pro Milone c. 14. 37. *Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? — Haec insidiata Pompeio est.* ad q. l. Ascon. p. 47. *Pisone et Gabinio coss., pulso Cicerone in exilium, quum* III. *Idus Sextiles Pompeius in senatum venit, dicitur servo P. Clodii sica excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit et se domi tenuit.* Plutarch. Pomp. c. 49. 2. *Ἐπεὶ δὲ καὶ πληγὰς ἐν ἀγορᾷ μέχρι τραυμάτων συνέβη γενέσθαι καὶ Κλωδίου τις οἰκέτης παραδυόμενος ἐν ὄχλῳ διὰ τῶν περιεστώτων πρὸς τὸν Πομπήιον ἠλέγχθη ξίφος ἔχειν, ταῦτα ποιούμενος πρόφασιν, ἄλλως δὲ τοῦ Κλωδίου τὴν ἀσέλγειαν καὶ τὰς βλασφημίας δεδιώς, οὐκέτι προῆλθεν εἰς ἀγοράν, ὅσον ἐκεῖνος ἦρχε χρόνον, ἀλλ' οἰκουρῶν διετέλει καὶ σκεπτόμενος μετὰ τῶν φίλων, ὅπως ἂν ἐξαχέσαιτο τῆς βουλῆς καὶ τῶν ἀρίστων τὴν πρὸς αὐτὸν ὀργήν.*

(29) IV. Kal. Nov. [= 29 Octob. 696 = 12 Nov. 58 a. C.] de Ciceronis reditu promulgarunt tribuni. Deinde P. Lentulus cos. des. Ciceronis caussam suscipit. v. c. 16 sq.

Cic. ad Att. III. 23. 1. *In altera epistola, praeter consuetudinem tuam, diem non ascribis: sed satis significas tempus. Lege enim ab octo tribunis plebis promulgata, scribis te eas litteras eo ipso die dedisse, id est, a. d.* IV. *Kal. Novemb.* Schol. Bob. in Orat. pro Milone p. 288. *De Lentulo Spinthere loquitur, qui et ante consulatum amicissimus Ciceroni fuit. Hoc declarat ipse Tullius in epistola, quam ad eundem Lentulum scribit* [ad Fam. I. 7. 8.] »*Quia non solum temporibus his, quae per te sum adeptus, sed iam olim nascenti prope nostrae laudi dignitatique favisti.*" Cic. post redit. in senatu c. 4. 8. *Princeps P. Lentulus, parens ac deus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, hoc specimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen consulatus sui fore putavit, si me mihi, si meis, si vobis, si reipublicae reddidisset. Qui ut est designatus, numquam dubitavit sententiam de salute mea, se et republica dignam, dicere.*

(30) Cicero, quum ei spes reditus facta esset, Thessalonica (v. ad a. 696. 24.) redit Dyrrhachium circa VI. Kal. Dec. [= 25 Novbr. 696 = 9 Decbr. 58 a. C.] v. c. 11. 28.

Cic. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 1. 2.) *Nunc, quoniam sperare nos amici iubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo, quantoque fuerit facilius manere domi, quam redire. Sed tamen, si omnes tribunos plebis habemus, si Lentulum*

tam studiosum, quam videtur, si vero etiam Pompeium et Caesarem, non est desperandum. — Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum et adhuc retinet. — Valete. D. a. d. VI. *Kalendas Decembres. Dyrrhachii. Dyrrhachium veni, quod et libera civitas est et in me officiosa et proxima Italiae. Sed si offendet me loci celebritas, alio me conferam et ad te scribam.* ad Att. III. 22. 4. *Ad eos (Dyrrhachinos) perrexi. — Dat.* VI. [*Kal.*] *Decemb. Dyrrhachii.* Cfr. ad a. 697. 10.

(31) In provincias suas abeunt consules ex lege Clodia [v. ad a. 696. 8.]. Piso in Macedoniam, quam teterrime administravit: Gabinius in Syriam profectus, se ipsum, exercitum populi Romani, auctoritatem senatus, Ptolemaeo Auletae, Aegyptio regi vendidit. v. c. 18. 47. c. 35. 88.

Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 303. *Direptores provinciarum, Macedoniae scilicet et Syriae, Pisonem Gabiniumque volens pressius ostendere, congruentissima hac μεταφορᾷ vulturios nominavit: rapax animal et cruentissimum et ferme cadaverum laceratione pastum.* Cic. de provinc. consul. c. 2. 4. *Ad ipsas venio provincias, quarum Macedonia — sic a barbaris, quibus est propter avaritiam pax erepta, vexatur, ut Thessalonicenses, positi in gremio imperii nostri, relinquere oppidum et arcem munire cogantur. —* c. 3. 5. *Iam vero exercitus ille noster, superbissimo delectu et durissima conquisitione collectus omnis interiit. Magno hoc dico cum dolore. Miserandum in modum milites populi Romani capti, necati, deserti, dissipati sunt, incuria, fame, morbo, vastitate consumpti: — quis vestrum hoc non audivit, quis ignorat Achaeos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis? vectigal ac portorium Dyrrhachinorum totum in huius unius quaestum esse conversum? urbem Byzantiorum, vobis atque huic imperio fidelissimam, hostilem in modum esse vexatam? quo ille, postequam nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla vi a miseris extorquere potuit, cohortes in hiberna misit: his praeposuit, quos putavit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum.* cet. — 4. 9. *An vero in Syria diutius est Semiramis illa retinenda? cuius iter in provinciam fuit eiusmodi, ut rex Ariobarzanes consulem vestrum ad caedem faciendam tamquam aliquem Thracem conduceret. Deinde adventus in Syriam primus equitatus habuit interitum: post concisae sunt optimae cohortes. Igitur in Syria imperatore illo nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis, decisiones, direptiones, latrocinia, caedes, quum palam populi Romani imperator, instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi et empta et emenda esse clamaret.* cet. in Pison c. 16.

37. *Habebas (Piso) exercitum tantum, quantum tibi non senatus aut populus Romanus dederat, sed quantum tua libido conscripserat: aerarium exhauseras. Quas res gessisti in imperio, exercitu, provincia consulari? — nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces sociorum, non caedem hospitum, non perfidiam, non immanitatem, non scelera praedico:* — c. 17. 40. *Quid tandem erat actum aut gestum in illa provincia, de quo ad senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? Vexatio Macedoniae? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicae? an obsessio militaris viae? an exercitus nostri interitus ferro, fame, frigore, pestilentia.* — c. 21. 48. *Ecce tibi alter (Gabinius), effusa iam maxima praeda,* — *se ipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Aegyptio vendidit. Quum fines provinciae tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos mei capitis pretio periculoque emerat: his se tenere non potuit: exercitum eduxit ex Syria. Qui licuit extra provinciam? Praebuit se mercenarium comitem regi Alexandrino. Quid hoc turpius? In Aegyptum venit: signa contulit cum Alexandrinis. Quando hoc bellum aut hic ordo, aut populus susceperat? Cepit Alexandriam.* Cfr. ad a. 698. 9.

([32]) A. d. IV. Id. Decembr. [= 10 Decembr. 696 = 23 Dec. 58 a. C.] novi tribuni plebis magistratum ineunt, qui omnes de Cicerone revocando se promulgaturos confirmant, praeter Q. Numerium Rufum et Sex. Atilium Serranum. v. c. 18. 48. c. 30. 76.

Ascon. in Pisonian. p. 11. *Duos tribunos — quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebant, Sex. Atilium Serranum et Q. Numerium significat.* Schol. Bob. in Orat. pro Sextio p. 303. *Q. Numerius Rufus — fuit unus e collegio tribunorum restitutioni Ciceronis obnixe adversatus; cuius personam despiciens, quod esset non tantum statura depressus, verum etiam colore rubidus, nitedulam nominavit; quod videtur esse muris genus, ut apparet ex verbo in clausula huius capitis, quod dixit adrodere.* Cfr. ad a. 697. 2.

([33]) M. Aemilius Scaurus h. a. aedilitatem summa magnificentia gessit, theatrumque aedificavit, quod opus fuit maximum omnium, quae umquam fuere humana manu facta. II. c. 22. 60.

Cicero pro Sextio c. 54. 116. *Ex te igitur, Scaure, potissimum quaero, qui ludos apparatissimos magnificentissimosque fecisti, ecquis istorum popularium tuos ludos aspexerit, ecquis se theatro populoque commiserit.* ad q. l. Schol. Bob. p. 304. *De aedilitate M. Scauri et opulentia ludorum plenissime dixit in ea oratione, qua ipsum quoque M. Scaurum defendit.* [Qui locus adhuc desideratur in reliquiis huius Orationis.] Ascon. in Orat. pro Scauro p. 18. *M. Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps senatus fuit, vitricum habuit Sullam: — Aedilitatem summa magnificentia gessit, adeo, ut in eius impensas opes suas absumpserit magnumque aes alienum contraxerit.* Plinius H. N. VIII. c. 17. (24.) *Primus Scaurus aedilitate sua (pantheras Africanas) varias centum quinquaginta universas misit.* Ibid. c. 26. (40.) *Primus eum (hippopotamum), et quinque crocodilos Romae aedilitatis suae ludis M. Scaurus temporario euripo ostendit.* XXXIV. c. 7. (17.) *In M. Scauri aedilitate tria millia signorum in scena tantum fuere temporario theatro.* XXXV. c. 11. (40. 24.) *Tabulas inde (Sicyone) e publico omnes propter aes alienum civitatis addictas, Scauri aedilitas Romam transtulit.* XXXVI. c. 2. *Trecentas sexaginta columnas M. Scauri aedilitate ad scenam theatri temporarii et vix uno mense futuri in usu, viderunt portari; — atque adeo duodequadragenum pedum Lucullei marmoris.* XXXVI. c. 15. (24. 7.) *Non patiemur duos Caios, vel duos Nerones, ne hac quidem gloria famae frui: docebimusque etiam insaniam eorum victam privatis operibus M. Scauri, cuius nescio an aedilitas maxime prostraverit mores civiles, maiusque sit Sullae malum, tanta privigni potentia, quam proscriptio tot millium. Hic fecit in aedilitate sua opus maximum omnium, quae umquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam aeternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem* CCCLX *columnarum. — Ima pars scenae e marmore fuit: media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae: summa, e tabulis inauratis. Columnae, ut diximus* [XXXVI. c. 2.], *imae duodequadragenum pedum. Signa aerea inter columnas, ut indicavimus* [XXXIV. c. 7. (17.)], *fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum* LXXX *millia: quum Pompeiani theatri toties multiplicata Urbe, tantoque maiore populo, sufficiat large quadraginta millibus. Sed et reliquus apparatus, tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quae superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis, concremaretur ad H-S millies.*

ANNUS VITAE CICERONIS L.

[Kal. Ian. incid. in d. 12 Ianuar. 57 a. C.]

a. U. C.	Coss. P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.	a. A. C.
697.	Q. CAECILIUS METELLUS NEPOS.	57.

(1) Kalendis Ianuariis [= 1 Ian. 697 = 12 Ian. 57 a. C.] P. Lentulus cos. simulac de solenni religione retulit, nihil humanarum rerum prius, quam de Cicerone agendum iudicavit. v. c. 17. 46. c. 19. 49.

Cic. in Pison. c. 15. 34. *Me Kalendis Ian. — frequentissimus senatus, concursu Italiae, referente clarissimo atque fortissimo viro, P. Lentulo, consentiente populo Romano, atque una voce revocavit.* post redit. in sen. c. 3. 5. *Postea vero quam singulari et praestantissima virtute P. Lentuli consulis ex superioris caligine anni et tenebris lucem in republica Kal. Ian. dispicere coepistis: — tantus vester consensus de salute mea fuit, ut corpus abesset meum, dignitas iam in patriam revertisset.* pro Domo sua c. 27. 70. *Hanc tu, P. Lentule, neque privatus neque consul legem esse umquam putasti. Nam tribunis plebis referentibus, sententiam de me designatus consul* [v. ad a. 696. 29.] *saepe dixisti: ex Kalendis Ianuariis, quoad perfecta res est, de me retulisti, legem promulgasti, tulisti.*

(2) Quum et Cotta et Pompeius et multi alii certatim, alius alio ornatius de Ciceronis salute dixisset, v. c. 20. 51 sqq. eo die confecta res esset, nisi Sex. Atilius tribunus plebis (v. ad a. 696. 32.), non ausus intercedere, noctem sibi ad deliberandum postulasset. v. c. 21. 54.

Cic. pro Domo sua c. 26. 68. *Hoc vidit in sententia dicenda Kalendis Ianuariis vir prudentissimus, et quum reipublicae, tum mihi, tum etiam veritati amicissimus, L. Cotta, qui legem de meo reditu ferendam non censuit: qui me consuluisse reipublicae, cessisse tempestati, amiciorem vobis ceterisque civibus, quam mihi ac meis extitisse, vi, armis, dissensione hominum ad caedem instituta novoque dominatu pulsum esse dixit: nihil de meo capite potuisse ferri: nihil esse scri-*

ptum aut posse valere: omnia contra leges moremque maiorum temere, turbulente, per vim, per furorem esse gesta. Quod si illa lex esset, nec referre ad senatum consules, nec sententiam dicere sibi licere: quorum utrumque quum fieret, non oportere, ut de me lex ferretur, decerni: ne illa, quae nulla esset, esse lex iudicaretur. — c. 32. 84. *Me L. Cotta, homo censorius, in senatu iuratus dixit, se si censor tum esset, quum ego aberam, meo loco senatorem recitaturum fuisse.* de Legib. III. c. 19. 45. *Quo verius in nostra caussa vir magno ingenio summaque prudentia, L. Cotta, dicebat, nihil omnino actum esse de nobis: praeter enim quam quod comitia illa essent armis gesta servilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse posse, neque ulla privilegii: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 81. *Ipso referente Pompeio rediit, eumque civili bello secutus est.* Dio XXXIX. c. 6. 1. *Πομπήιος δὲ ἐν τούτῳ τὴν κάθοδον τῷ Κικέρωνι ψηφισθῆναι διεπράξατο. ὃν γὰρ διὰ τοῦ Κλωδίου ἐξεληλάκει, τοῦτον ἐπ' αὐτὸν ἐκεῖνον ἐπανήγαγεν· οὕτω που τὸ ἀνθρώπειον δι' ὀλίγου τε ἔστιν ὅτε μεταβάλλεται, καὶ ἀφ' ὧν ὠφεληθήσεσθαί τινες ἢ καὶ βλαβήσεσθαι νομίζουσι, τὰ ἐναντιώτατα ἀντιλαμβάνουσιν. συνέπραττον δὲ ἀπὸ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν δημάρχων ἄλλοι τε καὶ Τίτος Ἄννιος Μίλων, οἵπερ που καὶ τὴν γνώμην ἐς τὸ πλῆθος ἐσήνεγκαν· ὁ γὰρ Σπινθὴρ ὁ ὕπατος τὸ μέν τι καὶ τῷ Πομπηίῳ χαριζόμενος, τὸ δὲ καὶ ἐξ ἰδίας ἔχθρας τὸν Κλώδιον ἀμυνόμενος, ὑφ' ἧς καὶ τὴν μοιχείαν αὐτοῦ δικάζων κατεγνώκει, ... καὶ ἐκείνῳ δὲ ἄλλοι τε τῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὄντων ὑπῆρχον καὶ ὁ ἀδελφὸς Ἄππιος Κλαύδιος στρατηγῶν, ὅ τε Νέπως ὁ ὕπατος ἀπ' οἰκείας τινὸς ἔχθρας τὸν Κικέρωνα μισῶν.*

(3) Postea quum variis rationibus res impediretur, voluntate tamen perspecta senatus, caussa ad populum delata est VIII. Kal. Febr. [= 23 Ian. 697 = 3 Febr. 53 a. C.]. At Clodiani, eo die caede in foro maxima facta, pulso Fabricio et Cispio vulneratoque Sextio et Quinto Cicerone, flumine sanguinis reditum Ciceronis intercludendum putaverunt. v. c. 22. 55.

Cic. ad Quir. post redit. c. 5. 12. *Postea res acta est in senatu alia nulla; et quum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perspecta senatus, caussa ad vos mense Ian. deferebatur. — At inimici mei, mense Ian. quum de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt.* pro Milone

c. 14. 38. *Clodium si interficere voluisset Milo, quoties et quantae occasiones, quam praeclarae fuerunt! Potuitne, quum domum ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, iure se ulcisci? potuitne, cive egregio et viro fortissimo, P. Sextio, collega suo, vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, quum de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro caede facta? potuitne, L. Caecilii, iustissimi fortissimique praetoris, oppugnata domo?* Plutarch. Cic. c. 33. 2. *Τῶν δὲ περὶ Λέντλον ὑπατευόντων καὶ τῆς στάσεως πρόσω βαδιζούσης, ὥστε τρωθῆναι μὲν ἐν ἀγορᾷ δημάρχους, Κόϊντον δὲ τὸν Κικέρωνος ἀδελφὸν ἐν τοῖς νεκροῖς ὡς τεθνηκότα κείμενον διαλαθεῖν, ὅ τε δῆμος ἤρχετο τρέπεσθαι τῇ γνώμῃ καὶ τῶν δημάρχων Ἄννιος Μίλων πρῶτος ἐτόλμησε τὸν Κλώδιον εἰς δίκην ἀπάγειν βιαίων.* Dio XXXIX. c. 7. 1. *Οὗτοί τε οὖν ἐπὶ πλέον ἢ πρὶν, ἅτε καὶ ἡγεμόνας τοὺς ὑπάτους ἔχοντες, καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐν τῇ πόλει διαστάντες πρὸς ἑκατέρους ἐθορύβουν. καὶ ἄλλα τε ἐκ τούτου οὐκ ἐν κόσμῳ πολλὰ ἐγίγνετο, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ διαψηφίσει ὁ Κλώδιος γνοὺς τὸ πλῆθος πρὸς τοῦ Κικέρωνος ἐσόμενον, τοὺς μονομάχους οὓς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ πρὸς ἀγῶνας ἐπιταφίους ἐπὶ τῷ Μάρκῳ τῷ συγγενεῖ προπαρεσκεύαστο λαβὼν ἐσεπήδησεν ἐς τὸν σύλλογον καὶ πολλοὺς μὲν ἔτρωσε πολλοὺς δὲ καὶ ἔκτεινεν. οὔτ' οὖν ἡ γνώμη ἐκυρώθη, καὶ ἐκείνοις ὡς δορυφόροις συνὼν φοβερὸς καὶ ἐς τὰ ἄλλα πᾶσιν ἦν —.*

(4) Adiuvantibus Ciceronis caussam omnibus fere tribunis plebis, inprimis Q. Fabricio, M. Cispio v. c. 22. P. Sextio c. 23. (cfr. VI. c. 18. 45.) T. Annio Milone c. 24 sq. aliis, item praetoribus c. 26. senatus decrevit ut litteris consularibus ex senatusconsulto omnes, qui rempublicam salvam vellent, cuncta ex Italia Romam convocarentur. v. c. 27. addiditque ut sociis populi Romani gratiae agerentur, qui Ciceronem optime de republica meritum recepissent: utque huius salutem et vitam tuerentur, qui provincias cum imperio obtinerent, quique quaestores legatique essent. v. c. 32. 81. c. 35. 90.

Cic. pro Domo sua c. 28. 73. *Senatus decrevit, ut omnes, qui rem publicam salvam esse vellent, ad me unum defendendum venirent, ostenditque, nec stare potuisse rempublicam, si ego non fuissem, nec futuram esse ullam, si non rediissem.* c. 32. 95. *Quis me non modo civis, sed socius recipere contra tuam legem et iuvare dubitavit? Deni-*

que universus senatus multo ante, quam est lata lex de me, gratias agendas censuit civitatibus iis, quae M. Tullium: tantumne? immo etiam, civem optime de republica meritum recepissent. De numero SCtorum, quae facta fuerint ad restituendum Ciceronem, non convenit inter interpretes. MANUTIUS, qui quinque sibi invenire visus est, haec scribit ad Orat. pro Sextio c. 61. »Quinque de Cicerone restituendo Senatusconsulta esse facta, et hic, et in ea post reditum in senatu planum fit: unum, ut ab omni Italia, qui rempublicam salvam vellent, ad Ciceronem restituendum et defendendum Romam venirent: cuius et hic, et in ea post reditum in senatu c. 9. fit mentio. Alterum, quod utroque consule referente, in Capitolio, Iovis in templo, de revocando Cicerone factum est: quod et hic, et in eadem post reditum c. 10. et pro domo c. 6. nominatur. Tertium, quod in curia; ne quis, ad impediendam legem, de caelo servaret; ne quis moram ullam afferret: de quo et hic, et in eadem post reditum c. 11. Quartum, ut iis, qui ex municipiis venerant, agerentur gratiae, atque ut iidem ad res redeuntes, ut venirent, rogarentur: de quo item hic et in eadem c. 11. Quintum supra c. 54. demonstravit in eo loco, *quum in templo Virtutis honos habitus esset virtuti:* de quo mentionem praetermitti in ea post reditum in senatu, quum cetera nominentur, valde miror, quum praesertim in eo de eius reditu decretum sit. Postea, centuriatis comitiis, a P. Lentulo consule, magistratibusque cunctis, praeter unum praetorem, App. Claudium, P. Clodii fratrem, et duos tribunos plebis, Sex. Atilium Serranum et Numerium Quintum, pridie Nonas Sext. lata lex est." — FERRATIUS, qui tria omnino facta esse opinatur, sic disputat Epist. III. 13. p. 212. (Venet. 1738. 4°.) »Tria omnino video facta SCta de Cicerone: Primum in monumento Marii, de quo pro Sext. c. 54. Id tria complectebatur: 1) ut iis gratiae agerentur, qui Ciceronem patria eiectum exceperant; 2) ut magistratibus provinciarum et nationibus exteris salus eiusdem consularibus litteris commendaretur; 3) ut cuncta ex Italia omnes, qui remp. salvam vellent, convocarentur. Alterum, quod in templo Iovis O. M. factum est § 129., ut consules legem comitiis centuriatis ferrent de Cicerone ab exsilio revocando, quum facta fuisset discessio in Cn. Pompeii sententiam, uno dissentiente P. Clodio. Tertium *quod est postridie decretum in curia* cet. § 129., ne quis ad impediendam legem de caelo servaret, et ut agerentur iis gratiae, qui ex Italia convenerant, iidemque rogarentur, ut redirent, quo die lex de Cicerone ferenda esset. Haec duo ultima uno SCto coniuncta fuisse e verbis Cic. apparet c. 62. in.: *decrevit eodem tempore senatus* cet. et ex eo, quod illud SCtum *admonitu eorum, qui e municipiis convenerant*, factum esse dicitur." Cfr. Barn. Brissonius de Formulis II. c. 125. p. 210 sqq.

(5) Quum igitur Ciceronis capitis servandi caussa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenisset, Lentulus cos. frequentissimum senatum in Capitolium convocat: ibique Metellus, alter cos. qui Ciceroni vel maxime ex magnis contentionibus reipublicae fuerat inimicus, permotus quum auctoritate senatus, tum P. Servilii incredibili gravitate dicendi, absens cum Cicerone rediit in gratiam. v. c. 19. 50. c. 28. 70. c. 30. 76. c. 34. 86.

Cic. ad Quirit. post red. c. 6. 15. *Hoc duce (P. Lentulo) et collega eius, clementissimo atque optimo viro, primo non adversante, post etiam adiuvante, reliqui magistratus paene omnes fuerunt defensores salutis meae. — Eodemque P. Lentulo auctore, et pariter referente collega, frequentissimus senatus — dignitatem meam, quibus potuit, verbis amplissimis ornavit, salutem vobis, municipiis coloniisque omnibus commendavit.* de provinc. cons. c. 9. 22. *Quid? Q. Metellus Nepos, nonne consul in templo Iovis Optimi Maximi, permotus quum auctoritate vestra, tum illius P. Servilii incredibili gravitate dicendi, absens mecum summo suo beneficio rediit in gratiam?* Dio XXXIX. c. 8. 2. *Ὁ οὖν Νέπως φοβηθεὶς πρός τε τοῦ συνάρχοντος καὶ πρὸς τοῦ Πομπηίου τῶν τε ἄλλων τῶν πρώτων μετεβάλετο.*

(6) Quo die senatus, auctore Pompeio, iudicavit rempublicam Ciceronis consiliis esse conservatam. v. c. 27. 68. c. 28. 71. c. 33. 84. Quod SCtum, in monumento Marii factum, eodem die populus, frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobavit. v. c. 30. 77. c. 31. 79.

Cic. pro Plancio c. 32. 78. *An, quum populus Romanus illo senatusconsulto, quod in monumento Marii factum est, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerit, — ei ego a me referendam gratiam non putem?* Valer. Max. I. c. 7. 5. *In aede Iovis Mariana Senatusconsultum de reditu eius (Ciceronis) est factum.* Schol. Bob. ad Orat. pro Sextio p. 305. *Ea scilicet die, qua spectatum venerat ludos Honoris atque Virtutis, qui celebrantur in memoriam et honorem C. Marii, a quo res bello Cimbrico feliciter gestae sunt. Iisdem ludis etiam populus dignitati Ciceronis ad restitutionem suffragatus est.* Cic. pro Sextio c. 55. 118. *Et, quoniam facta mentio est ludorum, ne illud quidem praetermittam, in magna varietate sententiarum num-*

quam ullum fuisse locum, in quo aliquid a poeta dictum cadere in tempus nostrum videretur, quod aut populum universum fugeret aut non exprimeret ipse actor. — c. 56. 123. *Quid fuit illud, quod recenti nuntio de illo senatusconsulto, quod factum est in templo Virtutis, ad ludos scenamque perlato, consessu maximo, summus artifex et mehercule semper partium in republica, tamquam in scena, optimarum, flens et recenti laetitia et mixto dolore ac desiderio mei, egit apud populum Romanum multo gravioribus verbis meam caussam, quam egomet de me agere potuissem?* ad q. l. Schol. Bob. p. 305. *Re vera quidem Senatusconsultum de Cicerone revocando factum esse in Capitolio dicitur; quo magis movemur adseveratione Ciceronis, qui nunc dicat in templo Virtutis hoc esse decretum, quum tempore ludorum, qui Virtutis et Honoris dicebantur, adclamationes populi reditum M. Tullii flagitaverint, senatus vero nihil ibidem statuerit: nisi si et ibi forte decretum est.* Ibid. *Actor illis temporibus nobilissimus tragicarum fabularum Aesopus egisse videtur Accii fabulam, quae inscribitur Eurysace; ita ut per omnem actionis cursum tempora reipublicae significarentur, et quidem Ciceronis fortuna deploraretur. Ex quo illud probare contendit, omnes prorsus homines etiam infimae plebis restitutioni suae promptissime refragatos.* Cfr. Gasp. Garatonius, *Diatribe de C. Marii monumento, ad Cic. pro Sextio* c. 54 *et pro Plancio* c. 32. repetita in Orellii editione Orat. Plancianae, Lipsiae 1825. p. 275—285.

(7) Postridie, i. e. pridie Non. Sextil. [= 4 Sext. (Aug.) 697 = 10 Aug. 57 a. C.] Lentulus comitia centuriata in Campo Martio habet. Populus, legem inprimis suadente Pompeio, Servilio, Gellio, Ciceronem ab exsilio revocat, omnium centuriarum consensu. v. c. 27. 67. c. 29. 72 sqq. c. 34. 87. VI. c. 1. 2.

Livius Epit. 104. *M. Cicero, Pompeio inter alios orante, et T. Annio Milone tribuno plebis agente, ingenti gaudio senatus ac totius Italiae, ab exsilio reductus est.* Cic. ad Quir. post redit. c. 6. 16. *Ita me, nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, consules, praetores, tribuni plebis, senatus, Italia cuncta semper a vobis deprecata est: denique omnes, qui vestris maximis beneficiis honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eadem, non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt.* ad Att. IV. 1. 4. *Pridie Nonas Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis.* Dio XXXIX. c. 8. 2. *Καὶ οὕτως ἡ τε γερουσία κατελθεῖν τὸν Κικέρωνα τοῦ Σπινθῆρος*

ἐσηγησαμένου προεβούλευσε, καὶ ὁ δῆμος ἀμφοτέρων τῶν ὑπάτων ἐσενεγκόντων ἐψηφίσατο. ἀντέλεγε μὲν γὰρ πρὸς αὐτοὺς Κλώδιος, ἀλλ' ἐκείνῳ τε ὁ Μίλων ἀντέκειτο, ὥστε μηδὲν βίαιον δρᾶσαι, καὶ τῷ νόμῳ ἄλλοι τε καὶ ὁ Πομπήιος συνεῖπον, ὥστε πολὺ κρείττους αὐτοὺς γενέσθαι. Plutarch. Cic. c. 33. 2. Καὶ Πομπηίῳ πολλοὶ συνῆλθον ἔκ τε τοῦ δήμου καὶ τῶν πέριξ πόλεων· μεθ' ὧν προελθὼν καὶ τὸν Κλώδιον ἀναστήσας ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐπὶ τὴν ψῆφον ἐκάλει τοὺς πολίτας. Καὶ λέγεται μηδέποτε μηδὲν ἐκ τοσαύτης ὁμοφροσύνης ἐπιψηφίσασθαι τὸν δῆμον. Idem Pomp. c. 49. 3. Τοῖς δὲ Κικέρωνα καταγαγεῖν ἀξιοῦσιν, ἄνδρα καὶ Κλωδίῳ πολεμιώτατον καὶ τῇ βουλῇ προσφιλέστατον, ἐπείσθη· καὶ προαγαγὼν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ δεόμενον σὺν χειρὶ πολλῇ, τραυμάτων ἐν ἀγορᾷ γενομένων καί τινων ἀναιρεθέντων, ἐκράτησε τοῦ Κλωδίου.

(8) Eodem die in curia senatus decrevit, ne quis de caelo servaret, ne quis moram ullam afferret; addidit etiam illud, nisi diebus quinque, quibus agi de Cicerone potuisset, esset actum, rediret in patriam; simulque decrevit, ut et iis, qui ex tota Italia salutis Ciceronis caussa convenerant, agerentur gratiae, et qui Ciceronem in exsilio fovissent. v. c. 30. 76. c. 33. 85 sq.

Cic. post redit. in senat. c. 11. 27. *Ad haec non modo adiumenta salutis, sed etiam ornamenta dignitatis meae reliqua vos iidem addidistis: decrevistis, ne quis ulla ratione rem impediret: qui id impedisset, graviter molesteque laturos: illum contra rempublicam salutemque bonorum concordiamque civium facturum: et ut ad vos de eo statim referretur: meque, etiam si diutius calumniarentur, redire iussistis. Quid? ut agerentur gratiae, qui e municipiis venissent? quid? ut ad illam diem, res quum redissent, rogarentur, ut pari studio convenirent?* Plutarch. Cic. c. 33. 2. Ἡ δὲ σύγκλητος ἀμιλλωμένη πρὸς τὸν δῆμον ἔγραψεν ἐπαινεθῆναι τὰς πόλεις, ὅσαι τὸν Κικέρωνα παρὰ τὴν φυγὴν ἐθεράπευσαν.

(9) Hoc fere tempore in Q. Metelli honorem funebrem Q. Metellus Scipio dedit spectaculum gladiatorium. v. c. 31. 80.

Schol. Bob. ad Orat. pro Sextio p. 306. *Scipio hic, cuius facit mentionem, postea Cn. Pompeii socer fuit, in exitu belli civilis sua manu interemptus: adoptione tamen venit in familiam Metellorum: et quum*

illi fuisset nomen in praeteritum gentile scilicet et naturae Cornelio Scipioni, reformatum est, ut esset Q. Metellus Scipio. Ab hoc editum gladiatorium spectaculum dicit in honorem funebrem Q. Metelli.

(10) Cicero ipso illo die, quo lex lata est, profectus est Dyrrhachio (ubi inde a. d. 25 Novbr. 696 = 9 Decbr. 58 a. C. moratus fuerat, v. ad a. 696. 30) venitque Brundisium Nonis Sextil. [= 5 Sext. (Aug.) 697 = 11 Aug. 57 a. C.] Tulliae suae natali. Ibi VI. Id. Sext. [= 8 Sext. (Aug.) 697 = 14 Aug. 57 a. C.] litteris Quinti fratris cognovit legem mirifico studio omnium aetatum atque ordinum esse perlatam. VI. c. 1. 2.

Cic. pro Sextio c. 63. 131. *Quum ipsis Nonis Sext. idem dies adventus mei fuisset reditusque, natalis idem carissimae filiae — idem etiam ipsius coloniae Brundisinae, idem Salutis, ut scitis:* cet.

(11) Brundisio relicto profectus est, ut videtur, Neapolin, inde Capuam, Sinuessam, Minturnas, Formias, Terracinam et demum Ariciam, exceptus ubique summa omnium municipiorum, praefecturarum, coloniarum gratulatione et plausu. Romam autem accedenti Ciceroni pridie Non. Sept. [= 4 Sept. 697 = 8 Sept. 57. a. C.] omnis omnium bonorum multitudo obviam ivit, VI. c. 2 sq. quae ipsum, quum per XVI menses in exsilio fuisset, tanta laetitia tantoque studio domum suam reduxit, ut vere dicere potuerit se *humeris Italiae Romam esse reportatum.* I. c. 7. 19. V. c. 34. 87.

Velleius II. c. 45. 3. *Idem (Cicero) intra biennium sera Cn. Pompeii cura, verum, ut coepit, intenta, votisque Italiae ac decretis senatus, virtute atque actione Annii Milonis tribuni plebis, dignitati patriaeque restitutus est.* Plutarch. Cic. c. 33. 3. *Κατῆει δὲ Κικέρων ἑκκαιδεκάτῳ μηνὶ μετὰ τὴν φυγήν· καὶ τοσαύτη τὰς πόλεις χαρὰ καὶ σπουδὴ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἀπάντησιν εἶχεν, ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. Ἔφη γάρ αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν φέρουσαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν.* Appian. B. C. II. c. 16. *Κικέρων μὲν δὴ — κατῆει, ἑκκαιδεκάτῳ μάλιστα μηνὶ τῆς ἐξελάσεως. — Λαμπρῶς δ' αὐτὸν περὶ*

τὰς πύλας ὑποδεχομένων πάντων, φασὶ περὶ τὰς δεξιώσεις τὴν ἡμέραν ὅλην—ἀναλῶσαι. Recte Ferratius Epp. p. 211. »Quodsi absentiae Ciceronis menses numerentur, septemdecim, si vero exsilii, secundum Appianum sexdecim omnino esse nemo non videt."

(12) Postridie, qui fuit dies Non. Septemb. [= 5 Septbr. 697 = 9 Septbr. 57 a. C.], senatui gratias egit ea Oratione, quae *post reditum in senatu* inscripta exstat; deinde populo, altera Oratione, quae *ad Quirites post reditum* inscribitur. VI. c. 4. 7 sq.

Dio XXXIX. c. 9. 1. Κατῆλθέ τε οὖν ὁ Κικέρων, καὶ χάριν τῇ τε βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, παρασχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων, καὶ κατὰ τὸ συνέδριον καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἔγνω. Schol. Bob. ad Orat. pro Plancio p. 253. (*Cicero*) *dein postea restitutus inter ceteros et ipsi* (*Cn. Plancio*) *gratias egit iis orationibus, quarum alteram in concione, alteram vero habuit in senatu.*

(13) Statim post Ciceronis reditum quum esset annonae summa caritas, eaque re Clodius novas exciţare conaretur seditiones, Cicero senatui auctor fuit ut cura annonae per universum orbem in quinquennium committeretur Pompeio. Qui quum suscepto negotio XV postulasset legatos et in his principem nominasset M. Ciceronem, hic locum suum Q. fratri (v. ad a. 698. 2.) concessit. VI. c. 5. 9 sqq.

Livius Epit. 104. *Cn. Pompeio per quinquennium annonae cura mandata est.* Ascon. in Milon. p. 48. *L. Caecilius Rufus — fuit praetor P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote coss., quo anno Cicero restitutus est. Is quum faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi caussa consederant, pellerentur.* Cic. pro Domo sua c. 3. 6. *Ego vero neque veni et domo me tenui, quamdiu turbulentum tempus fuit: quum servos tuos ad rapinam, ad bonorum caedem paratos, cum illa tua conceleratorum ac perditorum manu armatos etiam in Capitolium tecum venisse constabat. Quod quum mihi nuntiaretur, scio me domi mansisse et tibi et gladiatoribus tuis instaurandae caedis potestatem non fecisse. Posteaquam mihi nuntiatum est, populum Romanum in Capitolium propter metum atque inopiam rei frumentariae convenisse; ministros autem scelerum tuorum perterritos, partim amissis gladiis, partim ereptis, diffugisse; veni non solum sine ullis copiis ac*

manu, verum etiam cum paucis amicis. — c. 5. 10. *Utrum caussa capiendi novi consilii non fuit? — Quae res, quae caussa maior esse, quam fames, potuit? quam seditio? — Quum ingravesceret annona, ut iam plane inopia ac fames, non caritas timeretur, concursus est ad templum Concordiae factus, senatum illuc vocante Metello consule.* Plinius Paneg. c. 29. *Huius (annonae) aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriae, quam pulsus ambitus Campo, exactus hostis mari, oriens triumphis occidensque illustratus.* Cassiodorus Variar. VI. 18. *Non immerito Pompeius fertur, copiae quantitate provisa, usque ad rerum pervenisse fastigia: quia merito singularis est amor populi, quum potuit a penuria liberari. Hinc ille gratificationem meruit plausumque populorum. Hinc unice semper amatus est, et in gratia civium, omnium vicit facta maiorum: qui ne aliquando inhonore diceretur, cum nominis taxatione vocabatur et Magnus.* Dio XXXIX. c. 9. 2. *Λιμοῦ ἐν τῇ πόλει ἰσχυροῦ γενομένου, καὶ τοῦ ὁμίλου παντὸς ἑς τε τὸ θέατρον (μόνῳ δὲ δὴ καὶ τότε ἔτι θεάτρῳ ἐς τὰς πανηγύρεις ἐχρῶντο) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐπὶ τοὺς βουλευτὰς συνεδρεύοντας ἐσπηδήσαντος, καὶ τοτὲ μὲν ἐν χερσὶν αὐτοὺς ἀποσφάξειν τοτὲ δὲ καὶ καταπρήσειν σὺν αὐτοῖς τοῖς ναοῖς ἀπειλοῦντος, (ὁ Κικέρων) ἔπεισέ σφας ἐπιμελητὴν τοῦ σίτου τὸν Πομπήιον προχειρίσασθαι, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἀρχὴν αὐτῷ ἀνθυπάτου καὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἔξω ἐπὶ πέντε ἔτη δοῦναι.* Appian. B. C. II. c. 18. *Ῥωμαῖοι δὲ, λιμῷ πιεζόμενοι, Πομπήιον εἵλοντο τῆς ἀγορᾶς αὐτοκράτορα εἶναι· καὶ οἱ — εἴκοσιν ἀπὸ τῆς βουλῆς ὑπηρέτας ἔδωκαν. Ὁ δὲ αὐτοὺς ὁμοίως ἐς τὰ ἔθνη διαθεὶς ἐπέτρεχε, καὶ τὴν Ῥώμην αὐτίκα ἐνέπλησεν ἀγορᾶς δαψιλοῦς.* Plutarch. Pomp. c. 49. 4. *Καὶ νόμῳ κατελθὼν ὁ Κικέρων τήν τε βουλὴν εὐθὺς τῷ Πομπηίῳ διήλλαττε καὶ τῷ σιτικῷ νόμῳ συνηγορῶν τρόπῳ τινὶ πάλιν γῆς καὶ θαλάττης, ὅσην ἐκέκτηντο Ῥωμαῖοι, κύριον ἐποίει Πομπήιον· ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἐγίγνοντο λιμένες, ἐμπόρια, καρπῶν διαθέσεις, ἑνὶ λόγῳ, τὰ τῶν πλεόντων πράγματα, τὰ τῶν γεωργούντων.* Zonaras X. c. 5.

(14) Secuta est summa contentio de domo Ciceronis, quam Clodius [v. ad a. 696. 17.] Libertati consecraverat. VI. c. 6. 12. De cuius religione quum senatus decrevisset ut ad pontificum collegium referretur, Cicero pridie Kalend. Octob. [= 29 Sept. 697 = 3 Octob. 57 a. C.] *pro domo sua* dixit apud pontifices. Kalendis Octob. et postridie [= 1 et 2 Oct. 697 = 4 et 5 Octob. 57 a. C.] decrevit senatus fer-

quentissimus ut Ciceroni domus in Palatio, villae Tusculana et Formiana [v. ad a. 696. 17.] publice restituerentur, et porticus, quam de manubiis Cimbricis [v. ad a. 653. 3.] fecerat Catulus. VI. c. 9. 21 sqq.

Plutarch. Cic. c. 33. 2. *Ἡ δὲ σύγκλητος — ἔγραψεν — τὴν οἰκίαν αὐτῷ καὶ τὰς ἐπαύλεις, ἃς Κλώδιος διεφθάρκει, τέλεσι δημοσίοις ἀνασταθῆναι.* Dio XXXIX. c. 11. 1. *Κικέρων μὲν οὖν αὖθις ἀνεβλάστανε, καὶ τήν τε ἄλλην οὐσίαν καὶ τὸ ἔδαφος τῆς οἰκίας, καίτοι τῇ Ἐλευθερίᾳ ἀνειμένον, καὶ τοῦ Κλωδίου καὶ ἐπιθειάζοντος καὶ ἐς ἐνθυμίαν αὐτῷ προβάλλοντος, ἐκομίσατο. τὴν γὰρ ἐσφορὰν τοῦ φρατριατικοῦ νόμου, παρ' ἣν ἐκ τῶν εὐπατριδῶν ἐς τὸ πλῆθος ἐπεποίητο, διαβάλλων ὡς οὐκ ἐν τοῖς ὡρισμένοις ἐκ τῶν πατρίων χρόνοις ἐκτεθέντος αὐτοῦ, τήν τε δημαρχίαν τοῦ Κλωδίου πᾶσαν, ἐν ᾗ καὶ τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν ἐδέδοκτο, κατέλυε, λέγων οὐχ οἷόν τε εἶναι, τῆς μεταστάσεως αὐτοῦ τῆς ἐς τὸν ὅμιλον παρανόμως γεγενημένης, ὑγιές τι τῶν ἐν αὐτῇ πραχθέντων νομίζεσθαι, καὶ ἔπεισε διὰ τούτου τοὺς ποντιφικας τὸ ἔδαφός οἱ ὡς καὶ ὅσιον καὶ βέβηλον ὂν ἀποδοῦναι. καὶ οὕτω καὶ ἐκεῖνο καὶ χρήματα ἔς τε τὴν τῆς οἰκίας κατασκευὴν, καὶ εἴ δή τι ἄλλο τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἐλελύμαντο, ἔλαβεν.*

(15) Ab hoc inde tempore Cicero alterius vitae quoddam initium orditur, et omne fere tempus ad studia recolenda sumit. VI. c. 12. 28 sqq.

(16) Caesari propter rem in Gallia feliciter gestam, ex sententia Ciceronis, supplicatio decernitur quindecim dierum. VII. c. 43. 112.

Cic. pro Balbo c. 27. 61. *C. Caesarem senatus et genere supplicationum amplissimo ornavit et numero dierum. — Harum ego sententiarum et princeps et auctor fui.* de provinc. cons. c. 10. 25. *Vos enim (Patres Conscripti) C. Caesari supplicationes decrevistis; numero, ut nemini uno ex bello: honore, ut omnino nemini.* c. 16. 38. *Ego vos intelligo, P. C., multos decrevisse honores eximios C. Caesari et prope singulares. — C. Iulius omnibus a senatu eximiis ac novis rebus ornatus.* in Pison. c. 25. 59. *Quid est, Caesar, quod te supplicationes toties decretae tot dierum tanto opere delectent?* Caesar B. G. II. c. 35. *His rebus gestis omni Gallia pacata — legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est. Ob easque res, ex litteris Caesaris, dies* XV *sup-*

plicatio decreta est; quod ante id tempus accidit nulli. Plutarch. Caes. c. 21. 1. *Ταῦτα ἡ σύγκλητος πυθομένη πεντεκαίδεκα ἡμέρας ἐψηφίσατο θύειν τοῖς θεοῖς καὶ σχολάζειν ἑορτάζοντας, ὅσας ἐπ' οὐδεμίᾳ νίκῃ πρότερον.* Dio XXXIX. c. 5. 1. *Ἐπειδὴ δὲ οὗτοί τε κατεστράφατο, καὶ ἄλλοι οἱ μὲν ὑπ' αὐτοῦ οἱ δὲ καὶ διὰ τῶν ὑποστρατήγων συχνοὶ ἐκεχειρώντο, ὅ τε χειμὼν ἐνέστη, ἀνεχώρησεν ἐς τὰ χειμάδια. μαθόντες δὲ ταῦθ' οἱ οἶκοι Ῥωμαῖοι ἐθαύμασαν ὅτι ἔθνη τοσαῦτα, ὧν οὐδὲ τὰ ὀνόματα πρότερον ἠκρίβουν, ἠρήκει, καὶ ἐψηφίσαντο πεντεκαίδεκα ἐπ' αὐτοῖς ἡμέρας θῦσαι, ὅπερ οὔπω πρότερον ἐγεγόνει.*

ANNUS VITAE CICERONIS LI.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 1 Ianuar. 56 a. C.]

a. U. C.	Coss. CN. CORNELIUS LENTULUS MARCELLINUS.	a. A. C.
698.	L. MARCIUS PHILIPPUS.	56.

(1) Initio anni Cicero Oratione habita de *rege Alexandrino*, in senatu egit ut P. Lentulo, Ciliciae proconsuli, negotium daretur Ptolemaei regis in regnum reducendi. Res autem, primum refragante Caninio tribuno plebis, dilata est; deinde auctore Catone omne auxilium Ptolemaeo negatum est.

Livius Epit. 104. *Ptolemaeus, Aegypti rex, ob iniurias quas patiebantur, a suis regno pulsus, Romam venit.* Cic. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 2. 1.) *Idibus Ianuariis* [= 13 Ianuar.] *in senatu nihil est confectum, propterea quod dies magna ex parte consumptus est altercatione Lentuli consulis et Caninii tribuni plebis. Eo die nos quoque multa verba fecimus, maximeque visi sumus senatum commemoratione tuae* (i. e. P. Lentuli) *voluntatis erga illum ordinem commovere.* Id. ad Q. fr. II. 2. 3. *De rege Alexandrino factum est senatusconsultum, cum multitudine eum reduci, periculosum reipublicae videri. Reliqua quum esset in senatu contentio, Lentulusne an Pompeius reduceret; obtinere caussam Lentulus videbatur. In ea nos et officio erga Lentulum mirifice, et voluntati Pompeii praeclare satisfecimus. — Quid futurum sit latrocinio tribunorum, non divino: sed tamen suspicor, per vim rogationem Caninium perlaturum. In ea re Pompeius quid velit, non*

despicio. — Sine dubio res a Lentulo remota videtur esse, cum magno meo dolore. — XVI. *Kal. Febr.* Ibid. II. 3. 1. *Cato legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando. — Pridie Id. (Febr.) haec scripsi.* Plutarch. Pomp. c. 49. 6. *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Καινίος εἰσήνεγκε δημαρχῶν νόμον, ἄνευ στρατιᾶς Πομπήιον ἔχοντα ῥαβδούχους δύο διαλλάττειν Ἀλεξανδρεῦσι τὸν βασιλέα.* Conf. Dio XXXIX. c. 12—16. Caninius, magistratu deposito, accusatus, a Cicerone defensus est. v. ad a. 699. 5.

(2) Aberat eo tempore Q. Cicero, missus a Pompeio [v. ad a. 697. 13.] in Sardiniam ut rei frumentariae praeesset. VI. c. 5. 11.

Cic. pro Scauro c. 2. 39. *Non sum aut tam inhumanus aut tam alienus a Sardis, praesertim quum frater meus nuper ab his decesserit, quum rei frumentariae Cn. Pompeii missu praefuisset.* Id. ad Q. fr. II. 2. 1. *Me adhuc nemo rogavit, num quid in Sardiniam vellem: te puto saepe habere, qui, num quid Romam velis, quaerant. — Tu, si ita expedit, velim quam primum bona et certa tempestate conscendas ad meque venias. Innumerabiles enim res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem.* XVI. *Kal. Febr.* Ibid. II. 3. 7. *Cura, mi frater, ut valeas: et quamquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites.* XV. *Kalend. Mart.* Cf. ibid. II. 6. 2.

(3) A. d. IV. Id. Febr. [= 10 Febr. 698 = 8 Febr. 56 a. C.] *P. Sextius* ab indice Cn. Nericio Pupinia de ambitu, et eodem die a quodam M. Tullio Albinovano de vi postulatus est: qui et ab aliis defensus et extremo loco a Cicerone oratione, quae exstat, absolutus est a. d. IV. Id. Mart. [= 12 Mart. 698 = 10 Mart. 56 a. C.] VI. c. 18. 44. c. 21. 50.

Schol. Bob. ad Orat. pro Sextio p. 291. *P. Sextius amicissimus familiarissimusque Ciceronis fuit in collegio tribunorum plebis, qui fuerunt P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote coss.* [a. 697.] *Obstinate igitur et iis sese dediderat in consensum partis eius, qui dignitatem suam M. Tullio restituere gestiebant. Sed enim P. Clodio repugnante et conspiratam seditiose multitudinem congregante, ne quis isti ad revocandum Ciceronem daretur effectus, ad dimicationem usque processum est; ut P. Sextius gravissime et paene letaliter vulneratus* [v. ad a. 697. 3.] *necessario cogeretur etiam ipse armatorum manum gladiatoriam, quod Milo iam fecerat, adhibere, praesidii scilicet gratia: sic enim potuit effici, ut actionem, quam pro Tullio instituerat, obtineret. Postquam*

tamen Cicero ab exsilio rediit, accusare de vi P. Clodius Sextium coepit, immisso velut principe delationis P. Albinovano et testimonium dicente P. Vatinio; ut hoc praecipue crimini daret, quod supergressus civilem modum rogationem suam non aequitate persuaserit, sed armis obtinuerit. Cui opponitur huiusmodi a Cicerone defensio —. Hanc igitur eamdem caussam plurimi defenderunt; in quis fuit Q. Hortensius, M. Crassus, C. Licinius Calvus, partibus inter se distributis, quas in agendo tuerentur. Itaque Tullius ea peroravit, quae sibi fuerant explicanda: nec, ut plerique arbitrati sunt, extra caussam vagatus est, cet. Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 19. p. 373. LXXI. 4. p. 385. c. 2. p. 478.

(4) In eum autem Sextium quum Vatinius inter testes productus esset, Cicero, qui ei erat inimicissimus, opportune oblatam occasionem arripuit Vatinii ulciscendi. Itaque perpetua *Interrogatione* huius testis vitam reprehendit et qui, quo genere esset, quomodo in pueritia vixisset, quid in quaestura totoque tribunatu fecisset, interrogavit, omnibus vehementer plaudentibus. VI. c. 19. 46 sqq.

Cic. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. 7.) *Ego sedente Cn. Pompeio, quum, ut laudaret P. Sextium, introisset in Urbem dixissetque testis Vatinius, me, fortuna et felicitate C. Caesaris commotum, illi amicum esse coepisse, dixi, me M. Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis victoriisque anteferre; dixique eodem teste, alio loco, eosdem esse, qui Bibulum* (cos. a. U. C. 695.) *exire domo prohibuissent, et qui me coegissent.* Quintil. V. c. 7. 6. *Interim adversus singulos dirigitur actio: quod insectationis genus et permixtum defensioni legimus in orationibus plurimis, et separatim editum, sicut in Vatinium testem.* Velleius II. c. 49. 4. *Vatinius nullo nomine non postferendus, in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur.* Conf. Seneca de const. Sap. c. 17. 3. Schol. Bob. ad Orat. de aere alieno Milonis p. 342. *Interrogationis non una species erat, sed variae: ut alia significaret accusationis denuntiationem* cet. *Erat alia praeterea interrogatio testium, sicut ipse M. Tullius P. Vatinium testem interrogavit. Proprie namque interrogatio dicebatur, qua testes redarguebantur. Tertia haec est* cet.

(5) Eumdem Vatinium eo tempore accusabat item C. Licinius Macer Calvus. VI. c. 21. 50.

Cic. in Vatin. c. 4. 10. *De te autem homines quid sentiant, in honore experti sumus, in salute exspectamus.* ad q. l. Scholia Bob. p. 316. *Huic Vatinio* (Cicero dicit) *et honorem quaesturae post omnes novissimo loco datum, et adhuc damnationis eius nutare fortunam; nam reus postulatus erat accusatore C. Licinio Calvo.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. c. 1. p. 475.

(6) A. d. III. Id. Febr. [= 11 Febr. 698 = 9 Febr. 56 a. C.] *L. Calpurnius Bestia*, de ambitu postulatus, defenditur a Cicerone. VI. c. 21. 51.

Cic. Phil. XI. c. 5. 11. *Quid Bestiam? qui se consulatum in Bruti locum petere profitetur. — At hic, me defendente, quinquies absolutus est.*

(7) Quum anno superiore prodigia in agro Latiniensi facta essent et haruspices quum alias caussas, tum hanc attulissent, quod loca sacra pro profanis haberentur; Clodius aedilis in concione dixit, domum Ciceronis etiam inter ea loca esse, quae consecrata profana haberentur. Itaque postridie Cicero defendens se in senatu, qui ex haruspicum responso decreverat, ut de locis sacris et religiosis consules ad senatum referrent, Orationem habuit *de haruspicum responsis.*

Cic. de Har. resp. c. 1. 1. *Hesterno die, P. C., quum me et vestra dignitas et frequentia equitum Romanorum, quibus senatus dabatur, magno opere commosset, putavi mihi reprimendam esse P. Clodii impudicam impudentiam.* — c. 4. 8. *Atqui paullo ante, P. C., concionem habuit, quae est ad me tota delata.* — c. 5. 8. *De religionibus, sacris et caerimoniis est concionatus P. Clodius: P. inquam Clodius sacra et religiones negligi, violari, pollui questus est.* — c. 5. 9. *Responsum haruspicum hoc recens de fremitu in concione recitavit, in quo cum aliis multis scriptum etiam illud est loca sacra et religiosa profana haberi. In ea caussa esse dixit domum meam, a religiosissimo sacerdote, P. Clodio, consecratam.* — c. 10. 20. *Quare, ne plura de re minime loquar dubia, adhibete animos, et mentes vestras, non solum aures, ad haruspicum vocem admovete: quod in agro Latiniensi auditus est strepitus cum fremitu.* cet. Dio XXXIX. c. 20. 1. *Τεράτων τέ τινων ἐν τούτῳ γενομένων (ἔν τε γὰρ τῷ Ἀλβανῷ νεὼς Ἥρας βραχὺς ἐπὶ τραπέζης τινὸς πρὸς ἑνατιολῶν ἱδρυμένος πρὸς*

τὴν ἄρκτον μετεστράφη, καὶ λαμπὰς ἀπὸ τῆς μεσημβρίας ὁρμηθεῖσα πρὸς βορέαν διῆξε, λύκος τε ἐς τὴν πόλιν ἐσῆλθε, καὶ σεισμὸς ἐγένετο, τῶν τε πολιτῶν τινὲς κεραυνοῖς ἐφθάρησαν, καὶ θόρυβος ἐν τῷ Λατίνῳ ὑπὸ γῆς ἐξηκούσθη· καὶ αὐτὰ οἱ μάντεις ἀκέσασθαι θελήσαντες ὀργίζεσθαί σφισι δαιμόνιόν τι ὡς καὶ ἱερῶν τινῶν ἢ χωρίων οὐχ ὁσίων ἐποικουμένων ἔφασαν) ἐνταῦθα ὁ Κλώδιος τὸν Κικέρωνα μεταλαβὼν τῷ τε λόγῳ πολὺς ἐνέκειτο, ὅτι τὸ ἕδαφος τῆς οἰκίας ἱερωμένον τῇ Ἐλευθερίᾳ κατῳκοδόμησε, καὶ ἐπῆλθέ ποτε ἐπ' αὐτὸ ὡς καὶ ἐκ θεμελίων αὖθις αὐτὴν ἀναιρήσων. καὶ οὐκ ἐποίησε μὲν τοῦτο, ὁ γὰρ Μίλων ἐκώλυσεν.

(8) In senatu quum summa dissensio esset de stipendio exercitus Caesaris deque decem legatis, Cicero non solum decrevit, sed etiam, ut senatus decerneret, laboravit. VII. c. 43. 113.

Cic. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 7. 10.) *Quod scribis te velle scire, qui sit reipublicae status; summa dissensio est, sed contentio dispar. Nam qui plus opibus, armis, potentia valent, profecisse tantum mihi videntur stultitia et inconstantia adversariorum, ut etiam auctoritate iam plus valerent. Itaque, perpaucis adversantibus, omnia, quae ne per populum quidem sine seditione se assequi posse arbitrabantur, per senatum consecuti sunt: nam et stipendium Caesari decretum est, et decem legati, et, ne lege Sempronia* [quam C. Gracchus tulit a. 631. cfr. Cic. pro Domo sua c. 9. 24. Sallust. Iug. c. 27.] *succederetur, facile perfectum est.* pro Balbo c. 27. 61. *C. Caesarem senatus et genere supplicationum amplissimo ornavit et numero dierum novo* [v. ad a. 697. 16.]. *Idem, in angustiis aerarii, victorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit. Harum ego sententiarum et princeps et auctor fui.* Dio XXXIX. c. 25. 1. *Ὁ δὲ δὴ Καῖσαρ αὐξανόμενος, καὶ ὁ δῆμος τά τε κατειργασμένα αὐτῷ θαυμάζων ὥστε καὶ ἐκ τῆς βουλῆς ἄνδρας ὡς καὶ ἐπὶ δεδουλωμένοις παντελῶς τοῖς Γαλάταις ἀποστεῖλαι, καὶ πρὸς τὰς ἀπ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐπαιρόμενος ὥστε καὶ χρήματά οἱ πολλὰ ψηφίσασθαι, δεινῶς αὐτὸν (Πομπήιον) ἠνία.*

(9) Ubi Orationem in senatu habuit *de provinciis consularibus*, Gabinium et Pisonem e Syria et Macedonia (quas isti non ex senatusconsulto nacti, sed ex lege Clodia [v. ad a. 696. 8 et 31.], propter quam Ciceronis relegationi annue-

rant, incredibiliter vexabant) revocandos censuit; Gallias autem Caesari non adimendas.

Cic. de prov. cons. c. 2. 3. *Quattuor sunt provinciae, P. C., de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas: Galliae duae, quas hoc tempore uno imperio* (i. e. Caesaris) *videmus esse coniunctas: et Syria et Macedonia, quas, vobis invitis et oppressis, pestiferi illi consules pro eversae reipublicae praemiis occupaverunt. Decernendae nobis sunt lege Sempronia duae. Quid est, quod possimus de Syria Macedoniaque dubitare? Mitto, quod eas ita partas habent ii, qui nunc obtinent, ut non ante attigerint, quam hunc ordinem condemnarint, quam auctoritatem vestram e civitate exterminarint, quam fidem publicam, quam perpetuam populi Romani salutem, quam me ac meos omnes foedissime crudelissimeque vexarint.* cet. c. 8. 18. *Quod si essent illi optimi viri, tamen ego mea sententia C. Caesari succedendum nondum putarem. Qua de re dicam, P. C., quod sentio* cet. Ascon. in Pisonian. p. 2. *Revocati — ex provinciis Piso et Gabinius* (coss. a. U. C. 696.) *sententia Ciceronis, quam dixerat de provinciis consularibus, Lentulo et Philippo consulibus.* Cic. pro Balbo l. c.

(10) Cicero defendit *M. Caelium* de auro, quod a Clodia sumpsisse, et de veneno, quod ei parasse dicebatur, accusatum a L. Atratino, subscriptore Herennio. VI. c. 22. 52. Eumdem Caelium, qui et pro se ipse orationem habuit, defendit quoque M. Crassus.

Cic. pro Caelio c. 8. 18. *Quo loco possum dicere id, quod vir clarissimus, M. Crassus, quum de adventu regis Ptolemaei quereretur, paullo ante dixit,* cet. — c. 10. 23. *Itaque illam partem caussae facile patior graviter et ornate a M. Crasso esse peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, de bonis Pallae. Vellem dictum esset ab eodem etiam de Dione.* Quintil. XI. c. 1. 68. *Aliquando etiam inferioribus, praecipueque adolescentulis, parcere aut mederi decet. Utitur hac moderatione Cicero pro Caelio contra Atratinum, ut eum non inimice corripere, sed paene patrie monere videatur. Nam et nobilis et iuvenis; et non iniusto dolore venerat ad accusandum.* Sueton. de Clar. Rhet. c. 2. *Hunc eumdem (L. Plotium Gallum) M. Caelius in Oratione, quam pro se de vi habuit, significat dictasse Atratino, accusatori suo, actionem.* Conf. Quintil. XI. c. 1. 51. Festus v. *Oreae.* De Crasso patrono conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXXI. 3. p. 384.

(11) Deinde defendit caussam *L. Cornelii Balbi*, quem

hominem Gaditanum, quum a Pompeio lege Gellia et Cornelia (v. ad a. 682. 2.) civitate donatus esset, accusator negaverat iure et recte donatum esse civitate. Eiusdem Balbi patrocinium susceperant M. Crassus et Cn. Pompeius. I. c. 11. 28. VI. c. 23. 56.

Ruhnken. ad Vell. II. c. 51. p. 249. »Duo L. Cornelii Balbi fuerunt, uterque Gaditanus, et civitate Romana donatus, quorum alter Maior dicitur, alter, ex Maioris fratre natus, Minor. Quos, non mirum est, si recentiores confuderint, quum ne Velleius quidem eos satis accurate distinxerit, ut Puteanus ad h. l. et Bailius Lexico Hist. et Crit. v. *Balbi* ostenderunt. Maior consul suffectus fuit a. U. C. 713. vide Dionem Cass. XLVIII. p. 549. et tabulam Colotianam apud Gruterum p. 298. Eiusdem mentio est in lapide apud Muratorium p. 293. *Consul* autem *factus est ex privato*, ut Velleius ait. Quae verba, a viris doctis mirifice vexata, sic intellige: Consul factus est ex eo, qui nunquam rempublicam attigisset, nullos unquam honores gessisset. — Id historiae congruit, quae non nisi praefecturae fabrum, qua in Caesaris exercitu functus est, mentionem facit. Vide Ciceronem oratione pro eodem c. 28. 63. *Quid enim est, cur non potius ad summam laudem huic, quam ad minimam fraudem, Caesaris familiaritas valere debeat? Cognovit adolescens: placuit homini prudentissimo; in summa amicorum copia cum familiarissimis eius est adaequatus. In praetura, in consulatu praefectum fabrum detulit; consilium hominis probavit, fidem est complexus: officia observantiamque dilexit. Fuit hic multorum illi laborum socius aliquando.* Insignis de illo locus est Plinii H. N. VII. c. 43. *Fuit et Balbus Cornelius Maior consul, sed accusatus, atque de iure virgarum in eum iudicium in consilium missum: primus externorum atque etiam in Oceano genitorum usus illo honore, quem maiores Latio quoque negaverunt.* Minor Balbus fuit quaestor Asinii Pollionis in Hispania, mox a. U. C. 734. pro consule Africae de Garamantibus triumphavit; nec tamen ad consulatum pervenisse videtur." cet. Cic. pro Balbo c. 1. 2. *Quae fuerit hesterno die Cn. Pompeii gravitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur.* Ibid. c. 22. 50. *Quid? hic, qui adest, a quo haec, quae ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita, M. Crassus, non Aletrinensem foederatum civitate donavit?* De Crasso patrono conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXXI. 2. p. 384. de Pompeio LXXIII. 4. p. 392.

(12) Cicero epistolam mittit ad L. Lucceium, historiarum

scriptorem, qua rogat ut de rebus a se consule gestis et de exsilio redituque suo [ab a. U. C. 691—697] commentarios componat. I. c. 3. 6.

Cic. ad Att. IV. 6. 4. *Epistolam, Lucceio nunc quam misi, qua, meas res ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas: valde bella est: eumque, ut approperet, adhorteris: et, quod mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias.* Ibid. 9. 2. *Quod Lucceio scribis te nostram gloriam commendaturum, — gratum. — Neapoli — ante diem* IV. *Kal. Maias, bene mane haec scripsi.* Celebratissimam ad Lucceium epistolam, quae est duodecima Libri V. Epistolarum ad Fam., separatim edidit et commentariis instruxit C. H. Frotscher, Annaberg. 1838. 8°. Conf. etiam C. E. Chr. Schneider, *Iudicium de Ciceronis epistola ad Fam.* V. 12. Vratislaviae, 1837. 4°. Epistola, qua Lucceius respondit, non superest. Nec magis servati sunt libri *de Italico* et *Civili Bello*, quos Lucceius hoc anno videtur absolvisse. De Lucceio legi meretur *Dissertation sur le caractère de trois celèbres Romains, Cicéron, Atticus, Lucceius; où l'on fait voir la différence qu'il y a entre un veritable honnête homme et ceux qui n'en ont que l'apparence.* quae dissertatio exstat in: *Journal Litteraire* T. V. p. 129—148. à la Haye, 1714. 8°.

(13) Ad hunc denique annum referenda videtur Oratio *pro M. Cispio*, de ambitu accusato. VI. c. 30. 77. Fuerat iste Cispius unus eorum tribunorum, qui efficere studuerant, ut Cicero restitueretur. V. c. 22. 56. c. 36. 65.

(14) Caesar in Gallia civitates Armoricas, ad Oceanum versas, quae bellum movebant, initio facto a Venetis, in deditionem accipit. Per Q. Titurium Unellos, per P. Crassum M. fil. Aquitanos, aliasque gentes subiicit, quarum ne nomina quidem Romanis erant cognita. VII. c. 44. 114.

Caesar B. G. III. c. 7. *Quum — Caesar — inita hieme in Illyricum profectus esset, quod eas quoque nationes adire et regiones cognoscere volebat, subitum bellum in Gallia coortum est.* cet. conf. c. 8—16. Livius Epit. 104. *C. Caesar Venetos, gentem Oceano iunctam, navali praelio vicit.* Conf. Orosius VI. c. 8. Florus III. c. 10. 5. Dio XXXIX. c. 40. 1. *Ὁ δὲ δὴ Καῖσαρ ἐν τῇ τοῦ Μαρκελλίνου τῇ τε Φιλίππου ὑπατείᾳ ἐπὶ Οὐενετοὺς ἐστράτευσεν. οἰκοῦσι δὲ πρὸς τῷ ὠκεανῷ, καὶ στρατιώτας τινὰς Ῥωμαίους πεμφθέντας ἐπὶ σῖτον συνέλαβον κτέ.* conf. c. 41—43. De Titurio Sabino conf. Caesar B.

G. III. c. 17—19. Dio XXXIX. c. 45. Oros. l. c. de P. Crasso Caesar B. G. III. c. 20—27. Dio XXXIX. c. 46. Oros. l. c. Flor. III. c. 10. 6.

ANNUS VITAE CICERONIS LII.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 22 Decemb. 56 a. C.]

a. U. C.	Coss. CN. POMPEIUS MAGNUS II.	a. A. C.
699.	M. LICINIUS CRASSUS II.	55.

(1) Iussu Pompeii A. Gabinius, qui proconsul Syriam tenebat, Ptolemaeum (v. ad a. 698. 1.) in regnum Aegypti reduxit, quamvis decreto facto omne ei auxilium Romani abnuissent. VI. c. 28. 70.

Livius Epit. 105. *A. Gabinius proconsul Ptolemaeum reduxit in regnum Aegypti, eiecto Archelao, quem sibi regem asciverant.* Dio XXXIX. c. 55. 1. *Κατὰ δὲ δὴ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον* [c. 50. *τοῦ τε Πομπηίου καὶ τοῦ Κράσσου ὑπατευόντων*] *καὶ ὁ Πτολεμαῖος, καίτοι τῶν Ῥωμαίων τήν τε ἐπικουρίαν ἀπεψηφισμένων καὶ πρὸς τὰς δωροδοκίας τὰς ὑπ' αὐτοῦ γενομένας δεινῶς ἔτι καὶ τότε διακειμένων, κατήχθη καὶ τὴν βασιλείαν ἐκομίσατο. ἔπραξαν δὲ τοῦτο ὅ τε Πομπήιος καὶ ὁ Γαβίνιος· τοσοῦτον γὰρ αἵ τε δυναστεῖαι καὶ αἱ τῶν χρημάτων περιουσίαι καὶ παρὰ τὰ ψηφίσματα τά τε τοῦ δήμου καὶ τὰ τῆς βουλῆς ἴσχυσαν, ὥστε ἐπιστείλας μὲν ὁ Πομπήιος τῷ Γαβινίῳ τῆς Συρίας τότε ἄρχοντι, στρατεύσας δὲ ἐκεῖνος, ὁ μὲν τῇ χάριτι ὁ δὲ τῇ δωροληψίᾳ καὶ ἄκοντος αὐτὸν τοῦ κοινοῦ κατήγαγον, μηδὲν μήτε ἐκείνου μήτε τῶν τῆς Σιβύλλης χρησμῶν* [cf. c. 15. 2.] *φροντίσαντες. καὶ ἐκρίθη μὲν ὕστερον ἐπὶ τούτῳ ὁ Γαβίνιος, οὐχ ἑάλω δὲ διά τε τὸν Πομπήιον καὶ διὰ τὰ χρήματα.* Cf. Plutarch. Anton. c. 3. Strabo XII. p. 558. Cic. in Pison. c. 21. 48. ad Att. IV. 10. 1. [v. ad a. 700. 8.]

(2) M. Licinius Crassus legem fert de sodalitiis. VI. c. 29. 73.

Schol. Bob. ad Orat. p. Plancio p. 253. *Legem Liciniam M. Licinius Crassus, Pompeii Magni collega, in consulatu suo pertulit, ut severissime quaereretur in eos candidatos, qui sibi conciliassent, ea potissimum de caussa, ut per illos pecuniam tribulibus dispertirent ac sibi mutuo eadem suffragationis emptae praesidia communicarent. Huic factioni*

coërcendae legis lator Crassus existimavit etiam genus iudicii multo periculosius comparandum, ut apud iudices editicios accusarentur, id est, ut pro voluntate accusatoris ederentur tribus, ex quibus unam tantummodo reiicere posset reus; de reliquis autem iudices haberentur utique infestissimi caussam dicentibus, utpote quos accusator ad voluntatem suam praelegisset, edendo eas potissimum tribus, quas reo minus aequas fore arbitraretur. Dio XXXIX. c. 37. 1. *Ταῦτά τε οὖν κυρωθῆναι ἐποίησαν* [c. 31. *ὅ τε Πομπήιος καὶ ὁ Κράσσος ὕπατοι*] *καὶ μετὰ τοῦτο πικρότερα ἐπετίμια τοῖς δεκάζουσί τινας ἐπέταξαν, ὥσπερ τι καὶ αὐτοὶ ἔλαττον, ὅτι οὐ χρήμασιν ἀλλὰ βίᾳ τὴν ἀρχὴν εἰλήφεσαν, ἁμαρτόντες.* Conf. Cic. pro Plancio c. 15. 36. Wunder. Proleg. ad Plancian. L. III. c. 3. in Indice Legum apud Orellium p. 200—210.

(3) Cicero Orationem habet *in Pisonem*, qua respondet iis, quae Piso, (sententia Ciceronis, quam anno superiore de provinciis consularibus dixerat [v. ad a. 698. 9.], revocatus e Macedonia), de insectatione Ciceronis in senatu conquestus et in eum fuerat invectus.

Ascon. in Pisonian. p. 1. *Haec Oratio dicta est Cn. Pompeio Magno* II. *M. Crasso* II. *coss. ante paucos dies, quam Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum a se factum dedicavit. Hoc intelligi ex ipsius Ciceronis verbis potest, quae in hac Oratione posuit. Dixit enim sic* [c. 27. 65.]: »*Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi.*" *Fenestella quidem posuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio, Appio Claudio coss.* [a. U. C. 700] *ultimam. Sed, ut ego ab eo dissentiam, facit primum, quod Piso reversus est ex provincia Pompeio et Crasso consulibus, Gabinius Domitio et Appio: hanc autem orationem dictam ante Gabinii reditum ex ipsa manifestum est: deinde, quod magis naturale est, ut ipso recenti reditu invectus sit in Ciceronem responderitque insectationi eius, qua revocatus erat ex provincia, quam post anni intervallum. Apparet autem Ciceronem respondisse Pisoni.* cet. Quintil. III. c. 7. 2. *Editi in competitores, in L. Pisonem, in Clodium et Curionem libri, vituperationem continent, et tamen in senatu loco sunt habiti sententiae.*

(4) Pompeius secundo consulatu munera edit magnificentissima. II. c. 22. 60.

Cic. in Pison. c. 27. 65. *Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi, quales non modo numquam fuerunt,*

sed ne quomodo fieri quidem posthac possint, possum ullo pacto suspicari. Id. ad Marium (ad Fam. VII. 1. 2.) *Apparatus spectatio tollebat omnem hilaritatem: — quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytaemnestra? aut in Equo Troiano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? — Quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris? in quibus ipse Pompeius confitetur se et operam et oleum perdidisse. Reliquae sunt venationes binae per dies quinque; magnificae, nemo negat. — Extremus elephantorum dies fuit: in quo admiratio magna vulgi atque turbae.* Ascon. in Pisonian. p. 2. *Pompeio et Crasso (coss.), quo anno Pompeius exquisitissimis magnificentissimisque omnis generis ludis theatrum dedicavit.* p. 15. *Cn. Pompeii ludos significat, quibus theatrum a se factum dedicavit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in Circo.* Plinius H. N. VIII. c. 7. *Pompeii quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnavere in Circo viginti, aut, ut quidam tradunt,* XVIII (*elephanti*). Conf. c. 16. (20.) c. 17. (24.) c. 19 (28 et 29.) c. 22. (34.) Valer. Max. II. c. 4. 6. Vell. II. c. 48. Seneca de Brev. Vit. c. 13. 6. Dio XXXIX. c. 38. 1. Καὶ ἐν ταῖς αὐταῖς ἡμέραις [c. 31. ὅ τε Πομπήιος καὶ ὁ Κράσσος ὕπατοι ἐκ μεσοβασιλείας ἀπεδείχθησαν] ὁ Πομπήιος τὸ θέατρον, ᾧ καὶ νῦν λαμπρυνόμεθα, καθιέρωσε, καὶ ἔν τε ἐκείνῳ θέαν καὶ μουσικῆς καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ καὶ ἵππων ἅμιλλαν καὶ θηρίων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν σφαγὰς ἐποίησεν· λέοντές τε γὰρ πεντακόσιοι ἐν πέντε ἡμέραις ἀναλώθησαν, καὶ ἐλέφαντες ὀκτωκαίδεκα πρὸς ὁπλίτας ἐμαχέσαντο· καὶ αὐτῶν οἱ μὲν παραχρῆμα ἀπέθανον, οἱ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον. κτέ. Plutarch. Pomp. c. 52. 5. Ἀλλὰ Κράσσος μὲν ἐξῆλθεν εἰς τὴν ἐπαρχίαν ἀπαλλαγεὶς τῆς ὑπατείας, Πομπήιος δὲ τὸ θέατρον ἀναδείξας ἀγῶνας ἦγε γυμνικοὺς καὶ μουσικοὺς ἐπὶ τῇ καθιερώσει καὶ θηρῶν ἀμίλλας, ἐν οἷς παντακόσιοι λέοντες ἀνῃρέθησαν, ἐπὶ πᾶσι δὲ τὴν ἐλεφαντομαχίαν, ἐκπληκτικώτατον θέαμα, παρέσχεν.

(5) Cicero defendit caussam *L. Caninii Galli*, qui anno superiore fuerat tribunus plebis (v. ad a. 698. 1.)

Cic. ad Marium (ad Fam. VII. 1. 4.) *His ego tamen diebus, ludis scenicis, ne forte videar tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse, dirupi me paene in iudicio Galli Caninii, familiaris tui.*

(6) M. Crassus, nondum finito consulatu, in Syriam profectus est [cfr. ad a. 701. 2.]; sed antequam paludatus

exiret in provinciam, apud Ciceronem in Crassipedis generi hortis coenavit. VI. c. 27. 67.

Cic. ad Att. IV. 13. 1. *Nos in Tusculanum venisse a. d.* XVII. *Kal. Decemb.* [= 14 Novemb. 699 = 28 Octobr. 55. a. C.] *video te scire.* — *Romae a. d.* XIII. *Kalend.* [= 18 Novemb. 699 = 1 Novbr. 55 a. C.] *volumus esse.* — *Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quam olim aequalem eius L. Paullum, iterum consulem* [a. U. C. 586]. Plutarch. Cic. c. 26. 1. *Μέλλων δὲ Κράσσος εἰς Συρίαν ἀπαίρειν ἐβούλετο τὸν Κικέρωνα μᾶλλον αὐτῷ φίλον ἢ ἐχθρὸν εἶναι καὶ φιλοφρονούμενος ἔφη βούλεσθαι δεινήσαι παρ' αὐτῷ· κἀκεῖνος ὑπεδέξατο προθύμως.* Cf. Id. Pomp. c. 52. Crass. c. 16 sq.

(7) Perfecit hoc anno Cicero disputationem (v. ad a. 663. 2.), quae continetur tribus libris *de Oratore;* qui omnem antiquorum rationem oratoriam complectuntur. VI. c. 34. 87.

Cic. ad Att. IV. 13. 1. *Nos in Tusculanum venisse a. d.* XVII. *Kal. Decemb. video te scire.* — *De libris Oratoriis factum est a me diligenter. Diu multumque in manibus fuerunt; describas licet.* Ibid. 16a 2. *Sed nosti genus dialogorum meorum: ut in Oratoriis, quos tu in caelum fers, non mentio potuit fieri cuiusquam ab iis, qui disputant, nisi eius, qui illis notus aut auditus esset.* cf. C. A. Fr. Brückner, *Disputatio, qua Cicero in libris de Oratore scribendis quid ex Isocrate et Aristotele mutuatus sit, ad explic. epist. ad Fam.* I. 9. 23. *examinatur.* Schweidnitz, 1849.

(8) Tum quoque scripsisse videtur libros tres *de temporibus suis*, i. e. de exsilio suo ac reditu. VI. c. 35. 90.

Conf. quae de hoc carmine disputavimus in Progr. Scholast. de Romanis Autobiographis p. 25 sqq.

(9) Caesar Germanos Usipetes et Tenchtheros, qui Rhenum transierant, caedit, deinde ponte facto Rhenum traiicit et XVIII dies in Germania versatur, recedentibus Suevis. VII. c. 44. 115.

Caesar B. G. IV. c. 1—19. *Ea quae secuta est hieme, qui fuit annus Cn. Pompeio M. Crasso consulibus, Usipetes Germani et item Tenchtheri — flumen Rhenum transierunt, non longe a mari, qua Rhenus influit.* — c. 16. *Germanico bello confecto, multis de caussis Caesar statuit, sibi Rhenum esse transeundum.* — c. 18. *Diebus decem — omni opere effecto, exercitus transducitur.* — c. 19. *Omnibus his rebus*

confectis, quarum rerum caussa transducere exercitum constituerat (*Caesar*), *ut Germanis metum iniiceret, ut Sigambros ulcisceretur, ut Ubios obsidione liberaret, diebus omnino* XVIII *trans Rhenum consumptis, — se in Galliam recepit pontemque rescidit.* Conf. Livius Epit. 105. Dio XXXIX. c. 47—49. Plutarch. Caes. c. 22—23. Sueton. Caes. c. 24—25. Flor. III. c. 10. 14—15. Oros. VI. c. 9. Zonar. X. c. 6.

(10) In legatorum numero, quos Caesar secum habuit, erat quoque Quintus Cicero, imperatori egregie dilectus et comes in altera expeditione in Britanniam, a. U. C. 700. facta.

Cic. ad Lentul. (ad Fam. I. 9. 21.) *Quintus, frater meus, legatus est Caesaris.* Id. ad Q. fr. II. 14. 3. *Ego, quum Romam venero, nullum praetermittam Caesaris tabellarium, cui litteras ad te non dem.* Ibid. 15 *a.* 1. *Litterae eius* (*Caesaris*) *una datae cum tuis, quarum initium est, quam suavis ei tuus adventus fuerit, et recordatio veteris amoris, deinde, se effecturum, ut ego in medio dolore ac desiderio tui te, quum a me abesses, potissimum secum esse laetarer, incredibiliter delectarunt.* Ibid. III. 1. c. 3. 9 sqq. *Quod scribis te a Caesare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. — De Britannicis rebus, cognovi ex tuis litteris, nihil esse, nec quod metuamus, nec quod gaudeamus.* ad Att. IV. 17. 3. *Ab Quinto fratre et a Caesare accepi a. d.* IX. *Kalend. Novemb.* [= 24 Oct. 699 = 7 Oct. 55 a. C.] *litteras, confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla praeda, imperata tamen pecunia, datas a litteribus Britannine, proximo a. d.* VI. *Kalend. Octob.* [= 25 Sept. 699 = 9 Sept. 55 a. C.]. *Exercitum Britannia reportabant.* Conf. Caesar B. G. V. c. 24. c. 39 sqq. c. 53. *Ciceronem pro eius merito, legionemque collaudat: centuriones sigillatim, tribunosque militum appellat, quorum egregiam fuisse virtutem testimonio Ciceronis cognoverat.* VI. c. 32. c. 36. VII. c. 90.

ANNUS VITAE CICERONIS LIII.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 12 Decemb. 55 a. C.]

a. U. C.	Coss. L. DOMITIUS AHENOBARBUS.	a. A. C.
700.	APP. CLAUDIUS PULCHER.	54.

(1) Cicero hoc anno magis quam ullo alio tempore districtus fuit a caussis et iudiciis. VI. c. 24. 60.

Orationes, quae huc referendae sunt, hoc ordine temporis videntur esse habitae:

Oratio *pro M. Crasso,* quem consules volebant ut senatus

e Syria revocaret, quod nulla lege iussus, regiis thesauris inhians bellum gereret contra Parthos. VI. c. 27. 66.

Dio XL. c. 12. 1. *Ὁ δὲ δὴ Κράσσος ἐπιθυμήσας τι καὶ αὐτὸς δόξης τε ἅμα καὶ κέρδους ἐχόμενον πρᾶξαι, ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδὲν ἐν τῇ Συρίᾳ τοιοῦτόν τι εἶδεν ὄν, — ἐπὶ τοὺς Πάρθους ἐστράτευσε, μήτε ἔγκλημά τι αὐτοῖς ἐπιφέρων μήτε τοῦ πολέμου οἱ ἐψηφισμένου· αὐτούς τε γὰρ παμπλουσίους ἤκουεν ὄντας, καὶ τὸν Ὀρώδην εὐάλωτον ἅτε καὶ νεοκατάστατον εἶναι προσεδόκησεν. τόν τε οὖν Εὐφράτην ἐπεραιώθη, καὶ προῆλθεν ἐπὶ πολὺ τῆς Μεσοποταμίας, φέρων τε αὐτὴν καὶ πορθῶν.* Plutarch. Crass. c. 16. 2. *Τότε δ' ἐπηρμένος κομιδῇ καὶ διεφθαρμένος οὐ Συρίαν οὐδὲ Πάρθους ὅρον ἐποιεῖτο τῆς εὐπραξίας, ἀλλ' ὡς παιδιὰν ἀποφανῶν τὰ Λουκούλλου πρὸς Τιγράνην καὶ Πομπηίου πρὸς Μιθριδάτην, ἄχρι καὶ Βακτρίων καὶ Ἰνδῶν καὶ τῆς ἔξω θαλάσσης ἀνῆγεν ἑαυτὸν ταῖς ἐλπίσι. Καίτοι τῷ γραφέντι περὶ τούτων νόμῳ Παρθικὸς πόλεμος οὐ προσῆν. Ἥιδεσαν δὲ πάντες, ὅτι πρὸς τοῦτο Κράσσος ἐπόηται·* — c. 17. 6. *Ἔπειτα τὰς ἐν Συρίᾳ διατριβὰς ᾐτιῶντο χρηματιστικὰς μᾶλλον οὔσας ἢ στρατηγικάς· οὐ γὰρ ὅπλων ἀριθμὸν ἐξετάζων οὐδὲ γυμνασιῶν ποιούμενος ἀμίλλας, ἀλλὰ προσόδους πόλεων ἐκλογιζόμενος καὶ τὰ χρήματα τῇ ἐν Ἱερᾷ πόλει θεοῦ σταθμοῖς καὶ τρυτάναις μεταχειριζόμενος ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας, ἐπιγράφων δὲ καὶ δήμοις καὶ δυναστείαις στρατιωτῶν καταλόγους, εἶτ' ἀνιεὶς ἀργύριον διδόντας, ἠδόξει καὶ καιεφρονεῖτο τούτοις.* Conf. Florus III. c. 11. Orosius VI. c. 13. Obsequens c. 124.

(2) Oratio *de Reatinorum caussa* contra Interamnates, habita medio fere mense Iunio. VI. c. 25. 62.

Cic. ad Att. IV. 15. 4. *Nunc Romanas res accipe. A. d. III. Non. Quint.* [= 5 Quintil. (Iulii) 700 = 11 Iunii 54 a. C.] *Sufenas et Cato absoluti; — His rebus actis, Reatini me ad sua tempa duxerunt, —. Redii Romam — a. d. VII. Idus Quint.* [= 9 Quintil. 700 = 15 Iunii 54. a. C.]. Varro de Re Rust. III. c. 2. 3. *Aves hospitales etiam nunc ructor, quas mihi apposuisti paucis ante diebus in villa Reatina ad lacum Velini eunti de controversiis Interamnatium et Reatinorum.*

(3) Oratio *pro Messio*, habita ante d. 4. mensis Iulii. VI. c. 25. 63.

Cic. ad Att. IV. 15. 8 *Haec ego pridie scribebam, quam comitia fore putabantur. Sed ad te v. Kal. Sext.* [= 28 Quintil. 700 = 4 Iulii 54 a. C.] *si facta erunt, et tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam. — Messius defendebatur a nobis.*

(4) Oratio *pro Druso*, paullo post superiorem habita. VI. c. 25. 63.

Cic. ad Att. IV. 15. 9. *Messius defendebatur a nobis —. Deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum.* Ibid. 16 *a.* 5. *Drusus reus est factus a Lucretio, iudicibus reiiciendis a. d.* V. *Non. Quint.* [= 3 Quint. (Iulii) 700 = 9 Iunii 54 a. C.]

(5) Oratio pro *P. Vatinio*, eodem die, quo Drusus erat absolutus, habita contra C. Licinium Calvum. VI. c. 26. 64.

Cic. ad. Q. fr. II. 16. 3. *Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus —. Ego eodem die post meridiem Vatinium aderam defensurus.* Ascon. in Scaurian. p. 18. *Orationem — dixit — pro Vatinio, L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro coss.* Dialog. de Orator. c. 21. 2. *Ipse mihi Calvus, quum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit. — At hercule in omnium studiosorum manibus versantur accusationes, quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex iis oratio. Est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata.* — c. 34. 7. *Altero et vicesimo (aetatis anno) Asinius Pollio C. Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodie quoque cum admiratione legimus.* Valer. Max. IV. c. 2. 4. (*Cicero*) *P. Vatinium dignitati suae semper infestum, duobus publicis iudiciis tutatus est, ut sine ullo crimine levitatis, ita cum aliqua laude.* Quintil. XI. c. 1. 73. *Dixit Cicero pro Gabinio et P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos orationes etiam scripserat: verum caussa iusta fit fatendo, non se de ingenii fama, sed de fide esse sollicitum.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. c. 1. p. 475.

(6) Oratio *pro M. Aemilio Scauro*, quem Sardorum nomine repetundarum postulaverat P. Valerius Triarius. VI. c. 25. 63.

Ascon. ad Scaurian. p. 18. *Hanc quoque Orationem iisdem consulibus dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro coss. Summus iudicii dies fuit a. d.* IIII. *Non. Septembr.* [= 2 Sept. 700 = 7 Aug. 54. a. C.]. *Marcus Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps senatus fuit, — ex praetura provinciam Sardiniam obtinuit, in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est et valde arroganter: quod genus morum in eo paternum videbatur, quum cetera industria nequaquam esset par. — Ipse quum ad consulatus petitionem*

a. d. III. *Kalend. Quint.* [= 28 Iunii = 5 Iunii] *Romam rediisset, quaerentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario, adolescente parato ad dicendum et notae industriae, — postulatus est apud M. Catonem praetorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie Nonas Quintil. post diem tertium, quam C. Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F., M. et Q. Pacuvii fratres, cognomine Claudii:* — p. 20. *Defenderunt Scaurum sex patroni, quum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quattuor uteretur:* — *Fuerunt autem hi: P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messalla Niger, Q. Hortensius.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 23. p. 375. Cic. ad Att. IV. 16 *b.* 7. *Scaurus, qui erat paucis diebus illis absolutus, quum ego partem eius ornatissime defendissem, obnuntiationibus per Scaevolam interpositis, singulis diebus usque ad pridie Kal. Octobr.* [= 29 Sept. 700 = 3 Sept. 54 a. C.], *quo ego haec die scripsi, sublatis, populo tributim domi suae satisfecerat.* Cic. ad Q. fr. III. 1. c. 4. 11. *Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi.* — c. 5. 16. *Scaurum beneficio defensionis valde obligavi. Adhuc erat valde incertum, et quando comitia, et qui consules futuri essent. Quum hanc iam epistolam complicarem, tabellarii a vobis venerunt a. d.* XI. *Kal. Sept.* [= 20 Sextil. 700 = 27 Iulii 54. a. C.]. Conf. ad Att. IV. 15. 9.

(7) Oratio pro *Cn. Plancio*, veteri amico, designato aedili, habita contra Iuventium Laterensem, item amicum, qui ex petitione repulsam tulerat. VI. c. 29. 73.

Schol. Bob. ad Orat. p. Plancio p. 253. [*M. Tullius orationem luculentam L. Domitio et Appio*] *Claudio cos. etiam pro hoc Cn. Plancio dixit, qui reus de sodalitiis petitus est lege Licinia, quam M. Licinius Crassus, Pompeii Magni collega, in consulatu suo* [v. ad a. 699. 2.] *pertulit. — Sed enim Cn. Plancio summa et religiosa cum M. Tullio familiaritas erat beneficiis non mediocribus copulata* [v. ad a. 696. 24.] — *Caussa pendet ex aedilitatis petitione, in qua designatus est Plancius, repulsam ferente Iuventio Laterense patriciae familiae, senatore, non minore facundia, quam generis nobilitate praedito; qui nunc etiam reum de sodalitiis fecit invidioso crimine et reis metuendo propter iudices edititios,* —. Cic. ad Q. fr. III. 1. c. 4. 11. *Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi.* — c. 5. 16. *Quum hanc iam epistolam complicarem, tabellarii a vobis venerunt a. d.* XI. *Kal. Sept.* [= 20 Sextil. 700 = 27 Iulii 54. a. C.] Conf. Wunder. Proleg. ad Plancian. p. LXVIII sqq. Manutius ex c. 15. 37. *Quid? huiusce rei obscura caussa est? an et agitata tum, quum ista in senatu res agebatur, et disputata*

hesterno die copiosissime a Q. Hortensio? colligendum putat, Hortensium quoque in illa caussa Plancii patronum fuisse. Cui assentitur Orellius in Onomast. p. 291. Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 22. p. 375.

(8) Oratio *pro A. Gabinio*, veteri inimico, sed quocum Pompeii caussa in gratiam redierat, habita; quum is e Syria redux (v. ad a. 699. 1.) repetundarum accusabatur, postquam de maiestate postulatus sed absolutus erat. VI. c. 28. 70.

Quintil. XI. c. 1. 73. *Dixit Cicero pro Gabinio et P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos orationes etiam scripserat: verum caussa iusta fit fatendo, non se de ingenii fama, sed de fide esse sollicitum.* Valer. Max. IV. c. 2. 4. *Huiusce generis humanitas* [agitur de reconciliatione] *etiam in M. Cicerone praecipua apparuit. A. namque Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo* [v. ad a. 696. 1 et 12.] *Urbe expulerat.* Conf. Quintil. l. c. Ascon. ad Orat. in Pison. p. 1. *Reversus est ex provincia — Gabinius Domitio et Appio (coss.)* Cic. ad Q. fr. III. 1. c. 5. 15. (*Gabinius*) *ad Urbem accessit a. d.* XII. *Kal. Octobr.* [= 19 Sept. 700 = 24 Aug. 54. a. C.]. *Nihil turpius, nec desertius.* Ibid. c. 7. 24. *Gabinius a. d.* IV. *Kal. Octobr.* [= 27 Sept. 700 = 1 Sept. 54. a. C.] *noctu in Urbem introivit: et hodie hora* VIII., *quum edicto C. Alfii de maiestate eum adesse oporteret, concursu magno et odio universi populi paene afflictus est. Nihil illo turpius.* Dio XXXIX. c. 55. 4. Καὶ ἐκρίθη μὲν ὕστερον ἐπὶ τούτῳ ὁ Γαβίνιος, οὐχ ἑάλω δὲ διά τε τὸν Πομπήιον καὶ διὰ τὰ χρήματα. — τότε μὲν οὖν διὰ ταῦτα ἀφείθη, αὖθις δὲ ἐπί τε ἑτέροις τισὶ, καὶ ὅτι πλέον ἢ μυρίας ἐκ τῆς ἀρχῆς μυριάδας ἤρπασε, κριθεὶς ἑάλω. καὶ ἐκείνῳ τε τοῦτο παραδοξότατον συνέβη· τῆς τε γὰρ προτέρας δίκης διὰ τὰ χρήματα ἀπελύθη, καὶ ἐπὶ τούτοις δι' ἐκείνην ὅτι μάλιστα κατεδικάσθη. Ibid. c. 62. 2. Τὰ μὲν οὖν ἐγκλήματα πολλὰ ἦν, καὶ κατηγόρους οὐκ ὀλίγους εἶχεν. πρῶτον δ' οὖν περὶ τῆς τοῦ Πτολεμαίου καθόδου, ἅτε καὶ μεγίστου, ἐδικάσθη. καὶ ὅ γε δῆμος σύμπας ὡς εἰπεῖν πρός τε τὸ δικαστήριον συνερρύη καὶ διασπάσασθαι πολλάκις αὐτὸν ἠθέλησεν, ἄλλως τε καὶ ὅτι οὔθ' ὁ Πομπήιος παρῆν καὶ ὁ Κικέρων δεινότατα αὐτοῦ κατηγόρησεν. οὕτω δὲ αὐτῶν διακειμένων ἀφείθη· αὐτός τε γὰρ, ἅτε ἐπὶ τηλικούτοις κρινόμενος, παμπληθῆ χρήματα ἀνάλωσε, καὶ οἱ τοῦ Πομπηίου τοῦ τε Καίσαρος ἑταῖροι προθυμότατα αὐτῷ συνήραντο. — c. 63. 1. Ὁ δ' οὖν δῆμος ὀλίγου μὲν καὶ τοὺς

δικαστὰς ἀπέστειλε, διαφυγόντων δὲ αὐτῶν ἐπεστήρισε τὰ λοιπὰ αὐτοῦ ἐγκλήματα, καὶ ἐποίησεν ἐπ' ἐκείνοις γοῦν αὐτὸν ἁλῶναι. οἱ γὰρ λαχόντες περὶ αὐτῶν κρῖναι, τό τε πλῆθος ἅμα φοβηθέντες καὶ μηδὲν μέγα παρὰ τοῦ Γαβινίου εὑράμενοι (ὡς γὰρ ἐπί τε βραχυτέροις εὐθυνόμενος καὶ προσδοκῶν καὶ τότε κρατήσειν οὐ πολλὰ ἐδαπάνησε) κατεψηφίσαντο αὐτοῦ, καίτοι τοῦ τε Πομπηίου πλησίον ὄντος καὶ τοῦ Κικέρωνος συναγορεύοντος αὐτῷ. — 5. Οὐ μέντοι καὶ ὠφέλησά τι τὸν Γαβίνιον, ἀλλὰ τότε μὲν ἔφυγεν ἁλούς. Conf. Appian. B. C. II. c. 24.

(9) Oratio *pro C. Rabirio Postumo;* quae caussa quum quasi quaedam appendicula sit caussae Gabinianae, brevi post habita sit necesse est. VI. c. 31. 78.

Cic. pro Rabir. Post. c. 12. 34. *Ad Alexandrinos istos revertamur. Quod habent os! quam audaciam! Modo, vobis inspectantibus, in iudicio Gabinii, tertio quoque verbo excitabantur: negabant, pecuniam Gabinio datam. — At, si verum tum cum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur: si tunc mentiti sunt, doceant nunc verum esse, quod vultis, aut sileant.* — c. 13. 36. *Dixerunt hic modo nobiscum ad haec subsellia.* Sueton. Claud. c. 16. *Maiorum temporibus, Rabirio Postumo Ptolemaeum Alexandriam crediti servandi caussa secuto, maiestatis crimen apud iudices motum.*

(10) Cicero hoc tempore otium, quo tamen maxime egebat, impendit *libris de Republica* scribendis. VI. c. 36. 92. X. c. 19. 53.

Cic. ad Att. IV. 14. 1. *Velim, domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus, ac si ipse adesses, quum ceteri, tum Varronis. Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex his libris ad eos, quos in manibus habeo: quos, ut spero, tibi valde probabo.* Ibid. 16 a. 2. *Hanc ego de Republica, quam institui, disputationem in Africani personam, et Phili, et Laelii et Manilii contuli. Adiunxi adolescentes, Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos, Scaevolam et Fannium. Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis, quos ἐξωτερικούς vocat, aliquid efficere, ut non sine caussa istum appellarem: id quod intelligo tibi placere. Utinam modo conata effiecre possim! Rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum et gravem, et plurimi otii, quo ego maxime egeo.* ad Q. fr. III. 1. c. 4. 11. *Libros meos, quos expectas, inchoavi: sed conficere non possum his diebus.* — c. 7. 24. *Gabinius — quum edicto C. Alfii de maiestate eum adesse oporteret, concursu magno et*

odio universi populi paene afflictus est. Nihil illo turpius. Proximus est tamen Piso. Itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum librorum meorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset: quorum alter (Piso) *exercitum perdidisset, alter* (Gabinius) *vendidisset* [v. ad a. 696. 31.]. Ibid. III. 5 & 6. 1. *Quod quaeris, quid de illis libris egerim, quos, quum essem in Cumano, scribere institui: non cessavi neque cesso: sed saepe iam scribendi totum consilium rationemque mutavi.* Conf. I. P. Richars, *Comment. phil. crit. de Politicorum Ciceronis librorum tempore natali.* Herbipoli, 1820. 4°.

ANNUS VITAE CICERONIS LIV.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 2 Decemb. 54 a. C.]

a. U. C.	Coss. CN. DOMITIUS CALVINUS.	a. A. C.
701.	M. VALERIUS MESSALLA.	53.

(1) Per septem priores huius anni menses nulli fuerunt Consules, republica delata ad interreges, quorum numerus certe non minor quam XXXVI potuit esse.

Dio XL. c. 17. 1. c. 45. 1. *Ἄλλα τε ἐν τῇ πόλει στασιώδη πολλὰ, καὶ ταῖς ἀρχαιρεσίαις μάλιστα, ἐγένετο, ὥστε μόλις ἑβδόμῳ μηνὶ τόν τε Καλουΐνον καὶ τὸν Μεσσάλαν ὑπάτους ἀποδειχθῆναι — . μάλιστα δὲ οἱ δήμαρχοι — ἐκώλυον τὰς λοιπὰς ἀρχὰς αἱρεθῆναι· — καὶ χιλιάρχους ἀντὶ τῶν ὑπάτων — καθιστάναι ἐσηγοῦντο· ἐπειδή τε οὐδεὶς αὐτῶν ἐπείσθη, δικτάτορα γοῦν τὸν Πομπήϊον λεχθῆναι δεῖν ἔφασκον. — ἐκεῖνός τε γὰρ ἀπεδήμει —.* c. 46. *Τέλος δὲ ὀψέ ποτε αὐτὸς ἐλθὼν τὴν μὲν δικτατορίαν διδομένην οἱ δῆθεν οὐκ ἐδέξατο, τοὺς δὲ ὑπάτους ἀποδειχθῆναι παρεσκεύασεν.* Cf. Appian. B. C. II. c. 19. Cic. ad Att. IV. 15. 7. ad Q. fr. II. 15 *a*. 5.

(2) M. Crassus in expeditione adversus Parthos [v. ad a. 699. 6.], interfecto P. filio exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia et dedecore a. d. V. Idus Iunias [= 9 Iunii 701 = 6 Maii 53. a. C.] perit. VI. c. 38. 98.

Livius Epit. 106. *M. Crassus, bellum Parthis illaturus, Euphratem fluvium transiit, victusque praelio, in quo et filius eius cecidit, quum*

reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in colloquium ab hostibus, velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est. Velleius II. c. 46. 4. *Transgressum Euphratem Crassum petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes una cum parte maiore Romani exercitus interemit.* Florus III. c. 11. 8. *Virdum venerat Carras, quum undique praefecti regis, Sillaces et Surenas ostendere signa auro sericisque vexillis vibrantia. Tum sine mora circumfusi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum, densa pariter tela fuderunt. Sic miserabili strage deletus exercitus. Ipse in colloquium sollicitatus, signo dato, vivus in hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupassent. Sic quoque relatum caput ludibrio hosti fuit. Filium ducis paene in conspectu patris eisdem telis operuere.* Dio XL. c. 17. 1. *Ὁ χειμὼν, ἐν ᾧ Γναῖός τε Καλουῖνος καὶ Οὐαλέριος Μεσσάλας ὑπάτευσαν — Κράσσῳ, τὸν Εὐφράτην κατὰ τὸ Ζεῦγμα — διαβαίνοντι, καὶ προφανῆ καὶ εὐσύμβολα συνηνέχθη. κτέ.* Conf. c. 18—27. Oros. VI. c. 13. Valer. Max. I. c. 6. 11. Obseq. c. 124. Eutrop. VI. c. 18. Iustin. XLII. c. 2—4. Plin. H. N. II. c. 57. V. c. 21. VI. c. 18. Plutarch. Crass. c. 18—31. Pomp. c. 53. Appian. B. C. II. c. 18. Strabo XVI. p. 747. Ioseph. Arch. Iud. XIV. 7. 1. Zosim. Hist. III. c. 32. Zonar. X. c. 7. Ovid. Fast. VI. 465.

(3) Cicero, postquam P. Crassus cum patre in Oriente perierat, in eius locum Augur factus est, cooptatus a Pompeio et Hortensio. VI. c. 38. 98 sq. VII. c. 35. 93.

Plutarch. Cic. c. 36. 1. *Γίγνεται δὲ καὶ τῶν ἱερέων, οὓς Ἄυγουρας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἀντὶ Κράσσου τοῦ νέου μετὰ τὴν ἐν Πάρθοις αὐτοῦ τελευτήν.* Plinius Epist. ad Arrianum (IV. 8. 4.) *Te quidem, ut scribis, ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod Marcus Tullius augur fuit. Laetaris enim, quod honoribus eius insistam, quem aemulari in studiis cupio.* Lactantius Div. Instit. I. c. 15. 16. *M. Tullius, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit, siquidem solus exstitit Platonis imitator, in eo libro, quo se ipsum de morte filiae consolatus est, non dubitavit dicere, deos, qui publice colerentur, homines fuisse. Quod ipsum testimonium eo debet gravissimum iudicari, quod et augurale habuit sacerdotium, et eosdem se colere venerarique testatur.*

ANNUS VITAE CICERONIS LV.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 21 Novemb. 53 a. C.]

a. U. C.	Cos. CN. POMPEIUS MAGNUS III,	a. A. C.
702.	sine collega,	52.

quem legit sibi demum ex Kal. Sextil. (v. infra n. 6.)

[= 1 Sext. (Aug.) 702 = 9 Iulii 52 a. C.]

(1) Idem accidit, quod superiore anno, ut per priores menses nulli essent consules in republica. Pompeius demum creatus est post satis longum interregnum.

Livius Epit. 107. *Quum seditiones inter candidatos consulatus Hypsaeum, Scipionem et Milonem essent, qui armis ac vi contendebant; ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus a senatu consul tertium factus est, absens et solus, quod nulli alii umquam contigit.* Ascon. in Milonian. p. 32. *Quum diu tracta essent comitia consularia, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, et ob id mense Ianuario nulli dum neque consules neque praetores essent, traherenturque dies eodem, quo antea, modo;* —. p. 35. *Fiebant interea alii ex aliis interreges, qui comitia consularia propter eorum candidatorum tumultus — habere non poterant. Itaque primo factum erat senatusconsultum, ut interrex et tribuni plebis et Cn. Pompeius, qui pro consule ad Urbem erat, viderent, ne quid detrimenti respublica caperet.* — p. 37. *Inter haec quum crebresceret rumor, Cn. Pompeium creari dictatorem oportere, neque aliter mala civitatis sedari posse, visum est optimatibus tutius esse, eum consulem sine collega creari, et, quum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam senatusconsulto, Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio* v. *Kal. Mart. mense intercalario* [= 24 mensis Intercalaris 702 = 4 Febr. 52. a. C.] *consul creatus est, statimque consulatum iniit.* Velleius II. c. 47. 3. *Tum in gladios caedesque civium furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur, nec modus, tertius consulatus soli Cn. Pompeio, etiam adversantium antea dignitati eius iudicio, delatus est.* Dio XL. c. 50. 3. *Μετεώρου δὲ τῆς πόλεως οὔσης ἐπὶ τοῖς ἄρξουσι σφῶν, καὶ διαφροντων τῶν μὲν ὡς δικτάτορα τὸν Πομπήιον, τῶν δὲ ὡς ὕπατον τὸν Καίσαρα αἱρεθῆναι δεῖ, — φοβηθέντες ἑκάτερον οἵ τε ἄλλοι βουλευταὶ καὶ Βίβουλος, ὅσπερ που τὴν γνώμην πρῶτος*

ἐρωτηθεὶς ποιήσασθαι ἔμελλε, προκαιέλαβον τὴν τοῦ πλήθους ὁρμὴν, τῷ Πομπηίῳ τὴν ὑπατείαν, ὥστε μὴ δικτάτορα αὐτὸν λεχθῆναι, καὶ μόνῳ γε, ἵνα μὴ ὁ Καῖσαρ αὐτῷ συνάρξῃ, δόντες. ξένον τε δὴ τοῦτο καὶ ἐπὶ μηδενὸς ἄλλου γενόμενον ἔπραξαν, καὶ ὀρθῶς αὐτὸ πεποιηκέναι ἔδοξαν. Conf. Plutarch. Pomp. c. 54. 3. Caesar. c. 28. 2. Caton. Min. c. 47. 1. Appian. B. C. II. c. 23.

(2) Ambitus autem quum ageretur, non more maiorum, sed largitione aperta, et res denique ad vim et caedem spectaret, a. d. XIII. Kal. Febr. [= 18 Ian. 702 = 8 Decemb. 53. a C.] Miloni, Lanuvium proficiscenti ad flaminem ibi prodendum, obviam factus est Clodius, cui summae erant cum Milone inimicitiae. Pugna inter utriusque comitatum coorta, Clodius a Milonis servis interfectus est prope oppidum Bovillas.

Ascon. in Milon. p. 31. *Miloni et Clodio summae erant inimicitiae, quod et Milo Ciceroni erat amicissimus in reducendoque eo enixe operam reipublicae dederat, et P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus —. Ac saepe inter se Milo et Clodius cum suis factionibus Romae depugnaverant, et erant uterque audacia pares: sed Milo pro melioribus partibus stabat. — A. d. XIII. Kal. Febr. — Milo Lanuvium, ex quo erat municipio et ibi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricia. — Vehebatur Clodius equo. Servi XXX fere expediti — gladio cincti sequebantur. — Milo rheda vehebatur cum uxore Fausta. — Sequebatur eos magnum servorum agmen, inter quos gladiatores quoque erant —. Ii, in ultimo agmine tardius euntes, cum servis P. Clodii rixam commiserunt. — Atque ita Clodius — multis vulneribus confectus est.* Cic. pro Milon. c. 10. 27. *Quum sciret Clodius, — iter solenne, legitimum, necessarium ante diem XIII. Kalendas Febr. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo; Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum — Miloni insidias collocaret* cet. Conf. Livius Epit. 107. Plinius H. N. XXXIV. c. 11. 5. Velleius II. c. 47. 4. Dio XL. c. 48 sqq. Appian. B. C. II. c. 20 sqq. Car. Guil. Elberling, *Narratio de T. Annio Milone*, Havniae, 1840. 8°.

(3) Pompeius, inito tertio consulatu, statim formam iudiciorum ita commutavit, ut modum dicendi intra cer-

tum horarum numerum contraxerit; qua lege veluti frenos imposuit eloquentiae, cum armatis ipse praesidens iudicibus. VII. c. 37. 99.

Ascon. in Milonian. p. 37. *Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio* v. *Kal. Mart. mense intercalario* [= 24 mensis Intercalaris 702 = 4 Febr. 52 a. C.] *consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem tertium* [i. e. pridie Kal. Mart. = 27 mensis Intercalaris = 7 Febr. 52 a. C.] *de legibus novis ferendis retulit: duas ex Senatusconsulto promulgavit, alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam et incendium curiae et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu; poenam graviorem et formam iudiciorum breviorem: utraque enim lex prius testes dari* [per triduum], *deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorari iubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Caelius, trib. pl., conatus est*, sqq. Id. p. 39. *Perlata deinde lege Pompeii, in qua id quoque scriptum erat, ut quaestor suffragio populi ex iis, qui consules fuerant, crearetur*, sqq. Id. p. 40. (*Lex*) *iubebat, ut prius, quam caussa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices confirmarent, quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, ac coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur; dein rursus postera die sortitio iudicum fieret, unius et octoginta; qui numerus quum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent; tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo iudicaretur; prius autem, quam sententiae ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret, ita ut numerus iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta et unus.* Cic. ad Att. XIII. 49. 1. *Scis enim (lege Pompeia) dies illorum iudiciorum praestitutos fuisse.* Conf. de Finib. B. et M. IV. c. 1. 1. Dialog. de Orat. c. 38. *Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum, quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius astrinxit imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur.* Dio XL. c. 52. 1. *Τὰ δικαστήρια ἀκριβέστερον ἐκ τῶν τοῦ Πομπηίου νόμων συνήγετο. πάντας τε γὰρ τοὺς ἄνδρας, ἐξ ὧν τοὺς δικάσοντας ἀποκληροῦσθαι ἔδει, αὐτὸς ἐπελέγετο, καὶ τὸν τῶν συναγορευσόντων ἑκατέρῳ τῷ μέρει ἀριθμὸν ὥρισεν, ὥστε μὴ ὑπὸ τοῦ πλήθους αὐτῶν*

τοὺς δικαστὰς θορυβουμένους ἐκταράττεσθαι. χρόνον τε τῷ μὲν διώκοντι δύο ὥρας, τῷ δὲ φεύγοντι τρεῖς δίδοσθαι ἐκέλευσεν. Plutarch. Pomp. c. 55. 3. Ἐπεὶ δὲ ταῖς δίκαις τῶν δωροδοκιῶν καὶ δεκασμῶν ἐπίστας καὶ νόμους γράψας, καθ' οὓς αἱ κρίσεις ἐγίγνοντο, τὰ μὲν ἄλλα σεμνῶς ἐβράβευε καὶ καθαρῶς ἀσφάλειαν ἅμα καὶ κόσμον καὶ ἡσυχίαν αὐτοῦ προκαθημένου μεθ' ὅπλων τοῖς δικαστηρίοις παρέχων, κτέ.

(4) *Milonem* de vi accusatum a. d. VI. Idus April. [= 8 Apr. 702 = 18 Mart. 52 a. C.] *defendit Cicero*, sed ita ut fori adspectu, iussu Pompeii militibus circumdati, et acclamationibus Clodianorum perturbatus parum constanter diceret. Eam quae exstat pro Milone orationem postea scripsit, quum Milo condemnatus Massiliam exsulatum abisset.

Ascon. in Milon. p. 31. *Hanc dixit Cn. Pompeio* III. *consule a. d.* VI. *Idus April. Quod iudicium quum ageretur, exercitum in foro et omnibus in templis, quae circum forum sunt, collocatum a Cn. Pompeio fuisse, non tantum ex oratione et annalibus, sed etiam ex libro appareret, qui Ciceronis nomine inscribitur de optimo genere oratorum* (c. 4. 10.) — p. 35. *Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sulla. Verba pauca Q. Hortensius dixit: liberos esse eos, qui pro servis postularentur.* Conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXV. 24. p. 375. Ascon. in Milon. p. 42. *Cicero quum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt. Itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta eius* [sed quam hodie desideramus] *oratio. Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi possit.* — p. 53. *Peracta utrimque caussa singuli quinos accusator et reus senatores, totidem equites et tribunos aerarios reiecerunt, ita ut unus et* L *sententias tulerint. Senatores condemnaverunt* XII, *absolverunt* VI. *Equites condemnaverunt* XIII, *absolverunt* IIII. *Tribuni aerarii condemnaverunt* XIII, *absolverunt* III. — p. 54. *Post paucos dies quoque Milo apud Favonium quaestorem de sodaliciis damnatus est. — Deinde apud L. Fabium quaestorem iterum absens damnatus est de vi. — Milo in exsilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est.* Schol. Bob. in Milon. p. 276. *Quoniam et turbulenta res erat — et circumpositi iudicio milites —, perferri defensio ista non potuit: nam metu consternatus et ipse Tullius pedem rettulit; et exsistit alius praeterea liber actorum pro Milone, in quo omnia interrupta et inpolita et ru-*

dia, plena denique maximi terroris agnoscas. Sane orationem postea legitimo opere et maiore cura, utpote iam confirmatus animo et in securitate, conscripsit. Quintil. IV. c. 3. 17. *Ciceroni quoque in prooemio, quum diceret pro Milone, digredi fuit necesse, ut ipsa oratiuncula, qua usus est, patet.* Conf. IV. c. 2. 25. VI. c. 5. 10. IX. c. 2. 41. XI. c. 3. 47. Dio XL. c. 54. 1. *Τά τε οὖν δικαστήρια ἡσύχως ἐκ τούτων συνήγετο, καὶ ἐδικαιώθησαν ἐπί τε ἑτέροις τισὶ πολλοὶ καὶ ἐπὶ τῷ τοῦ Κλωδίου φόνῳ ἄλλοι τε καὶ ὁ Μίλων, καίτοι τὸν Κικέρωνα συναγωνιστὴν ἔχων. ὁ γὰρ ῥήτωρ ἐκεῖνος τόν τε Πομπήιον καὶ τοὺς στρατιώτας ἐν τῷ δικαστηρίῳ παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἰδὼν ἐξεπλάγη καὶ κατέδεισεν, ὥστε τῶν μὲν παρεσκευασμένων μηδὲν εἰπεῖν, βραχὺ δέ τι καὶ τεθνηκὸς χαλεπῶς φθεγξάμενος ἀγαπητῶς μεταστῆναι. τοῦτον γὰρ τὸν λόγον, τὸν νῦν φερόμενον ὡς καὶ ὑπὲρ τοῦ Μίλωνος τότε λεχθέντα, χρόνῳ ποθ' ὕστερον καὶ κατὰ σχολὴν ἀναθαρσήσας ἔγραψεν.* Plutarch. Cic. c. 35. 1. *Μετὰ ταῦτα Κλώδιον μὲν ἀποτίννυσι Μίλων· καὶ διωκόμενος φόνου Κικέρωνα παρεστήσατο συνήγορον. κτέ.* cfr. Chr. Aug. Schwarz, *Progr. in quo inquiritur an Cicero ob Milonem defensum sit reprehendendus.* Gorlit. 1789. 4°. Aug. Fr. Guil. Curth, *Dissert. aesthetica de artificiosa forma Orationis pro T. Annio Milone.* Berolini, 1833. 8°.

(5) Meliore successu deinde *M. Saufeium*, qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis et Clodio occidendo, bis accusatum bis *defendit Cicero;* utroque enim iudicio absolutus est.

Ascon. in Milon. p. 54. *Post Milonem eadem lege Pompeia primus est accusatus M. Saufeius M. F., qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis et Clodio occidendo. Accusaverunt eum L. Cassius, L. Fulcinius, C. F., C. Valerius. Defenderunt M. Cicero, M. Caelius, obtinuerantque, ut una sententia absolveretur. — Manifestum odium Clodii saluti Saufeio fuit, quum eius vel peior caussa quam Milonis fuisset, quod aperte dux fuerat expugnandae tabernae. Repetitus deinde post paucos dies apud Considium quaestorem est lege Plautia de vi —. Defenderunt M. Cicero, M. Terentius Varro Gibba. Absolutus est sententiis plenius quam prius.* cet. De Caelio patrono conf. Meyer. Orat. Rom. Fragm. XCVII. 4. p. 465. De Varrone tacet Meyer. Orellius in Onom. p. 575. Varronem facit Saufeii accusatorem.

(6) Ex Kal. Sextil. [= 1 Sext. (Aug.) 702 = 9 Iulii 52 a. C.] Pompeius collegam sibi in consulatu legit socerum suum Q. Caecilium Metellum Pium Scipionem.

Plutarch. Pomp. c. 55. 1. *Πομπήιος δὲ παρελθὼν εἰς τὴν πόλιν ἔγημε Κορνηλίαν θυγατέρα Μετέλλου Σκηπίωνος, οὐ παρθένον, ἀλλὰ χήραν ἀπολελειμμένην νεωστὶ Ποπλίου τοῦ Κράσσου παιδὸς, — ἐν Πάρθοις τεθνηκότος* [v. ad a. 701. 2.]. — 5. *καὶ προσείλετο συνάρχοντα τὸν πενθερὸν εἰς τοὺς ὑπολοίπους πέντε μῆνας.* Appian. B. C. II. c. 25. *Καὶ ὁ Πομπήιος, ὡς ἤδη τὰ χρήζοντα τῆς μοναρχίας διωρθωμένος, τὸν Σκιπίωνα σύναρχον ἐς τὸ λοιπὸν τοῦ ἔτους ἐποιεῖτο.* Dio XL. c. 51. 1. *Οὐ μέντοι καὶ μόνος ἄρξαι ἠθέλησεν· τὴν γὰρ εὔκλειαν ἐν τῷ δεδόχθαι τοῦτ' ἔχων, τὸν φθόνον τὸν ἐπ' αὐτῇ ἐξέκλινεν. — αὐτὸς δὲ Κύιντον Σκιπίωνα πενθερόν τέ οἱ ὄντα καὶ δεκασμοῦ αἰτίαν ἔχοντα προσείλετο.*

(7) Pompeius legem fert de iure magistratuum, quam deinde tamen ipse subvertit, concedens tribunis ut ferrent de consulatu Caesari mandando absenti. VIII. c. 14. 35.

Sueton. Caes. c. 28. *Acciderat, ut is (Pompeius) legem de iure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Caesarem quidem exciperet, per oblivionem; ac mox, lege iam in aes incisa et in aerarium condita, corrigeret errorem.* Florus IV. c. 2. 16. *Consulatum absenti decem tribuni, favente Pompeio, decreverant.* Caesar B. C. I. c. 32. *Latum ab X tribunis plebis (contradicentibus inimicis —) ut sui ratio absentis haberetur, ipso consule Pompeio: qui si improbasset, cur ferri passus esset?* Tacit. Ann. III. c. 28. *Cn. Pompeius tertium consul, corrigendis moribus delectus, et gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit.* Dio XL. c. 56. 1. *Τὸν περὶ τῶν ἀρχαιρεσιῶν νόμον, τὸν κελεύοντα τοὺς ἀρχήν τινα ἐπαγγέλλοντας ἐς τὴν ἐκκλησίαν παντῶς ἀπανιέναι, ὥστε μηδένα ἀπόντα αἱρεῖσθαι, παρημελημένον πως ἀνενεώσατο· — οὐδ' ἠσχύνθη τότε μὲν τοιαῦτα γράψας — τῷ Καίσαρι καὶ ἀπόντι (οἱ γὰρ φίλοι αὐτοῦ δεινῶς ἠγανάκτουν) αἰτῆσαι τὴν ὑπατείαν, ὥσπερ ἐψηφίστο, δούς.* Appian. B. C. II. c. 25. *Τοὺς δὲ δημάρχους ἔπεισεν (ὁ Καῖσαρ) εἰσηγήσασθαι νόμον, ἐξεῖναι Καίσαρι δευτέραν ὑπατείαν ἀπόντι μετιέναι. Καὶ τοῦθ', ὑπατεύοντος ἔτι τοῦ Πομπηίου καὶ οὐδὲν ἀντείποντος, ἐπεκύρωτο.*

(8) Mense Decembri T. Munatius Plancus Bursa, tribunatu plebis deposito, accusatus a Cicerone, omnibus sententiis, maximo populi plausu condemnatus est, quod Curiam incendisset.

Cic. ad Marium (ad Fam. VII. 2. 2.) *De Bursa te gaudere certo scio; sed nimis verecunde mihi gratularis. Putas enim, ut scribis, propter hominis sordes minus me magnam illam laetitiam putare. Credas mihi velim, magis me iudicio hoc, quam morte inimici laetatum*, cet. Id. Phil. VI. c. 4. 10. *Plancum, qui omnibus sententiis maximo vestro plausu condemnatus, nescio quomodo se coniecit in turbam, atque ita maestus rediit, ut retractus, non reversus videretur, sic contemnit (Antonius), tamquam si illi aqua et igni interdictum sit: aliquando negat ei locum esse oportere in curia, qui incenderit curiam.* Ibid. XIII. c. 12. 27. *T. Plancus, si senatum dilexisset, numquam curiam incendisset. Quo scelere damnatus in eam urbem rediit armis, unde excesserat legibus.* Dio XL. c. 55. 1. Ὁ τε Πλάγκος, ἐπειδὴ πρῶτον ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐξῆλθεν, — (ἐάλω) διὰ τὴν τοῦ βουλευτηρίου ἔμπρησιν, καίτοι τῷ Πλάγκῳ καὶ τοῦ Πομπηίου συσπουδάσαντος, ὥστε καὶ βιβλίον ἔπαινόν τε ἅμα αὐτοῦ καὶ ἱκετείαν ἔχον ἐς τὸ δικαστήριον ἔπεμψεν. ὁ γὰρ Κάτων ὁ Μάρκος (δικάζειν δὲ ἔμελλεν) οὐκ ἔφη τὸν ἐπαινέτην ἐπὶ τῇ τῶν ἑαυτοῦ νόμων καταλύσει προσίεσθαι. καὶ ὁ μὲν οὐκέτι τὴν ψῆφον ἔδωκεν· — Οἱ μέντοι ἄλλοι δικασταὶ κατεψηφίσαντο αὐτοῦ. — καίπερ καὶ τότε ὁ Κικέρων οὐδὲν βέλτιον τοῦ Πλάγκου κατηγόρησεν ἢ ὑπὲρ τοῦ Μίλωνος ἀπελογήσατο· ἥ τε γὰρ τοῦ δικαστηρίου ὄψις ἡ αὐτὴ ἦν, καὶ ὁ Πομπήιος ἐν ἑκατέρῳ τἀναντία οἱ καὶ ἐβουλεύετο καὶ ἔπραττεν. Conf. Plutarch. Pomp. c. 55. 4.

(9) Sermo *de Finibus Bonorum et Malorum*, quem Cicero postea [v. ad a. 709. 11.) scripto consignavit, hoc anno habitus esse fingitur. X. c. 13. 30.

Cic. de Finib. B. et M. II. c. 18. 57. *Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat, verum etiam praepotentem: ut M. Crassus fuit, qui tamen solebat uti suo bono; ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda: esse enim quum vellet iniquus, poterat impune.* Ibid. IV. c. 1. 1. *Ain tandem, inquit, quum ego te hac nova lege* [v. ad a. 702. 3.] *videam eodem die accusatori respondere, et tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas?*

(10) Cicero hoc anno, certe post Milonianum iudicium, e Graeco in Latinum sermonem convertit *Aeschinis in Ctesiphontem et Demosthenis pro Ctesiphonte orationes;* quibus, prooemii loco, praemisit librum *de optimo genere oratorum.* I. c. 24. 80.

Cic. de optimo gen. Orat. c. 4. 10. *Ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere, elate Lysias fortasse non possit. Sed si eodem modo putant, exercitu in foro et in omnibus templis, quae circum forum sunt, collocato* [v. ad a. 702. 4.], *dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum iudicem diceremus, vim eloquentiae sua facultate, non rei natura metiuntur.* Conf. Ascon. in Milon. p. 31.

(11) Hoc fere tempore Cicero coepit scribere libros *de Legibus*. VI. c. 37. 95.

In argumentis internis, quae docere possint, scriptionem horum librorum ad hoc fere tempus referendam esse, primum est commemoratio librorum de Republica (II. c. 10. 23.) quos a. 700. conscriptos esse supra diximus; tum Appii Claudii Pulchri, tamquam inter vivos degentis mentio (II. c. 13. 32.), quem ante pugnam Pharsalicam (a. 706.) obiisse tradunt Valer. Max. I. c. 8. 10. et Orosius VI. c. 15.; denique etiam Pompeii mentio tamquam viventis (I. c. 3. 6. III. c. 9. 22. III. c. 11. 26.), quem constat in Aegypto trucidatum esse, quo confugerat ex pugna Pharsalica. His accedat locus ex L. II. c. 17. 42. *Qui vero ex iis et horum scelerum principes fuerunt et praeter ceteros in omni religione impii, non solum vita cruciati atque dedecore, verum etiam sepultura ac iustis exsequiarum caruerunt*, quibus verbis significari videtur P. Clodius, quem talem habuisse vitae exitum dicit Cicero pro Mil. c. 13. 33. *Tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti; tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* Quominus autem hos libros sequenti demum anno conscriptos esse statuamus, hoc impedit, quod sequens annus Ciceroni necessitatem imposuit provinciae administrandae, unde ipse redux in ipsas incidit belli civilis flammas. Conf. Bake, Prolegom. ad Cic. de Legib. p. XVII sqq. E. Horrmann, *De tempore, quo Ciceronis libri de Legibus scripti esse videantur.* Detmoldii, 1845. 4°.

ANNUS VITAE CICERONIS LVI.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 8 Decemb. 52 a. C.]

a. U. C.	Coss. SER. SULPICIUS RUFUS.	a. A. C.
703.	M. CLAUDIUS MARCELLUS.	51.

(1) Quum veteri Senatusconsulto cautum esset, ne quis

praetorius aut consularis intra quinquennium in provinciam iret; quumque superiore anno Pompeius istud S. C. confirmasset; coacti sunt ii provincias administrare, qui in eas e consulatu et praetura nondum iverant. VII. c. 1. 1.

Dio XL. c. 46. 2. *Δόγμα τε ἐποιήσαντο* [coss. Domitius Calvinus et Valerius Messalla a. U. C. 701.] *μηδένα μήτε στρατηγήσαντα μήθ' ὑπατεύσαντα τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν ἂν πέντε ἔτη διέλθῃ, λαμβάνειν.* c. 56. 1. de Pompeio cos. a. 702. *Τό τε δόγμα τὸ μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενον, ὥστε τοὺς ἄρξαντας ἐν τῇ πόλει μὴ πρότερον ἐς τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν πέντε ἔτη παρελθεῖν, κληροῦσθαι, ἐπεκύρωσαν.*

(2) Itaque Cicero, quum Cilicia ei obtigisset pro consule regenda, ex SCto iussus est Ariobarzanem Euseben et Philoromaeum, Cappadociae regem, tueri eiusque regnum defendere. VII. c. 17. 46. c. 18. 49 sqq. Quod negotium non sine taedio suscepit, tum quod firmiori ad istam provinciam opus esset praesidio, tum vero quod invitus abesset ab Urbe. VII. c. 1. 1 sqq. c. 3. 7. c. 11. 32. c. 28. 76. c. 29. 79.

Cic. ad M. Marcellum cos. (ad Fam. XV. 9. 1.) *Nos quidem longinqui, et a te ipso missi in ultimas gentes —. Unum vero si addis ad praeclarissimas res consulatus tui, ut aut mihi succedat quam primum aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatus consulto et lege finisti; omnia me per te consecutum putabo.* Id. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 3. 1.) *Multo ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram: neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis, monente et denuntiante te. Etsi enim abfui magnam partem consulatus tui, tamen et absens cognoscebam, quae esset tua in hoc pestifero bello cavendo et praedicendo sententia, et ipse adfui primis temporibus tui consulatus, quum accuratissime monuisti senatum.* Id. ad Att. V. 18. 1. *Nobis enim, hac infirmitate exercitus, inopia sociorum, praesertim fidelium, certissimum subsidium est hiems.* Id. ad senatum (ad Fam. XV. 1. 6.) *Mihi in hac paucitate militum animus certe non deerit: spero, ne consilium quidem.* Plutarch. Cic. c. 36. 1. *Εἶτα κλήρῳ λαχὼν τῶν ἐπαρχιῶν Κιλικίαν καὶ στρατὸν ὁπλιτῶν μυρίων καὶ δισχιλίων, ἱππέων δὲ δισχιλίων ἑξακοσίων, ἔπλευσε, προσταχθὲν αὐτῷ καὶ τὰ περὶ Καππαδοκίαν Ἀριοβαρζάνῃ τῷ βασιλεῖ φίλα καὶ πειθήνια παρασχεῖν.* v. ad a. 703. 15. Huc pertinere videtur Programma Laur. Begeri, *Examen dubiorum quorumdam an Cicero Proconsul Asiae appellari possit.* Colon. March. 1704. fo.

(3) In huius autem provinciae administratione Cicero successit Appio Claudio Pulchro, fratri P. Clodii, famosissimi illius tribuni plebis, qui Ciceronem in exsilium ieecerat (v. ad a. 696. 9.). Quae iniuria effecit ut minus sincera esset inter Appium et Ciceronem benevolentia, quamvis vellent amici videri. VII. c. 1. 1. c. 10. 24. c. 11. 27. c. 12. 34.

Cic. ad M. Caelium (ad. Fam. II. 13. 2.) *Ego Appium, ut saepe tecum locutus sum, valde diligo, meque ab eo diligi statim coeptum esse, ut simultatem deposuimus, sensi. Nam et honorificus in me consul fuit* (a. U. C. 700.) *et suavis amicus et studiosus studiorum etiam meorum. — Quid est caussae, cur mihi non in optatis sit complecti hominem, florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis, collegam meum praesertim et in ipsa collegii laude et scientia studiosum mei? Haec eo pluribus scripsi, quod nonnihil significabant tuae litterae, subdubitare te, qua essem erga illum voluntate. Credo, te audisse aliquid. Falsum est, mihi crede, si quid audisti.* Id. ad App. Pulchr. (ad Fam. III. 1. 1.) *Sic tibi persuade, carissimum te mihi esse quum propter multas suavitates ingenii, officii, humanitatis tuae, tum quod ex tuis litteris et ex multorum sermonibus intelligo, omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod quum ita sit, perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine et gratia, et crebritate et magnitudine officiorum meorum sarciam.* Ad eumd. (ad Fam. III. 4. 2.) *Meum studium erga te et officium tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in iis maxime declarabo, quibus plurimum significare potero, tuam mihi existimationem et dignitatem carissimam esse. — Me a te plurimi fieri, — egomet multis argumentis iam antea iudicaram, maximeque illo libro Augurali, quem ad me amantissime scriptum, suavissimum misisti.* Cfr. Wetzel, Praef. ad L. III. Epistol. Ciceronis (Lignitii, 1794) p. 114 sq. et, quem Orellius citat, Borghesius in *Giornale Arcadico* 28. p. 222.

(4) Cicero legatos secum in provincia habuit Q. fratrem, qui memoratur VII. c. 5. 12. c. 20. 56. c. 22. 61. c. 24. 65. c. 32. 86. c. 33. 89. c. 45. 117. C. Pomptinium, qui memoratur VII. c. 5. 12 et 14. c. 20. 56 et 57. c. 32. 86. c. 33. 88. M. Anneium, q. m. VII. c. 6. 16. c. 13. 37. c. 20. 56.

L. Tullium, q. m. VII. c. 5. 14. c. 8. 20. c. 20. 56. c. 26. 69. Quaestorem autem habuit L. Mescinium, cuius mentio fit VII. c. 5. 14. c. 32. 86. c. 33. 88. c. 34. 91. Duxit praeterea secum et suum et fratris filium cum eorum magistro, Dionysio. VII. c. 8. 21. c. 22. 61. c. 45. 117. Denique fuit quoque inter comites Cn. (Q.) Volusius [v. ad a. 704. 3.] praefectus fortasse vel tribunus militum. VII. c. 5. 14. c. 24. 65.

Cic. ad Att. v. 4. 2. *De Pomptinio, recte scribis. Est enim ita, ut, si ante Kalend. Iun.* [= 1 Iun. 703 = 30 Apr. 51 a. C.] *Brundisii futurus sit, minus urgendi fuerint M. Anneius et Tullius.* Ibid. 9. 3. *Cicero meus, modestissimus et suavissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysium semper equidem, ut scis, dilexi: sed quotidie pluris facio.*

(5) Iter in Ciliciam facere instituit a. d. VI. Id. Mai [= 10 Maii 703 = 8 Apr. 51 a. C.] et postridie Beneventum venit. VII. c. 3. 6 sq.

(6) Idibus Maiis [= 15 Maii = 13 April.] Venusia profectus mane, a. d. XV. Kal. Iun. [= 18 Maii = 16 Apr.] venit Tarentum; quam urbem, quum triduum cum Pompeio fuisset, reliquit a. d. XIII. Kal. Iunias [= 20 Maii = 18 April.] VII. c. 3. 8.

Cic. ad M. Caelium (ad Fam. II. 8. 2.) *Ego — cum Pompeio complures dies nullis in aliis, nisi de republica, sermonibus versatus sum: quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt. Tantum habeto, civem egregium esse Pompeium* cet.

(7) Brundisium venit a. d. XI. Kal. Iun. [= 22 Maii = 20 Apr.], ubi ipsi praesto fuerunt legati Appii Pulchri et Phania libertus eiusdem. VII. c. 4. 9 sq. c. 11. 28.

Cic. ad App. Pulchrum (ad Fam. III. 4. 1.) *Quum essem Brundisii, litteras tuas accepi: quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quae illum mecum loqui vellet. — Mihi et Q. Fabius Virgilianus et C. Flaccus, Lucii filius, et diligentissime M. Octavius, Cnaei filius, demonstravit, me a te plurimi fieri.* Ibid. 1. 1. *Si ipsa respublica tibi narrare posset, quomodo sese haberet, non facilius ex ea cognoscere posses, quam ex liberto tuo Phania: ita est homo non modo prudens, verum etiam (quod iuvet) curiosus.* cet.

(8) A. d. XVII. Kal. Quint. [= 14 Iunii 703 = 13 Maii 51 a. C.] Actium et decem diebus post venit Athenas. VII. c. 4. 11. c. 5. 12.

(9) Athenis quum decem ipsos dies fuisset, profectus inde pridie Nonas Quint. [= 6 Quint. (Iulii) = 3 Iunii] ad Ceo venit a. d. VIII. Idus [= 8 Quint. = 5 Iunii], deinde Gyarum, Scyrum, Delum, denique Ephesum a. d. XI. Kal. Sext. [= 22 Quint. (Iul.) = 19 Iunii]. VII. c. 5. 14. c. 6. 15.

Cic. ad M. Caelium (ad Fam. II. 8. 3.) *Ego quum Athenis decem ipsos dies fuissem, — proficiscebar inde pridie Nonas Quintiles, quum hoc ad te litterarum dedi.* ad Att. V. 13. 1. *Ephesum venimus a. d. XI. Kal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillanam* (v. ad a. 702. 2.).

(10) Epheso profectus, ubi triduum commoratus erat, Tralles venit a. d. VI. Kal. Sext. [= 27 Quint. (Iul.) = 24 Iunii], ubi praesto fuit L. Lucilius cum litteris Appii. VII. c. 6. 15. c. 8. 19.

(11) Tandem Laodiceam, primam provinciae urbem, venit pridie Kalendas Sextiles [= 31 Quint. (Iul.) 703 = 28 Iunii 51 a. C.]. VII. c. 8. 20. c. 9. 22. c. 11. 33. c. 18. 47. c. 28. 76.

(12) Quum Laodiceae et in aliis oppidis aliquot dies moraretur ut vulnera sanaret, quae miserae provinciae imposita erant ab App. Claudio, Cicero et ob hoc beneficium et propterea quod ea omnia observaret, quae lege Iulia (v. ad a. 695. 6.) erant praescripta, mirabiliter ubique ita acceptus est ut nihil posset esse exoptatius. VII. c. 8. 20. c. 9. 22 sq. c. 12. 36.

Cic. ad Att. V. 15. 2. *Quaeris, quid hic agam? Ita vivam, ut maximos sumptus facio. Mirifice delector hoc instituto. Admirabilis abstinentia ex praeceptis tuis: ut verear, ne illud, quod tecum permutavi versura mihi solvendum sit. Appii vulnera non refrito: sed*

νοι. — c. 29. 3. Κἀν τούτῳ ὁ Κάσσιος ἔς τε τὴν ὁδὸν δι' ἧς ἀποπορεύσασθαι ἔμελλον ἐλόχισα, κἀνταῦθα ἐπιφανείς σφισι μετ' ὀλίγων ἔς τε δίωξιν αὐτοὺς ὑπηγάγετο, καὶ περιστοιχισάμενος ἄλλους τε καὶ τὸν Ὥσακην ἀπέκτεινεν.

(21) Interim venit Bibulus, ut Syriae praeesset, qui triumphi cupiditate adductus, male rem gessit cum hostibus. VII. c. 21. 59. c. 30. 80.

Cic. ad M. Caelium (ad Fam. II. 10. 2.) *Bibulus provinciam acceperat.* Caelius ad Cicer. (ad Fam. VIII. 6. 4.) *Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit. Hoc sic nuntiatum est.* Cic. ad Att. VII. 2. 8. *Sed, ut nihil magno opere metuam, Parthi faciunt, qui repente Bibulum semivivum reliquerunt.* Dio XL. c. 30. 1. *Ἅμα δὲ οὗτος (ὁ Πάκορος) ἀναχωρήσει καὶ ὁ Βίβουλος ἄρξων τῆς Συρίας ἀφίκετο —. καὶ αὐτὸς μὲν ἐν ἡσυχίᾳ τὸ ὑπήκοον διήγαγε, τοὺς δὲ δὴ Πάρθους ἐπ' ἀλλήλους ἔτρεψεν· Ὀρνοδαπάντην γάρ τινα σατράπην ἀχθόμενον τῷ Ὀρώδῃ προσποιησάμενος, ἀνέπεισε διαγγέλλων τόν τε Πάκορον βασιλέα στήσασθαι καὶ ἐπ' ἐκεῖνον μετ' αὐτοῦ στρατεῦσαι.*

(22) Cicero, vastato Amano, Pindenissum, oppidum munitissimum Eleutherocilicum, diu omnibus machinis oppugnatum, septimo et quadragesimo die cepit, Saturnalibus [a. d. XIV. Kal. Ianuar. = 17 Decemb. 703 = 10 Novemb. 51 a. C.] VII. c. 22. 60. c. 29. 77.

Cic. ad Att. V. 20. 5. *Nos Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, (feri homines et acres, et omnibus rebus ad defendendum parati) cinximus vallo et fossa: aggere maximo, vineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittariis, magno labore, apparatu, multis sauciis nostris, incolumi exercitu, negotium confecimus.*

(23) Acceptis denique obsidibus a Tibaranis, qui finitimi erant Eleutherocilicibus, exercitum dimisit in hiberna; quibus praeposuit Q. fratrem; ipse Laodiceam se recepit, daturus ibi togam puram Quinti filio. VII. c. 22. 61.

Cic. ad Att. V. 20. 5. *Hinc exercitum in hiberna agri male pacati deducendum Quinto fratri dabam. Ipse me Laodiceam recipiebam. —* 9. *Ego, quum Laodiceam venero, Quinto, sororis tuae filio, togam puram iubeor dare; cui moderabor diligentius.* Ibid. 21. 6. *Ego aestivis confectis, Quintum fratrem hibernis et Ciliciae praefeci.*

(24) Romae autem medio fere anno Marcellus consul in senatu contendit ut Caesari successor mitteretur. Cui rogationi et tribuni restiterant et maxime Pompeius. VIII. c. 14. 35.

Livius Epit. 108. *Contentiones inter consules de successore C. Caesari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Caesar ad petitionem consulatus veniret, quum is lege lata in tempus consulatus provincias obtinere deberet.* Sueton. Caes. c. 28. *M. Claudius Marcellus consul, edicto praefatus de summa se republica acturum, retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus: quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus, et ne absentis ratio comitiis haberetur.* Dio XL. c. 59. 1. *Μάρκελλος δὲ πάντ' εὐθὺς ἐπὶ τῇ τοῦ Καίσαρος καταλύσει — ἔπραττε, καὶ ἄλλα τε ἐπ' αὐτῷ πολλά, καὶ ὥστε καὶ διάδοχόν οἱ ἤδη πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου πεμφθῆναι, ἐσηγήσατο. καὶ αὐτῷ ὅ τε Σουλπίκιος καὶ τῶν δημάρχων τινὲς ἀντέπραξαν. κτἑ.* Appian. B. C. II. c. 26. *Εἰσηγεῖτο δὲ ἤδη (ὁ Μάρκελλος) καὶ διαδόχους αὐτῷ πέμπειν ἐπὶ τὰ ἔθνη, προαφαιρῶν τοῦ χρόνου. Ἀλλὰ διεκώλυσεν ὁ Πομπήιος, εὐπρεπείᾳ τε λόγου καὶ εὐνοίας ὑποχρίσει, μὴ δεῖν ἄνδρα λαμπρὸν, καὶ ἐς πολλὰ χρήσιμον τῇ πατρίδι γενόμενον, ὑβρίζειν βραχεῖ διαστήματι χρόνου. Καὶ δῆλον ἐποίησεν, ὅτι χρὴ μετὰ τὸν χρόνον παραλύειν τῆς ἀρχῆς αὐτίκα τὸν Καίσαρα. Καὶ ἐπὶ τῷδε οἱ μάλιστα ἐχθροὶ τοῦ Καίσαρος ἐς τοὐπιὸν ἠρέθησαν ὕπατοι, Ἀμίλιός τε Παῦλος καὶ Κλαύδιος Μάρκελλος.* Caelius ad Ciceron. (ad Fam. VIII. 8. 4.) *Quod ad rempublicam pertinet, omnino multis diebus, exspectatione Galliarum, actum nihil est. Aliquando tamen saepe re dilata et graviter acta et plane perspecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut eum (Caesarem) decedere post Kalendas Martias* [a. U. C. 704.] *placeret: senatus consultum, quod tibi misi, factum est auctoritatesque perscriptae. S. C. auctoritas. Pridie Kal. Octob.* [= 29 Sept. 703 = 25 Aug. 51 a. C.] *in aede Apollinis scrib. adfuerunt L. Domitius* cet. — *Quod M. Marcellus consul V(erba) F(ecit) de provinciis consularibus: D(e) E(a) R(e) I(ta) C(ensuerunt), uti L. Paullus, C. Marcellus consules* (designati in an. 704.), *quum magistratum inissent, ex a. d. X. Kal. Mart., quae in suo magistratu futurae essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex Kalendis Mart. neve quid coniunctim de ea re referretur a consulibus* cet.

ANNUS VITAE CICERONIS LVII.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 23 Novemb. 51 a. C.]

a. U. C.	Coss. L. AEMILIUS PAULLUS.	a. A. C.
704.	C. CLAUDIUS C. F. MARCELLUS.	50.

(1) Ciceroni Romae, pro rebus bene gestis in provincia, supplicationes decernuntur. VII. c. 23. 63. c. 31. 84.

(2) Per hiemem Cicero in provincia fecit itinera, ut iurisdictioni praeesset; qua in re quum admirabili usus sit abstinentia et liberalitate, omnes eum summis honoribus prosecuti sunt. VII. c. 24. 65. c. 26. 70 sq. c. 29. 78.

Plutarch. Cic. c. 36. 2. *Ἡ δ' οἰκία θυρωρὸν οὐκ εἶχεν οὐδ' αὐτὸς ὤφθη καταπεσόμενος ὑπ' οὐδενός, ἀλλ' ἔωθεν ἑστὼς ἢ περιπατῶν πρὸ τοῦ δωματίου τοὺς ἀσπαζομένους ἐδεξιοῦτο. Λέγεται δὲ μήτε ῥάβδοις αἰκίσασθαί τινα μήτ' ἐσθῆτα περισχίσαι μήτε βλασφημίαν ὑπ' ὀργῆς ἢ ζημίας προσβαλεῖν μεθ' ὕβρεων. Ἀνευρὼν δὲ πολλὰ τῶν δημοσίων κεκλεμμένα τάς τε πόλεις εὐπόρους ἐποίησε καὶ τοὺς ἀποτίνοντας οὐδὲν τούτου πλεῖον παθόντας ἐπιτίμους διεφύλαξεν.*

(3) Nonis Ianuariis [= 5 Ian. 704 = 27 Novbr. 51 a. C.] Tarso profectus fuit in Asiam, ut ibi suarum dioecesium hominibus ius diceret; misso in Cyprum Q. (Cn.) Volusio [v. ad a. 703. 4.], qui vel praefectus videtur fuisse vel tribunus militum. VII. c. 24. 65.

(4) Ex Idib. Febr. [= 13 Febr. 704 = 3 Ianuar. 50 a. C.] ad Kalend. Mai. [= 1 Maii = 20 Martii] Laodiceae forum egit omnium dioecesium Asiaticarum praeter Ciliciae. VII. c. 26. 70.

Cic. ad Thermum propraet. (ad Fam. XIII 57. 1.) *Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal. Mai. Ante eam diem Anneius* [v. ad a. 703. 4.] *ad me (e Sardinia) redeat oportet.*

(5) Nonis Maiis [= 7 Maii = 26 Martii] ex Asia in Cili-

ciam proficiscitur, et perfectis in provincia, quantum potuit, diligentissime rebus omnibus, spem suscipit triumphi. VII. c 28. 75. c. 30 sq.

(6) Nonis Iuniis [= 5 Iunii 704 = 24 April. 50 a. C.] Tarsum venit; ubi, finito fere annuo munere, tamen vel maxime urgetur sollicitudine provinciae, tum quod dudum rumor fuerat belli in Syria, tum quod nemo aderat, cui decedens provinciam posset tradere. VII. c. 32. 85.

Cic. ad Att. VI. 4. 1. *Tarsum venimus Nonis Iuniis. Ibi me multa moverunt: magnum in Syria bellum; magna in Cilicia latrocinia; mihi difficilis ratio administrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris; illud autem difficillimum: relinquendus erat ex senatusconsulto qui praeesset.* Cic. ad Therm. propraet. (ad Fam. XIII. 57. 1.) *Quo magis quotidie ex litteris nuntiisque bellum magnum esse in Syria cognosco, eo vehementius a te — contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. Nam eius opera, consilio, scientia rei militaris vel maxime intelligo me et rempublicam adiuvari posse.*

(7) Praeposito provinciae C. Caelio Caldo, quaestore, VII. c. 33. 88. depositisque per quaestorem suum Mescinium rationibus apud duas civitates, Laodicensem et Apameensem, VII. c. 34. 91. de provincia decedens petiit Rhodum, ubi ipsi de Q. Hortensii morte allatum est. VII. c. 35. 93 sqq. c. 39. 102.

Velleius II. c. 49. 1. *Nunc proposito operi sua forma reddatur, si prius gratulatus ero Q. Catulo — et Hortensio, qui, quum sine invidia in republica floruissent eminuissentque sine periculo quieta, aut certe non praecipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt.* [De Hortensio cfr. ad a. 659.]

(8) Rhodo petit Ephesum. VII. c. 40. 104. Inde conscendens Kal. Octobr. [= 1 Octob. 704 = 16 Aug. 50 a. C.] VII. c. 40. 106. venit Athenas pridie Idus Octobres [= 14 Octob. = 29 Aug.], ubi, aliquantisper commoratus, ex amicorum litteris cognoscit, rem spectare ad arma. VII. c. 41. 107 sqq.

Plutarch. Cic. c. 36. 4. *Πλέων δὲ ἀπὸ τῆς ἐπαρχίας τοῦτο μὲν Ῥόδῳ προσέσχε, τοῦτο δ' Ἀθήναις ἐνδιέτριψεν ἄσμενος πόθῳ τῶν πάλαι διατριβῶν. Ἀνδράσι δὲ τοῖς πρώτοις ἀπὸ παιδείας συγγενόμενος καὶ τοὺς τότε φίλους καὶ συνήθεις ἀσπασάμενος καὶ τὰ πρέποντα θαυμασθεὶς ὑπὸ τῆς Ἑλλάδος, εἰς τὴν πόλιν ἐπανῆλθεν.* Cic. ad Att. VI. 9. 1. *In Piraeea quum exissem prid. Idus Octob., accepi ab Acasto, servo meo, statim tuas litteras.* Ibid. VII. 1. 1. *Scis, me Athenas venisse prid. Idus Octobres; e navi egressum in Piraeeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse.*

(9) Athenis Patras proficiscitur; ubi Tironem aegrum reliquit. VII. c. 45. 116.

De Tirone, liberto Ciceronis, operae pretium est memorasse qui Viri Docti peculiares libellos conscripserint. Agmen ducit Io. Christianus Klotzius sive Klozius; (sic saltem scriptum vidi nomen in exemplari, quod Oosterdykius meus, amicus in paucis carissimus, ex Bibliotheca sua mihi suppeditavit, ditissima illa, si alia cuiusquam, eo genere scriptorum, quae vulgo Monographiae vocantur.) Hic igitur Vitembergae a. 1727. 4°. edidit tres dissertationes, quarum prima inscripta est *de Virtutibus in Tirone Ciceronis liberto laudatis;* altera, *de Vitiis in Tirone Ciceronis liberto notatis;* tertia, *de Vitiis in Tirone Ciceronis liberto falso notatis.* Deinde huc pertinent And. Hoier, *de M. Tullii Tironis morbis et epistolarum ad eum datarum temporibus.* Slesvici, 1747. 4°. Io. Conr. d'Engelbronner, Disput. Hist.-Critica *de M. Tullio Tirone, M. Tullii Ciceronis liberto.* Amstelod. 1804. 4°. Alb. Lion, *Tironiana et Maecenatiana, sive M. Tullii Tironis et C. Cilnii Maecenatis Operum Fragmenta collegit ac de vita et moribus utriusque scripsit.* Gottingae, 1846. 8°.

(10) A Tirone discedens a. d. IV. Non. Novembr. [= 2 Novembr. 704 = 17 Septbr. 50 a. C.] venit Actium Corcyrae a. d. VII. Id. Novembr. [= 7 Novemb. = 22 Septbr.]; inde Brundisium a. d. VII. Kalend. Decembr. [= 24 Novbr. = 9 Octobr.]; eodemque tempore uxor Terentia ad portam Brundisinam accedit, quo Tullius in portum. VII. c. 45. 117. c. 46. 118.

(11) Brundisii, ex iis, quae narrabantur, de republica quotidie magis timebat, VII. c. 46. 119. quem timorem auxit colloquium cum Pompeio habitum a. d. IV. Id Decembr. [=

10 Decembr. = 24 Octobr.] in praedio L. Pontii prope Trebulam, oppidum Campaniae. VII. c. 47. 121. Inde Romam versus proficiscitur. VII. c. 47. 123.

(12) Ante finem anni Caesar, qui ex Gallia rediens per amicos Romae contenderat ut consul designaretur, per Curionem minaces ad senatum misit litteras. VIII. c. 2. 3.

Caelius ad Cicer. (ad Fam. VIII. 11. 3.) *Quod ad rempublicam attinet, in unam caussam omnis contentio conlecta est, de provinciis: in quam adhuc incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Caesar Id. Novemb.* [= 13 Novbr. 704 = 28 Sept. 50 a. C.] *decedat. Curio omnia potius subire constituit, quam id pati. — Scena rei totius haec: Pompeius, tamquam Caesarem non impugnet, sed, quod illi aequum putet, constituat, ait Curionem quaerere discordias. Valde autem non vult, et plane timet, Caesarem consulem designari prius, quam exercitum et provinciam tradiderit. Accipitur satis male a Curione: et totus eius secundus consulatus exagitatur.* Ibid. 14. 2. *Cn. Pompeius constituit non pati C. Caesarem consulem aliter fieri, nisi exercitum et provincias tradiderit: Caesari autem persuasum est, se salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit. Fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. Sic illi amores et invidiosa coniunctio, non ad occultam recidit obtrectationem, sed ad bellum se erumpit.* Orosius VI. c. 12. *Victorem Caesarem, de Gallia reversum, civilia bella comitata sunt.* c. 15. *Nam rediens Caesar victor ex Gallia, decerni sibi absenti alterum consulatum poposcit. Contradictum est a Marcello consule, admitente Pompeio; deinde decretum est a senatu, ut in Urbem Caesar non nisi dimisso exercitu veniret* cet. Appian. B. C. II. c. 32. *Ὁ Καῖσαρ ἐπέστελλε τῇ βουλῇ, καὶ τὴν ἐπιστολὴν ὁ Κουρίων, τρισὶν ἡμέραις τριακοσίους ἐπὶ τρισχιλίοις στρατίους δραμών, ἐπέδωκε τοῖς νέοις ὑπάτοις, ἐσιοῦσιν ἐς τὸ βουλευτήριον τῇ νουμηνίᾳ τοῦ ἔτους. Περιεῖχε δ' ἡ γραφὴ κατάλογόν τε στρατιᾶς ὧν ἐξ ἀρχῆς ὁ Καῖσαρ ἐπεπράχει, καὶ πρόκλησιν, ὅτι θέλοι Πομπηίῳ συναποθέσθαι, ἄρχοντας δ' ἔτι ἐκείνου οὔτε ἀποθήσεσθαι, καὶ τιμωρὸς αὐτίκα τε τῇ παιρίδι καὶ ἑαυτῷ κατὰ τάχος ἀφίξεσθαι.* Conf. Plutarch. Caes. c. 29 sqq. Sueton. Caes. c. 29 sq. Dio XLI. c. 1 sqq. Aur. Victor de Vir. ill. c. 77. sq Zonaras X. c. 7.

ANNUS VITAE CICERONIS LVIII.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 18 Novemb. 50 a. C.]

a. U. C.	Coss. C. CLAUDIUS M. F. MARCELLUS.	a. A. C.
705.	L. CORNELIUS LENTULUS CRUS.	49.

(1) Cicero pridie Non. Ian. [= 4 Ian. 705 = 16 Novemb. 50 a. C.] ad Urbem accedens in ipsam incidit flammam civilis discordiae inter Caesarem et Pompeium. VII. c. 47. 123. VIII. c. 1. 1.

Plutarch. Cic. c. 36. 4. *Εἰς τὴν πόλιν ἐπανῆλθεν, ἤδη τῶν πραγμάτων ὥσπερ ὑπὸ φλεγμονῆς ἀφισταμένων ἐπὶ τὸν ἐμφύλιον πόλεμον.* Velleius II. c. 49. 2. *Lentulo et Marcello consulibus post Urbem conditam annis* DCCIII, *et ante annos* LXXVIII, *quam tu, M. Vinici, consulatum inires* [783 — 78 = 705], *bellum civile exarsit. Alterius ducis caussa melior videbatur, alterius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia; Pompeium senatus auctoritas, Caesarem militum armavit fiducia.*

(2) Triduo scilicet ante Ciceronis adventum, ipsis Kalendis Ianuariis [= 1 Ianuar. 705 = 13 Novemb. 50 a. C.] in senatu lectae fuerant litterae Caesaris, quibus lectis quum summa orta esset sententiarum discrepantia, tandem decreverat senatus: uti ante certam diem exercitum dimitteret Caesar; si non faceret, eum adversus rempublicam facturum videri. VIII. c. 1. 1.

Caesar B. C. I. c. 1. *Litteris C. Caesaris consulibus redditis, aegre ab iis impetratum est, summa tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur: ut vero ex litteris ad senatum referretur, impetrari non potuit. Referunt consules de republica. L. Lentulus consul senatu reique publicae se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint: sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur, ut superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati obtemperaturum; habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam receptum. In eamdem sententiam loquitur Scipio: Pompeio esse in animo, reipublicae non deesse, si*

senatus sequatur; sin cunctetur atque agat lenius, nequidquam eius auxilium, si postea velit, senatum imploraturum. c. 2. *Haec Scipionis oratio, quod senatus in Urbe habebatur Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompeii mitti videbatur. Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primo M. Marcellus, ingressus in eam orationem, non oportere ante de ea re ad senatum referri, quam dilectus tota Italia habiti et exercitus conscripti essent: quo praesidio tuto et libere senatus, quae vellet, decernere auderet: ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum caussa; timere Caesarem, abreptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius periculum reservare et retinere eas ad Urbem Pompeius videretur: ut M. Rufus, qui sententiam Calidii paucis fere mutatis rebus sequebatur. Hi omnes convicio L. Lentuli consulis correpti, exagitabantur. Lentulus sententiam Calidii pronuntiaturum se omnino negavit. Marcellus, perterritus conviciis, a sua sententia discessit. Sic vocibus consulis, terrore praesentis exercitus, minis amicorum Pompeii plerique compulsi, inviti et coacti Scipionis sententiam sequuntur: uti ante certam diem Caesar exercitum dimittat; si non faciat, eum adversus rempublicam facturum videri.* Plutarch. Caes. c. 30. 3. Ἐν δὲ τῇ βουλῇ Σκηπίων μὲν ὁ Πομπηίου πενθερὸς εἰσηγήσατο γνώμην, ἂν ἐν ἡμέρᾳ ῥητῇ μὴ κατάθηται τὰ ὅπλα Καῖσαρ, ἀποδεδιχθῆναι πολέμιον αὐτόν. Dio XLI. c. 1. 1. Μετὰ δὲ τοῦτο (ὁ Κουρίων) γράμματα παρὰ τοῦ Καίσαρος πρὸς τὴν βουλὴν λαβὼν ἦλθέ τε ἐς τὴν Ῥώμην ἐν αὐτῇ τῇ νουμηνίᾳ ἐν ᾗ ὅ τε Λέντουλος ὁ Κορνήλιος καὶ ὁ Κλαύδιος ὁ Γάιος τὴν ἀρχὴν ἐνεστήσαντο, καὶ οὐ πρότερον τοῖς ὑπάτοις αὐτὰ ἀπέδωκε πρὶν ἐς τὸ συνέδριον σφας ἀφικέσθαι. — 3. ἐν δὲ τῇ ἐπιστολῇ τά τε ἄλλα ὅσα ποτὲ καλῶς τὸ κοινὸν ὁ Καῖσαρ ἐπεποιήκει ἐνεγέγραπτο, καὶ ἀπολογισμὸς ὑπὲρ ὧν ᾐτιάζετο. καταλύσειν τε τὰ στρατόπεδα καὶ τῆς ἀρχῆς ἐκστήσεσθαι ὑπισχνεῖτο, ἂν καὶ ὁ Πομπήιος τὰ αὐτὰ οἱ ποιήσῃ. — c. 2. 1. Διαψηφίσεως δ' ἐπὶ τούτοις — γενομένης, τὸν μὲν Πομπήιον οὐδεὶς ἀπαλλαγῆναι ἐκ τῶν ὅπλων ἐψηφίσατο (ἐν γὰρ τῷ προαστείῳ τὰς δυνάμεις εἶχε), τὸν δὲ δὴ Καίσαρα πάντες πλὴν Μάρκου τέ τινος Καιλίου καὶ τοῦ Κουρίωνος τοῦ τὰ γράμματα αὐτοῦ κομίσαντος. — c. 3. 4. τὸν δὲ δὴ Καίσαρα τήν τε ἀρχὴν τοῖς διαδόχοις παραδοῦναι καὶ τὰ στρατεύματα ἐντὸς ῥητῆς ἡμέρας ἀφεῖναι, ἢ πολέμιον ὡς καὶ τἀναντία τῇ πατρίδι ποιοῦντα εἶναι ἐψηφίσαντο. Conf. Appian. l. c.

(3) Ei senatusconsulto intercesserunt tribuni plebis M. Antonius et Q. Cassius, qui cum Curione clam ad Caesarem aufugerunt. VIII. c. 2. 3.

Caesar B. C. I. c. 2. *Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione tribunorum: dicuntur sententiae graves: ut quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis Caesaris collaudatur.* — c. 5. *Profugiunt statim ex Urbe tribuni plebis seseque ad Caesarem conferunt. Is eo tempore erat Ravennae.* Dio XLI. c. 3. 2. (*Οἱ δήμαρχοι*) *τὰ μὲν πρῶτα ἀντέπραττον, ἔπειτα δὲ φοβηθέντες, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ ὁ Λέντουλος ὑπεξελθεῖν σφίσι πρὶν τὰς ψήφους διενεχθῆναι παρῄνεσεν, εἶπόν τε πολλὰ καὶ ἐμαρτύραντο, κἀκ τούτου μετὰ τοῦ Κουρίωνος καὶ μετὰ τοῦ Καιλίου ἀπῆραν πρὸς τὸν Καίσαρα, βραχὺ φροντίσαντες ὅτι ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ διεγράφησαν.* Orosius VI. c. 15. *Caesar Ravennam sese contulit. M. Antonius et Q. Cassius tribuni plebis pro Caesare intercedentes, interdicente Lentulo consule, curia foroque prohibiti ad Caesarem profecti sunt, Curione simul Caelioque comitantibus.* Appian. B. C. II. c. 33. *Συνεξέθεον δ' αὐτῷ* (*Ἀντωνίῳ*) *Κουρίων τε καὶ Κάσσιος· — Οἵδε μὲν δὴ τάχει πολλῷ πρὸς Καίσαρα, νυκτὸς αὐτίκα, λαθόντες ἐχώρουν ἐπὶ ὀχήματος μισθωτοῦ, θεραπόντων ἐσθῆτας ἐνδύντες.* Conf. Plutarch. Caes. c. 31. 2. Zonar. X. c. 7. Cic. Phil. II. c. 21. 51.

(4) Igitur senatus, consulibus, praetoribus, tribunis pl. iisque qui proconsules ad Urbem erant, negotium dedit, ut curarent, ne quid respublica detrimenti caperet. VIII. c. 2. 4.

Caesar B. C. I. c. 5. *Decurritur ad illud extremum atque ultimum senatusconsultum, quo, nisi paene in ipso Urbis incendio atque in desperatione omnium salutis, latorum audacia numquam ante discessum est: dent operam consules, praetores, tribuni plebis, quique consulares sunt ad Urbem, ne quid respublica detrimenti capiat. Haec senatusconsulta perscribuntur a. d.* VIII. *Idus Ianuarias* [= 6 Ianuar. 705 = 18 Novemb. 50 a. C.]. Livius Epit. 109. *M. Antonio et Q. Cassio tribunis plebis — Urbe pulsis, mandatum est a senatu consulibus et Cn. Pompeio, ut viderent, ne quid respublica detrimenti caperet.* Cic. pro Deiotaro c. 4. 11. *Quum audiret* (*Deiotarus*), *senatus consentientis auctoritate arma sumpta esse; consulibus, praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus rempublicam defendendam datam; movebatur animo.* Dio XLI. c. 3. 3. *Τότε μὲν οὖν τοῦτ' ἐγνώσθη, καὶ τοῖς ὑπάτοις ταῖς τε ἄλλαις ἀρχαῖς ἡ φυλακὴ τῆς πόλεως, ὥσπερ που εἰώθει γίγνεσθαι, ἐπετράπη.*

(5) Omnia interim Cicero experiebatur, quae ad concor-

diam pertinerent. VIII. c. 1. 1. c. 4. 9. c. 5. 11. c. 6. 13. c. 9. 21. c. 21. 51. c. 25. 64. c. 36. 99. IX. c. 5. 13.

Plutarch. Caes. c. 31. 1. *Καὶ Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἄρτι παρὼν ἐκ Κιλικίας καὶ διαλλαγὰς πράττων ἐμάλαττε τὸν Πομπήιον· ὁ δὲ τἆλλα συγχωρῶν τοὺς στρατιώτας ἀφῄρει. Καὶ Κικέρων μὲν ἔπειθε τοὺς Καίσαρος φίλους συνεδόντας ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις ἐπαρχίαις καὶ στρατιώταις μόνοις ἑξακισχιλίοις ποιεῖσθαι τὰς διαλύσεις.* Id. Cic. c. 37. 1. *Ἰδίᾳ δὲ συνεβούλευε, πολλὰ μὲν Καίσαρι γράφων, πολλὰ δ' αὐτοῦ Πομπηίου δεόμενος, πραΰνων ἑκάτερον καὶ παραμυθούμενος.* Id. Pomp. c. 59. 3. *Ἄρτι δὲ ἐκ Κιλικίας ἀφιγμένος Κικέρων ἔπραττε διαλλαγάς, ὅπως Καῖσαρ, ἐξελθὼν Γαλατίας καὶ τὴν ἄλλην στρατιὰν ἀφεὶς πᾶσαν, ἐπὶ δυσὶ τάγμασι καὶ τῷ Ἰλλυρικῷ τὴν δευτέραν ὑπατείαν περιμένῃ.* Appian. B. C. II. c. 36. *Καὶ ὁ δῆμος, ἐν μνήμῃ τῶν Μαρίου καὶ Σύλλα κακῶν γιγνόμενος, ἐκεκράγει, Καίσαρα καὶ Πομπήιον ἀποθέσθαι τὰς δυναστείας, ὡς ἐν τῷδε μόνῳ τοῦ πολέμου λυθησομένου· Κικέρων δὲ, καὶ πέμπειν ἐς Καίσαρα διαλλακτάς.* Conf. Ol. Brehmerus, *M. Tullius Cicero laudatus civis in bello civili.* Holmiae, 1695. 8°. A. Dahlerus, *Dissert. politico-moralis demonstratura Ciceronem neque Caesari neque Pompeio, sed saluti patriae in bello civili fuisse addictum.* Upsal. 1773. 4°. Fr. Weissgerber, *Versuch einer Ehrenrettung des Cicero als Bürger und Staatsmann, mit besonderer Rücksicht auf den Bürgerkrieg zwischen Pompeius und Cäsar, auf Cäsars Tod und die letzten Lebensjahre Cicero's* (in: Schriften der Gesellschaft für Geschichtskunde. Bd. I. p. 267—386.) Freiburg, 1828.

(6) Postquam Caesar Rubicone traiecto Ariminum occupasset, Cicero una cum consulibus aliisque optimatibus, qui Pompeium sequebantur, ab Urbe discessit; VIII. c. 4. 8. et Capuam oramque maritimam a Formiis tuendam suscepit, c. 3. 5. c. 9. 21. relictis Romae Terentia et Tullia. VIII. c. 8. 19.

Orosius VI. c. 15. *Caesar Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Livius, orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, docuit. — Pompeius atque omnis senatus, crescentibus Caesaris viribus trepidi, tamquam Italia pulsi, in Graeciam transvecti.* Cic. pro Deiot. c. 4. 11. *Maxime vero perturbatus est (Deiotarus), ut audivit, consules ex Italia profugisse, omnesque consulares, (sic enim nuntiaba-*

tur) *cunctum senatum, totam Italiam esse effusam.* Caesar B. C. I. c. 6. *Proximis diebus habetur senatus extra Urbem. Pompeius eadem illa, quae per Scipionem ostenderat, agit. — De reliquis rebus senatusconsulta perscribuntur, provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae: Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. — In reliquas provincias praetores mittuntur — paludatique, votis nuncupatis, exeunt: — Consules ex Urbe proficiscuntur. — Tota Italia delectus habentur, arma imperantur, pecuniae a municipiis exiguntur, e fanis tolluntur, omnia divina humanaque iura permiscentur.* c. 7. *Quibus rebus cognitis, Caesar apud milites concionatur. —* c. 8. *Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione* (XIII.) *proficiscitur, ibique tribunos plebis, qui ad eum confugerant, convenit; reliquas legiones ex hibernis evocat et subsequi iubet.* Dio XLI. c. 4. 1. *Πυθόμενος οὖν ταῦτ' ἐκεῖνος* (ὁ Καῖσαρ) *ὅς τε Ἀρίμινον ἦλθεν, ἔξω τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς τότε πρῶτον προχωρήσας. — καὶ μετὰ τοῦτο ἄρας ἐπ' αὐτὴν ἄντικρυς τὴν Ῥώμην ἦλασε, πάσας τὰς ἐν ποσὶ πόλεις ἀμαχὶ προσιθέμενος.* — c. 6. 1. *Φοβηθεὶς οὖν διὰ ταῦθ' ὁ Πομπήιος — αὐτός τε ἐς Καμπανίαν, — ὡς καὶ ῥᾶον ἐκεῖ πολεμήσων, προαπῆρε, καὶ τὴν βουλὴν ἅπασαν μετὰ τῶν τὰς ἀρχὰς ἐχόντων ἀκολουθῆσαι οἱ ἐκέλευσεν.* Conf. Plut. Pomp. c. 60 sq. Id. Caes. c. 32 sqq. Appian. B. C. II. c. 35. sqq. Sueton. Caes. c. 31. Zonaras X. c. 7.

(7) Caesar, etsi acceptae erant conditiones, quas a. d. VIII. Kal. Febr. [= 23 Ian. 705 = 5 Decbr. 50.] ad Pompeium detulerant L. Caesar et L. Roscius Fabatus, nihilo minus tamen bellum gerere pergit. VIII. c. 7. 15 sqq. c. 21. 55.

Caesar B. C. I. c. 8. *L. Caesar adolescens venit, cuius pater Caesaris erat legatus. Is — habere se a Pompeio ad eum privati officii mandata demonstrat: Velle Pompeium se Caesari purgatum, ne ea, quae reipublicae caussa egerit, in suam contumeliam vertat; semper se reipublicae commoda privatis necessitudinibus habuisse potiora: Caesarem quoque pro sua dignitate debere et studium et iracundiam suam reipublicae dimittere, neque adeo graviter irasci inimicis, ut, quum illis nocere se speret, reipublicae noceat. — Eadem fere atque eisdem verbis praetor Roscius agit cum Caesare.* c. 9. *Quae res etsi nihil ad levandas iniurias pertinere videbantur, tamen, idoneos nactus homines, per quos ea, quae vellet, ad eum perferrentur, petit ab utroque, quoniam Pompeii mandata ad se detulerint, ne graventur sua quoque ad eum po-*

stulata deferre; — Ad omnia se descendere paratum atque omnia pati reipublicae caussa. Proficiscatur Pompeius in suas provincias; ipsi exercitus dimittant; discedant in Italia omnes ab armis; metus e civitate tollatur; libera comitia atque omnis respublica senatui populoque Romano permittatur. — c. 10. *Acceptis mandatis, Roscius cum L. Caesare Capuam pervenit ibique consules Pompeiumque invenit. Postulata Caesaris renuntiat. Illi deliberata re respondent — : Caesar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret: quae si fecisset, Pompeium in Hispanias iturum. Interea, quoad fides esset data, Caesarem facturum, quae polliceretur, non intermissuros consules Pompeiumque delectus.* c. 11. *Erat iniqua conditio, postulare, ut Caesar Arimino excederet atque in provinciam reverteretur; ipsum et provincias et legiones alienas tenere —. Itaque ab Arimino M. Antonium cum cohortibus quinque Arretium mittit: ipse Arimini cum duabus subsistit ibique delectum habere instituit: Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupat.* Conf. Dio XLI. c. 5. sq. Appian. B. C. II. c. 36 sq. Plut. Caes. c. 39.

(8) Maximam interim plagam accepit Caesar, quod relictus est a T. Labieno. VIII. c. 8. 18.

Dio XLI. c. 4. 3. *Οὗτος γὰρ (ὁ Λαβιηνὸς) ἐγκαταλιπὼν τὸν Καίσαρα ἐξηυτομόλησε καὶ πάντα οἱ (Πομπηίῳ) τὰ ἀπόρρητα αὐτοῦ ἐξήγγειλεν. Θαυμάσειε μὲν οὖν ἄν τις ὅτι ἐς τὰ πρῶτα ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἀεί ποτε τιμηθείς, ὥστε καὶ πάντων τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις στρατοπέδων, ὁπότε ἐκεῖνος ἐν τῇ Ἰταλίᾳ εἴη, ἄρχειν, ἐποίησε τοῦτο· αἴτιον δὲ ὅτι αὐτός τε καὶ πλοῦτον καὶ δόξαν περιβαλόμενος ὀγκηρότερον τῆς ἡγεμονίας διάγειν ἤρξατο, καὶ ὁ Καῖσαρ παρισούμενόν οἱ αὐτὸν ἰδὼν οὐκέθ' ὁμοίως ἠγάπα. τήν τε οὖν μεταβολὴν μὴ φέρων, καὶ φοβηθεὶς ἅμα μὴ πάθῃ τι, μετέστη.* Plut. Caes. c. 34. 2. *Λαβιηνὸς, ἀνὴρ ἐν τοῖς μάλιστα φίλοις Καίσαρος καὶ πρεσβευτὴς γεγονὼς καὶ συνηγωνισμένος ἐν πᾶσι προθυμότατα τοῖς Κελτικοῖς πολέμοις, τότ' ἐκεῖνον ἀποδρὰς ἀφίκετο πρὸς Πομπήιον.* Conf. Plut. Pomp. c. 64. 3. Zonaras X. c. 7.

(9) Caesar per Trebatium invitat Ciceronem ut esse velit ad Urbem. VIII. c. 9. 20.

Plutarch. Cic. c. 37. 2. *Τρεβατίου δὲ, τινὸς τῶν Καίσαρος ἑταίρων, γράψαντος ἐπιστολήν, ὅτι Καῖσαρ οἴεται δεῖν μάλιστα μὲν αὐτὸν ἐξετάζεσθαι μεθ' αὐτοῦ καὶ τῶν ἐλπίδων μετέχειν, εἰ δ' ἀναδίεται διὰ γῆρας, εἰς τὴν Ἑλλάδα βαδίζειν κἀκεῖ καθήμενον*

ἡσυχίαν ἄγειν ἐκποδὼν ἀμφοτέροις γενόμενον, θαυμάσας ὁ Κικέρων, ὅτι Καῖσαρ αὐτὸς οὐκ ἔγραψεν, ἀπεκρίνατο πρὸς ὀργήν, ὡς οὐδὲν ἀνάξιον πράξει τῶν πεπολιτευμένων.

(10) Cicero, qui modo Formiis erat, modo Capuae, quo aliquoties cum consulibus convenit ut de summis rebus deliberaret, a. d. xv. Kal. Mart. [= 15 Febr. 705 = 26 Decembr. 50 a. C.] epistolam accipit a Pompeio, qua ipsum invitat ut ad se Luceriam veniat; quo quum iter facere coepit, audivit iter sibi esse interclusum. VIII. c. 13 et 14.

(11) L. Domitius, qui Corfinii erat cum cohortibus amplius xxx magnoque numero senatorum, a Pompeio non sustentatus, cum ipso oppido et omnibus copiis expugnatur. At Caesar Domitium, Lentulum aliosque senatores et equites ad se produci iubet, et pauca apud eos locutus, dimittit omnes incolumes. VIII. c. 12. 27. c. 15. 37. c. 17. 44. c. 21. 53.

Caesar B. C. I. c. 15. *Caesar omnem agrum Picenum percurrit. Cunctae earum regionum praefecturae libentissimis animis eum recipiunt.* c. 16. *Recepto Asculo expulsoque Lentulo, Caesar — Corfinium contendit.* c. 17. *Re cognita, Domitius ad Pompeium in Apuliam peritos regionum — mittit, qui petant atque orent, ut sibi subveniat: — quod nisi fecerit, se cohortesque amplius XXX magnumque numerum senatorum atque equitum Romanorum in periculum esse venturum.* — c. 23. *Erant senatorii ordinis L. Domitius, P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, Sex. Quintilius Varus quaestor, L. Rubrius: praeterea filius Domitii aliique complures adolescentes et magnus numerus equitum Romanorum et decurionum —. Hos omnes productos a contumeliis militum conviciisque prohibet: pauca apud eos loquitur —. Dimittit omnes incolumes.* Appian. B. C. II. c. 38. *Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐν Κορφινίῳ Λεύκιον Δομίτιον, τὸν ἐπιπεμφθέντα οἱ τῆς ἀρχῆς εἶναι διάδοχον, καταλαβών, οὐ πάντας ἀμφ' αὐτὸν ἔχοντα τοὺς τετρακισχιλίους, ἐπολιόρκει· καὶ οἱ τὸ Κορφίνιον οἰκοῦντες φεύγοντα τὸν Δομίτιον ἀμφὶ τὰς πύλας καταλαβόντες τῷ Καίσαρι προσήγαγον. Ὁ δὲ τὴν μὲν στρατιὰν αὐτοῦ, προστιθεμένην οἱ, προθύμως ἐδέχετο, ἐς ἐρέθισμα τῶν ἄλλων· Δομίτιον δ' αὐτὸν ἀπαθῆ μετὰ τῶν ἑαυτοῦ χρημάτων μεθῆκεν ὅποι βούλοιτο ἀπιέναι· ἐλπίσας μέν, ἴσως διὰ τὴν εὐποιίαν παραμενεῖν, οὐ κωλύσας δ' ἐς Πομ*

πήσον ὀντα. Conf. Dio XLI. c. 10 sq. Plut. Caes. c. 34. 3. Zonar. X. c. 7. Sueton. Caes. c. 34. Livius Epit. 109.

(12) Pompeius, audita clade Corfiniensi, relicta Capua Luceriam proficiscitur, deinde Brundisium, quo pervenire potuit a. d. VIII. Kal. Mart. [= 22 Febr. 705 = 2 Ian. 49.] VIII. c. 13. 29. c. 16. 40. c. 18. 46.

Caesar B. C. I. c. 24. *Pompeius, iis rebus cognitis, quae erant ad Corfinium gestae, Luceria proficiscitur Canusium atque inde Brundisium. Copias undique omnes ex novis delectibus ad se cogi iubet.* Appian. B. C. II. c. 38. Γιγνομένων δὲ τούτων οὕτως ὀξέως, ὁ Πομπήιος ἐς Νουκερίαν ἐκ Καπύης, καὶ ἐκ Νουκερίας ἐς Βρεντέσιον ἠπείγετο, ὡς τὸν Ἰόνιον διαβαλῶν ἐς Ἤπειρον, καὶ τοῦ πολέμου τὴν παρασκευὴν συστήσων ἐν αὐτῇ.

(13) Cicero a. d. III. Kal. Mart. [= 27 Febr. 705 = 7 Ian. 49. a. C.] alteram a Pompeio epistolam accipit, datam Canusio a. d. X. Kal. Mart. [= 20 Febr. 705 = 31 Decemb. 50 a. C.] qua invitatur ut celerius Brundisium veniat. VIII. c. 18. 45.

(14) A. d. VII. Id. Mart. [= 9 Mart. 705 = 17 Ian. 49 a. C.] Caesar Brundisium cum sex legionibus pervenit atque ad murum castra ponit, quum consules iam a. d. IV. Nonas Mart. [= 4 Mart. = 12 Ian.] cum magna parte exercitus profecti essent Dyrrhachium, Pompeius autem cum XX cohortibus Brundisii remansisset. VIII. c. 19. 48.

Caesar B. C. I. c. 25. (*Caesar*) *Brundisium cum legionibus sex pervenit —. Reperit consules Dyrrhachium profectos cum magna parte exercitus, Pompeium remanere Brundisii cum cohortibus viginti.* Cic. ad Att. IX. 3. 2. *Erat hic dies* VII. *Id.* [*Mart.*], *quo die suspicabamur aut pridie Brundisium venisse Caesarem. Nam Kal.* [*Mart.* = 1 Mart. = 9 Ian.] *Arpis manserat.* Caesar ad Oppium (ad Att. IX. 13. a. 1.) *A. d.* VII. (*Id.*) *Mart. Brundisium veni: ad murum castra posui. Pompeius est Brundisii.* Plutarch. Pomp. c. 62. 2. Ὁ δὲ (Πομπήιος) τὸ Βρεντέσιον κατασχὼν καὶ πλοίων εὐπορήσας τοὺς μὲν ὑπάτους εὐθὺς ἐμβιβάσας καὶ μετ' αὐτῶν σπείρας τριάκοντα προεξέπεμψεν εἰς Ἀνρράχιον, Σκηπίωνα δὲ τὸν πενθερὸν καὶ Γναῖον τὸν υἱὸν εἰς Συρίαν ἀπέστειλε ναυτικὸν κατασκευάσοντας, αὐτὸς δὲ φραξάμενος τὰς πύλας

καὶ τοῖς τείχεσι τοὺς ἐλαφροτάτους στρατιώτας ἐπιστήσας, τοὺς δὲ Βρεντεσινοὺς ἀτρεμεῖν κατ' οἰκίαν κελεύσας, ὅλην ἐντὸς τὴν πόλιν ἀνέσκαψε καὶ διετάφρευσε καὶ σκολόπων ἐνέπλησε τοὺς στενωπούς πλὴν δυεῖν, δι' ὧν ἐπὶ θάλατταν αὐτὸς κατῆλθεν. Appian. B. C. II. c. 38. Αὐτὸς δ' ὁ Πομπήιος τῶν ἀμφ' αὐτὸν ἤδη τελῶν τὰ μὲν ἔδωκε τοῖς ὑπάτοις προαπάγειν ἐς Ἤπειρον ἐκ Βρεντεσίου. c. 39. Καὶ διέπλευσαν οἵδε αὐτίκα ἀσφαλῶς ἐς Δυρράχιον. — c. 40. Οἱ μὲν δὴ μετὰ τῶν ὑπάτων διεπεπλεύκεσαν ἐς τὸ Δυρράχιον· ὁ δὲ Πομπήιος τὸν ὑπόλοιπον στρατὸν ἐς τὸ Βρεντέσιον ἀγαγών, τάς τε ναῦς ἀνέμενεν ἐπανελθεῖν, αἳ τοὺς ὑπάτους διέφερον, καὶ τὸν Καίσαρα ἐπελθόντα ἀπὸ τειχῶν ἠμύνετο, τήν τε πόλιν διετάφρευε.

(15) Cicero, quum in litteris Capua allatis nuntiatum esset, falso tamen rumore, Pompeium iam mare transiisse, ardet dolore, nec dissimulat, quae acta essent, sibi displicere. VIII. c. 20. 49 sqq. IX. c. 3. 8.

Plutarch. Pomp. c. 63. 1. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι τοῦ Πομπηίου τὸν ἀπόπλουν ἐν τοῖς ἀρίστοις τίθενται στρατηγήμασιν, αὐτὸς δὲ Καίσαρ ἐθαύμαζεν ὅτι καὶ πόλιν ἔχων ὀχυρὰν καὶ προσδοκῶν τὰς ἐξ Ἰβηρίας δυνάμεις καὶ θαλασσοκρατῶν ἐξέλιπε καὶ προήκατο τὴν Ἰταλίαν. Αἰτιᾶται καὶ Κικέρων [ad Att. VII. 11. 3.], ὅτι τὴν Θεμιστοκλέους ἐμιμήσατο στρατήγιαν μᾶλλον ἢ τὴν Περικλέους, τῶν πραγμάτων τούτοις ὁμοίων ὄντων, οὐκ ἐκείνοις.

(16) Diu itaque deliberavit quid sibi esset faciendum, VIII. c. 14. 33 sqq. c. 21 sq. et ne totum se aegritudini dederet, sumpsit sibi quasdam theses politicas, de quibus in utramque partem, tum Graece, tum Latine disseruit. VIII. c. 23 57.

Plutarch. Cic. c. 37. 2. Καὶ δῆλός ἐστι τῇ γνώμῃ πολλὰ ῥιπτωδεῖς ἐπ' ἀμφότερα καὶ δυσπαθήσας. Γράφει γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς διαπορεῖν, ποτέρωσε χρὴ τρέπεσθαι, Πομπηίου μὲν ἔνδοξον καὶ καλὴν ὑπόθεσιν πρὸς τὸν πόλεμον ἔχοντος, Καίσαρος δ' ἄμεινον τοῖς πράγμασι χρωμένου καὶ μᾶλλον ἑαυτὸν καὶ τοὺς φίλους σώζοντος, ὥστ' ἔχειν μὲν ὃν φύγῃ, μὴ ἔχειν δὲ πρὸς ὃν φύγῃ (conf. ad Att. VIII. 7. 2.). Quintil. II. c. 1. 9. *An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut theses dicerent, et communes locos, et cetera citra complexum rerum personarumque, quibus verae fictaeque controversiae continentur?* Id. X. c. 5. 11. *In hoc optime facient infinitae quaestiones, quas vocari θέσεις diximus, quibus Cicero iam princeps in republica exerceri solebat.*

(17) In itinere Caesar per C. Furnium mittit epistolam Ciceroni, qua petit ab ipso, ut sibi adsit in Urbe, quo se celeriter venturum esse confidebat. VIII. c. 24. 59. Ad quam epistolam Cicero respondet. c. 25. 63.

(18) Veniunt praeterea ad Ciceronem aliquot Caesariani, qui quanto deteriore conditione Pompeii res sint quam Caesaris, ostendant. VIII. c. 24 sqq.

(19) Pompeius Brundisio relicto, quod Caesar per novem dies oppugnaverat, a. d. XVI. Kal. Apr. [= 17 Mart. 705 = 25 Ian. 49 a. C.] cum omnibus copiis in Graeciam traiicit. VIII. c. 26. 67.

Caesar B. C. I. c. 27. *Prope dimidia parte operis a Caesare effecta, diebusque in ea re consumptis novem, naves a consulibus Dyrrhachio remissae, quae priorem partem exercitus eo deportaverant, Brundisium revertuntur. Pompeius, sive operibus Caesaris permotus, sive etiam quod ab initio Italia excedere constituerat, adventu navium profectionem parare incipit.* — c. 28. *Pompeius sub noctem naves solvit.* Florus IV. c. 2. 20. *Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundisii opprimere potuisset, ut coeperat. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu! modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum a se mare lacera et paene inermi navi fugiebat.* Orosius VI. c. 15. *Pompeius atque omnis senatus, crescentibus Caesaris viribus trepidi, tamquam Italia pulsi, in Graeciam transvecti, Dyrrhachium gerendi belli sedem delegerunt.* Appian. B. C. II. c. 40. (*Πομπήιος*) *καταπλεύσαντος αὐτῷ τοῦ στόλου, περὶ δείλην ἑσπέραν ἀπέπλευσε, τοὺς εὐτολμοτάτους ἐπὶ τῶν τειχῶν ὑπολιπών· οἵ καὶ αὐτοὶ νυκτὸς ἐρχομένης ἐξέπλεον οὐρίῳ πνεύματι. Καὶ Πομπήιος μὲν ὧδε μετὰ τοῦ στρατοῦ παντὸς ἐς Ἤπειρον, ἐκλιπὼν τὴν Ἰταλίαν, διεπέρα.* Dio XLI. c. 12. 3. *Καὶ αὐτὸν ὁ Πομπήιος ἡμέρας μέν τινας ἠμύνατο, μέχρις οὗ τὰ πλοῖα ἐπανῆλθεν· διοικοδομήσας δὲ ἐν τούτῳ καὶ ἀποφράξας τὰς ἐς τὸν λιμένα ὁδούς, μὴ καὶ ἐπιθῆταί τις αὐτῷ ἐκπλέοντι, ἔπειτα νυκτὸς ἐξανήχθη. καὶ ὁ μὲν ἀσφαλῶς ἐς τὴν Μακεδονίαν ἐπεραιώθη, τὸ δὲ δὴ Βρεντέσιον δύο τε ἐν αὐτῷ πλοῖα μεστὰ ἀνδρῶν ἑάλω. Πομπήιος μὲν οὖν τήν τε πατρίδα καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν οὕτως ἐξέλιπε.* Conf. Zonar. X. c. 8.

(20) Postero die Caesar oppidum ingreditur et concliona-

tur; sed omissa in praesentia Pompeii insequendi ratione, bello aggressurus Hispanias, contendit Romam, tota Italia potitus sexaginta dierum spatio. VIII. c. 26. 67.

Caesar B. C. I. c. 29. *Caesar, etsi ad spem conficiendi negotii maxime probabat coactis navibus mare transire et Pompeium sequi, priusquam ille sese transmarinis auxiliis confirmaret; tamen eius rei moram temporisque longinquitatem timebat, quod, omnibus coactis navibus, Pompeius praesentem facultatem insequendi sui ademerat.* — c. 30. *Itaque in praesentia Pompeii insequendi rationem omittit; in Hispaniam proficisci constituit.* — c. 32. *Ipse ad Urbem proficiscitur.* Plut. Caes. c. 35. 1. *Καίσαρι δὲ βουλομένῳ μὲν αὐθὺς διώκειν ἀπορία νεῶν ἦν· εἰς δὲ τὴν Ῥώμην ἀνέστρεψε γεγονὼς ἐν ἡμέραις ἑξήκοντα πάσης ἀναιμωτὶ τῆς Ἰταλίας κύριος.* Id. Pomp. c. 63. 3. *Ἐντεῦθεν ὁ μὲν ἡμέραις ἑξήκοντα κύριος γεγονὼς ἀναιμωτὶ τῆς Ἰταλίας ὅλης ἐβούλετο μὲν αὐθὺς Πομπήιον διώκειν, πλοίων δὲ μὴ παρόντων, ἀποστρέψας εἰς Ἰβηρίαν ἤλαυνε τὰς ἐκεῖ δυνάμεις προσαγαγέσθαι βουλόμενος.* Florus IV. c. 2. 21. (*Romam*) *paene vacuam metu Caesar ingressus consulem se ipse facit. Aerarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant tribuni, iussit effringi: censumque et patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium. Pulso fugatoque Pompeio, maluit prius ordinare provincias, quam ipsum sequi.* Appian. B. C. II. c. 40. *Ὁ δὲ Καῖσαρ ἠπόρει μὲν, ὅπη τραπείη, καὶ ὅθεν ἄρξαιτο τοῦ πολέμου, τὴν ὁρμὴν παταχόθεν οὖσαν ἐς τὸν Πομπήιον ὁρῶν. Δείσας δὲ τοῦ Πομπηίου τὸν ἐν Ἰβηρίᾳ στρατὸν, πολίτε ὄντα, καὶ χρόνῳ γεγυμνασμένον, μή οἱ διώκοντι τὸν Πομπήιον κατόπιν ἐπιγένοιτο, τόνδε μὲν αὐτὸς ἔγνω προκαθελεῖν, ἐς Ἰβηρίαν ἐλάσας.* Dio XLI. c. 15. 1. *Ὁ οὖν Καῖσαρ ἐς μὲν τὴν Μακεδονίαν οὐδὲ ἐπείρασε τότε πλεῦσαι (πλοίων τε γὰρ ἠπόρει ἅμα καὶ περὶ τῇ Ἰταλίᾳ ἐδεδίει, μὴ αὐτὴν ἐκ τῆς Ἰβηρίας οἱ τοῦ Πομπηίου ὑποστράτηγοι ἐπελθόντες κατάσχωσι), τὸ δὲ δὴ Βρεντέσιον διὰ φυλακῆς, τοῦ μή τινα τῶν ἀπηρκότων ἀναπλεῦσαι, ποιησάμενος πρός τε τὴν Ῥώμην ἦλθε κτέ.* Conf. Zonar. X. c. 8.

(21) Cicero, qui alteram a Caesare epistolam acceperat, qua iterum invitabatur ut ad Urbem praesto esset, Caesarem in itinere convenit. VIII. c. 27. 68 sq. Post colloquium Caesar continuo se contulit in villam suam prope Pedum; c. 28. Cicero autem Arpinum, ubi filio suo togam puram dedit. VIII. c. 29. 72.

(22) Relicto Arpino in fratris fundum venit, qui erat in vicinia; deinde in sua se contulit praediola maritima, ubi mansit mensibus Aprili et Maio. Qua re quum suspicionem moveret, agendum ipsi fuit cum Antonio. VIII. c. 30. 75.

Cic. ad Att. X. 1. 1. *Tertio Nonas* [April. = 3 April. 705 = 11 Febr. 49 a. C.] *quum in Laterium fratris venissem, accepi litteras, et paullum respiravi.* Ibid. 2. 1. *Ego quum accepissem tuas litteras Nonis April.* [= 5 Apr. = 13 Febr.], *quas Cephalio attulerat, essemque Minturnis postridie mansurus, et inde protinus; sustinui me in Arcano fratris, ut, dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus, agerenturque nihilo minus, quae sine nobis agi possunt.* Ibid. 4. 7. *Quum haec scripsissem, a Curione mihi nuntiatum est, eum ad me venire. Venerat enim is in Cumanum vesperi pridie, id est Idibus* [April. = 13 Apr. = 21 Febr.]. Id. ad Ser. Sulpicium (ad Fam. IV. 2. 1.) *A. d. III. Kal. Maias* [= 5 Mai. = 13 Mart.] *quum essem in Cumano, accepi tuas litteras: quibus lectis cognovi, non satis prudenter feciisse Philotimum, qui, quum abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non venisset, litteras tuas misisset.* Id. ad Att. X. 13. 2. *Servius pridie Nonas Maii* [= 6 Maii = 14 Mart.] *Minturnis mansisse dicitur, hodie in Liternino mansurus apud C. Marcellum. Cras igitur nos mature videbit.* Ibid. 15. 1. *Servius quum esset apud me, Cephalio cum tuis litteris VI. Id.* [Maii = 10 Mai. = 18 Mart.] *venit. — Ego, dum panes et cetera in navem parantur, excurro in Pompeianum.* Ibid. 16. 1. *Ego, ut minuerem suspicionem profectionis aut cogitationis meae, profectus sum in Pompeianum a. d. IV. Id.* [Maii = 12 Mai. = 20 Mart.], *ut ibi essem, dum, quae ad navigandum opus essent, pararentur.* Ibid. 17. 1. *Prid. Id.* [Maii = 14 Mai. = 22 Mart.] *Hortensius ad me venit. — Nunc quidem aequinoctium nos moratur, quod valde perturbatum est. — XVII. Kal. Iun.* [= 16 Mai. = 24 Mart.]. Id. ad Terentiam (ad Fam. XIV. 7. 2.) *Navem spero nos valde bonam habere: in eam simulatque conscendi, haec scripsi. — D. III. Id. Iun.* [= 11 Iunii = 19 April.]

(23) Denuo per epistolam, scriptam a. d. XV. Kal. Mai. [= 16 Apr. 705 = 24 Febr. 49 a. C.] a Caesare invitatur ut ab omni contentione absit et, quid de Hispaniis agatur, exspectet. Frustra idem hoc obsecrat Caelius et Tullia filia. VIII. c. 31—33.

(24) Cicero enim, apud quem pudor plus valebat, quam

timor, a. d. III. Id. Iun. [= 11 Iunii 705 = 19 Apr. 49 a. C.] in navem conscendit, ut Pompeium in Graeciam sequeretur, qui toto hoc anno usus est ut copias undique compararet. VIII. c. 34. 92 sqq.

Plutarch. Cic. c. 38. 1. *Τοῦ δὲ Καίσαρος εἰς Ἰβηρίαν ἀπάραντος, εὐθὺς ὡς Πομπήιον ἔπλευσε.* Dio XLI. c. 18. 3. *Αὐτὸς δὲ (ὁ Καίσαρ) ἐς τὴν Ἰβηρίαν — ὥρμησεν. κἂν τούτῳ ἄλλοι τε βουλευταὶ καὶ ὁ Κικέρων, μηδὲ ἐς ὄψιν τῷ Καίσαρι ἐλθών, πρὸς τὸν Πομπήιον ὥς γε τά τε δικαιότερα πράττοντα καὶ τῷ πολέμῳ κρατήσοντα ἀπεχώρησεν.* Plutarch. Pomp. c. 64. 3. *Κικέρων δὲ, καίπερ ἄλλα γεγραφὼς καὶ βεβουλευμένος, ὅμως κατηδέσθη μὴ γενέσθαι τοῦ προκινδυνεύοντος ἀριθμοῦ τῆς πατρίδος.* Caesar B. C. III. c. 3. *Pompeius, annuum spatium ad comparandas copias nactus, quod vacuum a bello atque ab hoste otiosum fuerat, magnam ex Asia Cycladibusque insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Phoenice, Aegypto classem coegerat* cet.

(25) Adventus Ciceronis ceteris gratus fuit: Cato autem illum conspicatus multis verbis reprehendit, quod Pompeium secutus esset. Cuius verba animum Ciceronis flexerunt. Videns denique nulla magna in re Pompeium sua opera uti, non negavit se facti sui poenitere. VIII. c. 35. 95.

Plutarch. Cic. c. 38. 1. *Καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἀσμένοις ὤφθη, Κάτων δ' αὐτὸν ἰδὼν ἰδίᾳ πολλὰ κατεμέμφετο Πομπηίῳ προσθέμενον. — Οὗτοί τε δὴ τοῦ Κικέρωνος ἀνέστρεφον οἱ λόγοι τὴν γνώμην καὶ τὸ μέγα μηδὲν αὐτῷ χρῆσθαι Πομπήιον. Αἴτιος δ' ἦν αὐτὸς οὐκ ἀρνούμενος μεταμέλεσθαι, φλαυρίζων δὲ τοῦ Πομπηίου τὴν παρασκευὴν καὶ πρὸς τὰ βουλεύματα δυσκολαίνων ὑπούλως καὶ τοῦ παρασκώπτειν τι καὶ λέγειν χάριεν εἰς τοὺς συμμάχους οὐκ ἀπεχόμενος.*

(26) Caesar interim in Hispaniam profectus, ea provincia potitur, superatis Pompeii legatis, L. Afranio, M. Petreio et M. Varrone.

Orosius VI. c. 15. *Mox Alpes transvectus Massiliam venit, ad quam oppugnandam — Trebonium relinquens, ad Hispanias contendit, quas L. Afranius et M. Petreius et M. Varro, Pompeiani duces, cum legionibus obtinebant. Ibi multis praeliis Petreium Afraniumque superatos, composita pactione, dimisit. In ulteriore vero Hispania duas legiones a M. Varrone suscepit.* Appian. B. C. II. c. 42. *Οὕτω κρατυνάμενος ὁ*

Καῖσαρ ἄβατον Πομπηίῳ γενέσθαι τὴν Ἰταλίαν, ἐς Ἰβηρίαν ἦει. Ἔνθα Πετρηίῳ καὶ Ἀφρανίῳ τοῖς Πομπηίου στρατηγοῖς συμβαλὼν, ἧσσον αὐτῶν ἐφέρετο τά γε πρῶτα· μετὰ δὲ, ἀγχωμάλως ἀλλήλοις ἐπολέμουν ἀμφὶ πόλιν Ἰλέρτην κτέ. Conf. Caesar B. C. I. c. 37—86. II. c. 17--21. Eutrop. VI. c. 20. Dio XLI. c. 20—23. Plutarch. Pomp. c. 65. Id. Caes. c. 36.

(27) Ex Hispania rediens, Caesar Massiliam pervenit, ubi Dictatorem sese dictum a M. Lepido cognoscit: deinde Romam proficiscitur.

Caesar B. C. II. c. 21. (*Caesar*) *provinciae Q. Cassium praeficit — ipse navibus — Tarraconem paucis diebus pervenit. — Tarracone discedit pedibusque Narbonem atque inde Massiliam pervenit: ibi legem de dictatore latam seseque dictatorem dictum a M. Lepido praetore cognoscit. —* c. 22. *Duas ibi legiones praesidio relinquit, ceteras in Italiam mittit: ipse ad Urbem proficiscitur.*

(28) Habitis in Urbe comitiis, quibus ipse et P. Servilius in sequentem annum creati sunt, Caesar, post undecimum diem abdicata Dictatura, Brundisium profectus est bello persecuturus Pompeium.

Caesar B. C. III. c. 1. *Dictatore habente comitia Caesare, consules creantur Iulius Caesar et P. Servilius. —* c. 2. *His rebus et feriis Latinis comitiisque omnibus perficiendis undecim dies tribuit, dictaturaque se abdicat et ab Urbe proficiscitur Brundisiumque pervenit.* Plutarch. Caes. c. 37. 1. *Ἐπανελθόντα δὲ εἰς Ῥώμην Καίσαρα Πείσων μὲν ὁ πενθερὸς παρεκάλει πρὸς Πομπήιον ἀποστέλλειν ἄνδρας ὑπὲρ διαλύσεως, Ἰσαυρικὸς δὲ Καίσαρι χαριζόμενος ἀντεῖπεν. Λίρρηλις δὲ δικτάτωρ ὑπὸ τῆς βουλῆς — ἥψατο πολιτευμάτων οὐ πολλῶν, ἀλλ' ἐν ἡμέραις ἕνδεκα τὴν μὲν μοναρχίαν ἀπεπάμενος, ὕπατον δὲ ἀναδείξας ἑαυτὸν καὶ Σερουίλιον Ἰσαυρικὸν εἵχετο τῆς στρατείας.* Dio XLI. c. 39. 1. *Καῖσαρ μὲν δὴ ταῦτά τε πράξας, — ἐς τὸ Βρεντέσιον ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ ἔτους, καὶ πρὶν ἐς τὴν ὑπατείαν ἐς ἣν ἐκεχειροτόνητο ἐσελθεῖν, ἐξώρμησεν.* Conf. Appian. B. C. II. c. 48. Zonaras X. c. 8.

ANNUS VITAE CICERONIS LIX.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 2 Novemb. 49 a. C.]

a. U. C.	Coss. C. IULIUS CAESAR II.	a. A. C.
706.	P. SERVILIUS VATIA ISAURICUS.	48.

(1) Caesar pridie Non. Ianuar. [= 4 Ianuar. 706 = 5

Novemb. 49 a. C.] Brundisio in Epirum traiicit et deinde Pompeium obsidet Dyrrhachii; qui inde elapsus bellum transfert in Thessaliam.

Caesar B. C. III. c. 6. *Caesar, ut Brundisium venit, concionatus apud milites — pridie Nonas Ianuarias naves solvit, impositis — legionibus septem. Postridie terram attigit Cerauniorum.* — c. 25. *Multi iam menses transierant et hiems iam praecipitaverat, neque Brundisio naves legionesque ad Caesarem veniebant.* — c. 41. *Caesar, postquam Pompeium ad Asparagium esse cognovit, eodem cum exercitu profectus, — tertio die in Macedoniam ad Pompeium pervenit. — Postero die omnibus copiis, magno circuitu, difficili angustoque itinere Dyrrhachium profectus est, sperans, Pompeium aut Dyrrhachium compelli aut ab eo intercludi posse, quod omnem commeatum totiusque belli apparatum eo contulisset: ut accidit.* — c. 81. *Ille, segetis idoneum locum in agris nactus, quae prope iam matura erat, ibi adventum exspectare Pompei eoque omnem rationem belli conferre constituit.* c. 82. *Pompeius paucis post diebus in Thessaliam pervenit.* Livius Epit. 111. *Cn. Pompeius ad Dyrrhachium obsessus a Caesare et praesidiis eius cum magna clade diversae partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello*, cet. Conf. Plutarch. Caes. c. 37. sqq. Dio XLI. c. 44 sqq. Appian. B. C. II. c. 54 sqq. Zonar. X. c. 8.

(2) Pompeius in praelio ad Pharsalum, quod gestum est a. d. v. Id. Sext. [= 9 Sext. (Aug.) 706 = 6 Iunii 48 a. C.], amissis turpissime castris, a Caesare vincitur. VIII. c. 35. 97.

Livius Epit. 111. *Cn. Pompeius — translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est.* — Caesar B. C. III. c. 85. *Pompeius, quia castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat, semper, ut videbatur, spectans, si iniquis locis Caesar se subiiceret. Caesar, nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans, hanc sibi commodissimam belli rationem iudicavit, uti castra ex eo loco moveret semperque esset in itineribus* cet. c. 96. *Pompeius iam, quum intra vallum nostri versarentur, equum nactus, detractis insignibus imperatoriis, decumana porta se ex castris eiecit protinusque equo citato Larissam contendit. Neque ibi constitit, sed eadem celeritate, paucos suos ex fuga nactus, nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum triginta ad mare pervenit navemque frumentariam conscendit.* Conf. Sueton. Caes. c. 35. Orosius VI. c. 15. Florus IV. c. 2. 38 sqq. Eutrop. VI. c. 20 sq. Dio XLI. c. 55 sqq. XLII. c. 3 sqq. Appian. B. C. II. c. 65 sqq. Plutarch. Caes. c. 42 sqq. Id. Pomp. c. 68 sqq. Zonaras X. c. 9.

Calendar. Amiternin. in Verr. Flacc. Fast. p. 112. 153. ed. Fogg. *V. Id. Sextil. Soli indigiti in colle Quirinale Fer*[iae] *q*[uod] *eo d*[ie] *C. Caes. C. F. Pharsali devicit.* Conf. Orell. Inscr. II. p. 397. Eckhel. Doct. Num. IV. p. 400. Noris. de epoch. Syro-Maced. p. 163. Io. Bapt. Bellus, *Diatriba de Pharsalici conflictus mense et die* (in: Graevii Thesauro Antiq. Rom. T. VIII. p. 713—730.)

(3) Cicero, qui propter valetudinem non fuit in acie, cum Varrone et Catone ad classem remanserat Dyrrhachii; quo Labienus e pugna Pharsalica venit, nuntians interitum exercitus. VIII. c. 35. 97. IX. c. 24. 72.

Livius Epit. 111. *Cicero in castris* (i. e. Dyrrhachii) *remansit, vir nihil minus quam ad bella natus.* Cic. de Divin. I. c. 32. 68. (Loquitur Q. fr.) *Ex te ipso — audivi, C. Coponium ad te venisse Dyrrhachio — eumque dixisse, remigem quemdam — vaticinatum, madefactum iri minus XXX diebus Graeciam sanguine —: tum neque te ipsum non esse commotum, Marcumque Varronem et M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum, qui — interitum exercitus nuntiavisset.* Ibid. II. c. 55. 114. *Utrum tandem — magis verisimile est, vesanum remigem, an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, me, Catonem, Varronem, Coponium ipsum, consilia Deorum immortalium perspicere potuisse?* Cic. ad Att. XI. 4. 1. *Fugi adhuc omne munus, eo magis, quod ita nihil poterat agi, ut mihi et meis rebus aptum esset. — Me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis: qua levata, ero una cum eo, qui negotium gerit, estque in spe magna.* Plutarch. Cic. c. 39. 1. *Τῆς κατὰ Φάρσαλον μάχης — οὐ μετέσχε* (ὁ *Κικέρων*) *δι' ἀρρωστίαν.* Id. Cat. Min. c. 55. 1. *Ἐπεὶ δὲ Καίσαρα δι᾽ ὤμων Πομπήιος εἰς Θεσσαλίαν ἀνεζεύγνυε, πολλὰ καταλιπὼν περὶ Δυρράχιον ὅπλα καὶ χρήματα καὶ σώματα συγγενῆ καὶ οἰκεῖα, πάντων ἀπέδειξεν ἡγεμόνα καὶ φύλακα τὸν Κάτωνα πεντεκαίδεκα σπείρας ἔχοντα στρατιωτῶν — . Πολλοὶ δὲ καὶ τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἀπερρίφησαν ἐν Δυρραχίῳ μετὰ Κάτωνος.*

(4) Pompeius, quum ex pugna Pharsalica in Aegyptum fugisset, iussu Ptolemaei regis interfectus est, natus quum esset LVIII annos. IX. c. 3. 10.

Livius Epit. 112. *Cn. Pompeius quum Aegyptum petisset, iussu Ptolemaei regis pupilli, auctore Theodoto praeceptore, cuius magna apud regem auctoritas erat, et Pothino, occisus est ab Achilla, cui id facinus*

Novemb. 49 a. C.] Brundisio in Epirum traiicit et deinde Pompeium obsidet Dyrrhachii; qui inde elapsus bellum transfert in Thessaliam.

Caesar B. C. III. c. 6. *Caesar, ut Brundisium venit, concionatus apud milites — pridie Nonas Ianuarias naves solvit, impositis — legionibus septem. Postridie terram attigit Cerauniorum.* — c. 25. *Multi iam menses transierant et hiems iam praecipitaverat, neque Brundisio naves legionesque ad Caesarem veniebant.* — c. 41. *Caesar, postquam Pompeium ad Asparagium esse cognovit, eodem cum exercitu profectus, — tertio die in Macedoniam ad Pompeium pervenit. — Postero die omnibus copiis, magno circuitu, difficili angustoque itinere Dyrrhachium profectus est, sperans, Pompeium aut Dyrrhachium compelli aut ab eo intercludi posse, quod omnem commeatum totiusque belli apparatum eo contulisset: ut accidit.* — c. 81. *Ille, segetis idoneum locum in agris nactus, quae prope iam matura erat, ibi adventum exspectare Pompeii eoque omnem rationem belli conferre constituit.* c. 82. *Pompeius paucis post diebus in Thessaliam pervenit.* Livius Epit. 111. *Cn. Pompeius ad Dyrrhachium obsessus a Caesare et praesidiis eius cum magna clade diversae partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello*, cet. Conf. Plutarch. Caes. c. 37. sqq. Dio XLI. c. 44 sqq. Appian. B. C. II. c. 54 sqq. Zonar. X. c. 8.

(2) Pompeius in praelio ad Pharsalum, quod gestum est a. d. v. Id. Sext. [= 9 Sext. (Aug.) 706 = 6 Iunii 48 a. C.], amissis turpissime castris, a Caesare vincitur. VIII. c. 35. 97.

Livius Epit. 111. *Cn. Pompeius — translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est.* — Caesar B. C. III. c. 85. *Pompeius, quia castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat, semper, ut videbatur, spectans, si iniquis locis Caesar se subiiceret. Caesar, nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans, hanc sibi commodissimam belli rationem iudicavit, uti castra ex eo loco moveret semperque esset in itineribus* cet. c. 96. *Pompeius iam, quum intra vallum nostri versarentur, equum nactus, detractis insignibus imperatoriis, decumana porta se ex castris eiecit protinusque equo citato Larissam contendit. Neque ibi constitit, sed eadem celeritate, paucos suos ex fuga nactus, nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum triginta ad mare pervenit naremque frumentariam conscendit.* Conf. Sueton. Caes. c. 35. Orosius VI. c. 15. Florus IV. c. 2. 38 sqq. Eutrop. VI. c. 20 sq. Dio XLI. c. 55 sqq. XLII. c. 3 sqq. Appian. B. C. II. c. 65 sqq. Plutarch. Caes. c. 42 sqq. Id. Pomp. c. 68 sqq. Zonaras X. c. 9.

Calendar. Amiternin. in Verr. Flacc. Fast. p. 112. 153. ed. Fogg. *V. Id. Sextil. Soli indigiti in colle Quirinale Fer*[iae] *q*[uod] *eo d*[ie] *C. Caes. C. F. Pharsali devicit.* Conf. Orell. Inscr. II. p. 397. Eckhel. Doct. Num. IV. p. 400. Noris. de epoch. Syro-Maced. p. 163. Io. Bapt. Bellus, *Diatriba de Pharsalici conflictus mense et die* (in: Graevii Thesauro Antiq. Rom. T. VIII. p. 713—730.)

(3) Cicero, qui propter valetudinem non fuit in acie, cum Varrone et Catone ad classem remanserat Dyrrhachii; quo Labienus e pugna Pharsalica venit, nuntians interitum exercitus. VIII. c. 35. 97. IX. c. 24. 72.

Livius Epit. 111. *Cicero in castris* (i. e. Dyrrhachii) *remansit, vir nihil minus quam ad bella natus.* Cic. de Divin. I. c. 32. 68. (Loquitur Q. fr.) *Ex te ipso — audivi, C. Coponium ad te venisse Dyrrhachio — eumque dixisse, remigem quemdam — vaticinatum, madefactum iri minus XXX diebus Graeciam sanguine —: tum neque te ipsum non esse commotum, Marcumque Varronem et M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum, qui — interitum exercitus nuntiavisset.* Ibid. II. c. 55. 114. *Utrum tandem — magis verisimile est, vesanum remigem, an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, me, Catonem, Varronem, Coponium ipsum, consilia Deorum immortalium perspicere potuisse?* Cic. ad Att. XI. 4. 1. *Fugi adhuc omne munus, eo magis, quod ita nihil poterat agi, ut mihi et meis rebus aptum esset. — Me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis: qua levata, ero una cum eo, qui negotium gerit, estque in spe magna.* Plutarch. Cic. c. 39. 1. *Τῆς κατὰ Φάρσαλον μάχης — οὐ μετέσχε* (ὁ *Κικέρων*) *δι' ἀρρωστίαν.* Id. Cat. Min. c. 55. 1. *Ἐπεὶ δὲ Καίσαρα δι ώκων Πομπήιος εἰς Θεσσαλίαν ἀνεξεύγνυε, πολλὰ καταλιπὼν περὶ Δυρράχιον ὅπλα καὶ χρήματα καὶ σώματα συγγενῆ καὶ οἰκεῖα, πάντων ἀπέδειξεν ἡγεμόνα καὶ φύλακα τὸν Κάτωνα πεντεκαίδεκα σπείρας ἔχοντα στρατιωτῶν — . Πολλοὶ δὲ καὶ τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἀπερρίφησαν ἐν Δυρραχίῳ μετὰ Κάτωνος.*

(4) Pompeius, quum ex pugna Pharsalica in Aegyptum fugisset, iussu Ptolemaei regis interfectus est, natus quum esset LVIII annos. IX. c. 3. 10.

Livius Epit. 112. *Cn. Pompeius quum Aegyptum petisset, iussu Ptolemaei regis pupilli, auctore Theodoto praeceptore, cuius magna apud regem auctoritas erat, et Pothino, occisus est ab Achilla, cui id facinus*

erat delegatum, in navicula, antequam in terram exiret. Velleius II. c. 53. 1. *Pompeius profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, et Favonio praetorio, quos comites ei fortuna aggregaverat, — Aegyptum petere proposuit, memor beneficiorum, quae in patrem eius Ptolemaei, qui tum puero quam iuveni propior regnabat Alexandriae, contulerat. — Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium — consilio Theodoti et Achillae exciperent, hortarenturque ut ex oneraria in eam navem, quae obviam processerat, transcenderet. Quod quum fecisset, princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Aegyptii mancipii, C. Caesare, P. Servilio coss. iugulatus est. Hic post tres consulatus* [a. U. C. 684. 699. 702.] *et totidem triumphos* [primum ex Africa, alterum ex Europa, tertium ex Asia cfr. Velleius II. c. 40. 5.] *domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac praestantissimi viri, in id evecti, super quod adscendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius* [III. Kal. Octob. = 28 Sept. 706 = 24 Iulii 48. a. C. conf. ad a. U. C. 648. 6.] *vitae fuit exitus.* Appian. B. C. II. c. 81—86. *Τόδε μὲν δὴ τοῦ βίου τέλος ἦν Πομπηίῳ, — ἀησσήτῳ καὶ εὐτυχεστάτῳ ἐξέτι νέου γενομένῳ· ἀπὸ γὰρ τριῶν καὶ εἴκοσιν ἐτῶν* [cf. Velleius II. c. 29. Plutarch. Pomp. c. 6.] *οὐ διέλιπεν, ἐς ὀκτὼ καὶ πεντήκοντα, τῇ μὲν ἰσχύι μοναρχικῶς δυναστεύων, τῇ δὲ δόξῃ — δημοτικῶς νομιζόμενος ἄρχειν.* Dio XLII. c. 3—5. 1. *Τοσοῦτο μὲν τὸ τῷ Πομπηίῳ ἐκείνῳ τῷ μεγάλῳ ἐγένετο. — ἠτιήθη παραλόγως ὀκτώ τε καὶ πεντηκοντούτης ὤν.* Conf. Caesar B. C. III. c. 104. Orosius l. c. Florus IV. c. 2. 51. Plutarch. Pomp. c. 73 sqq. Id. Caes. c. 48. Zonar. X. c. 9. Vrillowsky, *Geschichte Pompeius des Grossen.* Rastenburg, 1843. 4°. Büchner, *Ueber den Lebensplan des Cn. Pompeius Magnus.* Schwerin, 1847. 4°.

(5) Cicero victoriam Caesaris in praelio Pharsalico belli finem sibi facit, et ab armis discedens Brundisium venit: ubi diu moratus est (v. ad a. 707. 4.), Caesarem exspectans, dum is bellum Alexandrinum gessit et Pharnacem in Ponto superavit. VIII. c. 36. 98. IX. c. 1 sq.

Plutarch. Cic. c. 39. 1. *Γενομένης τῆς κατὰ Φάρσαλον μάχης — καὶ Πομπηίου φυγόντος, ὁ μὲν Κάτων καὶ στράτευμα συχνὸν ἐν Δυρραχίῳ καὶ στόλον ἔχων μέγαν, ἐκεῖνον ἠξίου στρατηγεῖν κατὰ νόμον καὶ τὸ τῆς ὑπατείας ἀξίωμα προὔχοντα. Διωθούμενος δὲ τὴν ἀρχὴν ὁ Κικέρων καὶ ὅλως φεύγων τὸ στρατεύεσθαι, παρ' οὐδὲν ἦλθεν ἀναιρεθῆναι — . κατασχὼν δ' εἰς Βρεντέσιον ἐνταῦθα διέτριβε, Καίσαρα περιμένων, βραδύνοντα διὰ τὰς ἐν Ἀσίᾳ καὶ περὶ*

Αἴγυπτον ἀσχολίας. Dio XLII. c. 10. 2. *Ἡττηθέντος δὲ τοῦ Πομπηίου — Κικέρων μὲν καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν βουλευτῶν ἐς τὴν Ῥώμην παραυτίκα* [?] *ἀπῆραν.*

(6) Quo quum venisset, a Dolabella per epistolam invitatus ut in quietam se aliquam civitatem reciperet, IX. c. 2. 3 sqq. parum abfuit quin ex Italia decedere iussus sit, una cum D. Laelio, qui Asiaticis Pompeii navibus praefuerat. IX. c. 4. 12. c. 6. 16. 17.

(7) Reliqui Pompeianarum partium principes viri, alii alio, plerique in Africam se contulerunt, ut bellum renovarent. VIII. c. 36. 99.

Appian. B. C. II. c. 87. *Λεύκιος δὲ Σκιπίων, ὁ κηδεστὴς τοῦ Πομπηίου, καὶ ὅσοι ἄλλοι τῶν ἐπιφανῶν ἐκ τοῦ κατὰ Φάρσαλον ἔργου διεσπεφεύγεσαν, ἐπὶ Κερκύρας ἠπείγοντο πρὸς Κάτωνα, ἑτέρου στρατοῦ καὶ τριακοσίων τριηρῶν ἀρχειν ὑπολελειμμένον —. Καὶ αὐτῶν οἱ περιφανέστατοι, νειμάμενοι τὸ ναυτικὸν, Κάσσιος μὲν ἐς τὸν Πόντον ἔπλει πρὸς Φαρνάκην, ὡς ἀναστήσων αὐτὸν ἐπὶ Καίσαρα· Σκιπίων δὲ καὶ Κάτων ἐς Λιβύην ἔπλεον, Οὐάρῳ τε πίσυνοι καὶ τῷ μετὰ Οὐάρου στρατῷ, καὶ Ἰόβᾳ Νομάδων βασιλεῖ συμμαχοῦντι. Πομπήιος δὲ, ὁ τοῦ Πομπηίου πρεσβύτερος υἱὸς, καὶ Λαβιηνὸς σὺν αὐτῷ, καὶ Σκάπλας, τὸ μέρος ἔχοντες, ἠπείγοντο ἐς Ἰβηρίαν, καὶ αὐτὴν ἀποστήσαντες ἀπὸ τοῦ Καίσαρος, στρατὸν ἄλλον ἐξ αὐτῶν Ἰβήρων τε καὶ Κελτιβήρων καὶ Θραπόντων συνέλεγον, ἔν τε παρασκευῇ μείζονι ἐγίγνοντο.* Conf. Dio XLII. c. 10—16. Plutarch. Cat. Min. c. 55—56.

(8) Caesar, Pompeium secutus in Aegyptum, paucis diebus post pervenit Alexandriam. IX. c. 1. 2. c. 6. 16.

Livius Epit. 112. *Caesar, post tertium diem insecutus, quum ei Theodotus caput Pompeii et annulum obtulisset, et offensus est et illacrimavit; nec sine periculo Alexandriam tumultuantem intravit.* Caesar B. C. III. c. 102. *Caesar, omnibus rebus relictis, persequendum sibi Pompeium existimavit, quascunque in partes ex fuga se recepisset, ne rursus copias comparare alias et bellum renovare posset.* — c. 106. *Caesar, paucos dies in Asia moratus, quum audisset Pompeium Cypri visum, coniectans, eum Aegyptum iter habere, propter necessitudines regni reliquasque eius loci opportunitates, cum legionibus, una, quam ex Thessalia se sequi iusserat, et altera, quam ex Achaia a Q. Fufio*

legato evocaverat, equitibusque octingentis et navibus longis Rhodiis decem et Asiaticis paucis, Alexandriam pervenit. — Alexandriae de Pompeii morte cognoscit. Appian. B. C. II. c. 88. *Αὐτὸς δ' (ὁ Καῖσαρ) ἐπὶ τῇ νίκῃ δύο μὲν ἡμέρας ἐν Φαρσάλῳ διέτριψε· — τῇ τρίτῃ δ' ἐξήλαυνεν ἐπὶ τὴν ἕω κατὰ πίστιν τῆς Πομπηίου φυγῆς.* c. 89. *Πυθόμενος δὲ Πομπήιον ἐπ' Αἰγύπτου φέρεσθαι, διέπλευσεν ἐς Ῥόδον καὶ — προσέταξεν ἐς Ἀλεξάνδρειαν φέρεσθαι.* Conf. Dio XLII. c. 7. Plutarch. Caes. c. 47 sq. Zonaras X. c. 10.

ANNUS VITAE CICERONIS LX.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 23 Octob. 48 a. C.]

a. U. C.	Coss. C. IULIUS CAESAR II. dictator.	a. A. C.
707.	M. ANTONIUS magister equitum.	47.

(1) Caesar bellum gerit Alexandrinum contra Ptolemaeum; quo victo a. d. VI. Kal. April. [= 27 Mart. 707 = 14 Ianuar. 47 a. C.] aliquot tamen menses moratur in Aegypto. IX. c. 6. 16.

Livius Epit. 112. *Caesar, dictator creatus, Cleopatram in regnum Aegypti reduxit, et inferentem bellum iisdem auctoribus Ptolemaeum, quibus Pompeium interfecerat, cum magno suo discrimine vicit. Ptolemaeus dum fugit, in Nilo navicula subsedit.* Sueton. Caes. c. 35. *Pompeium — fugientem Alexandriam persecutus (Caesar), ut occisum deprehendit, cum Ptolemaeo rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit; neque loco neque tempore aequo, sed hieme anni et intra moenia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium atque imparatus. Regnum Aegypti victor Cleopatrae fratrique eius minori permisit.* Appian. B. C. II. c. 89. *Καὶ ὁ μὲν (Καῖσαρ) τρισὶν ἡμέραις πελάγιος ἀμφὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἦν.* — c. 90. *Θορυβούντων δ' ἐπὶ τῷδε τῶν Ἀλεξανδρέων, καὶ τῆς στρατιᾶς τῆς βασιλικῆς ἐπ' αὐτὸν ἰούσης, ἀγῶνες αὐτῷ ποικίλοι περὶ τὸ βασίλειον ἐγένοντο —. Τελευταῖον δ' ἀνὰ τὸν Νεῖλον αὐτῷ γίγνεται πρὸς τὸν βασιλέα ἀγών, ᾧ δὴ καὶ μάλιστα ἐχράτει. Καὶ ἐς ταῦτα διετρίφθησαν αὐτῷ μῆνες ἐννέα, μέχρι Κλεοπάτραν ἀντὶ τοῦ ἀδελφοῦ βασιλεύειν ἀπέφηνεν Αἰγύπτου. Καὶ τὸν Νεῖλον ἐπὶ*

τετρακοσίων νεῶν, τὴν χώραν θεώμενος, περιέπλευ μετὰ τῆς Κλεοπάτρας, καὶ τἄλλα ἡδόμενος αὐτῇ. Kalendar. Maffaeior. in Verr. Flacc. Fast. p. 107. ed. Fogg. (Gruter. Inscr. p. 133. Orell. Inscr. II. 386.): VI. *Kal. April. Hoc die Caesar Alexandriam recepit.* Conf. Caesar B. C. III. c. 107—112. Auctor de B. Alex. c. 1 sqq. Florus IV. c. 2. 55. Eutrop. VI. c. 22. Orosius VI. c. 15 sq. Dio XLII. c. 34 sqq. Plutarch. Caes. c. 48 sqq. Zonar. X. c. 10.

(1) Cicero, qui Brundisii manserat (v. ad a. 706. 5.), fortunam lugens Pompeii et omnium rerum confusionem, IX. c. 3 sq. quamquam praeclara ipse conscientia sustentatus c. 5. nec quid consilii caperet, nec quid faceret, sciebat, gravitatem caeli iam vix corpore sustinens. IX. c. 6. 17.

(2) Pridie Idus Iunii [= 12 Iunii 707 = 31 Mart. 47 a. C.] ad se Brundisium venientem vidit filiam, cuius morbus ipsum dudum exanimaverat. Quo tempore quum constituisset M. filium cum Cn. Sallustio obviam Caesari mittere, mox consilium mutavit, quum de adventu Caesaris nihil afferretur. IX. c. 6. 18.

Cic. ad Att. XI. 17. 1. *Tullia mea venit ad me pridie Idus Iun., deque tua erga se observantia benevolentiaque mihi plurima exposuit, litteras reddidit trinas. — Ego cum Sallustio Ciceronem ad Caesarem mittere cogitabam.* Plutarch. Cic. c. 41. 2. *Αὐτὴ μὲν (ἡ Τερεντία) οὐκ ἦλθεν, ἐν Βρεντεσίῳ διατριβοντος αὐτοῦ πολὺν χρόνον, ἐρχομένῃ δὲ τῇ θυγατρὶ, παιδίσκῃ νέᾳ, τοσαύτην ὁδὸν οὐ πομπὴν πρέπουσαν, οὐ χορηγίαν παρέσχεν.*

(3) Acceptis tandem pridie Idus Sext. [= 12 Sext. (Aug.) 707 = 30 Maii 47 a. C.] litteris a Caesare satis liberalibus ex Aegypto, Romam redit; sed ne istic quidem optabilem vivendi rationem reperiens, sua se conscientia sustentat et cum veteribus amicis, id est, cum libris in gratiam redit. IX. c. 7. 19 sqq. c. 20. 62.

(4) Ad reliquas autem aegritudines novi aliquid accedebat ex iis, quae de Q. fratre eiusque filio afferebantur. IX. c. 8. 22.

(6) Caesar, dum Alexandrino bello distinebatur, multis in locis parum secunda usus est fortuna. IX. c. 9. 25.

Nam in Asia Pharnaces, Mithridatis filius, pugna cum Cn. Domitio Calvino prospere gesta, Pontum occupavit.

Livius Epit. 112. *Bellum a Cn. Domitio contra Pharnacem parum prospere gestum.* Auctor de B. Alex. c. 34. *Dum haec in Aegypto geruntur, rex Deiotarus ad Domitium Calvinum, cui Caesar Asiam finitimasque provincias administrandas transdiderat, venit, oratum, ne Armeniam minorem, regnum suum, neve Cappadociam, regnum Ariobarzanis, possideri vastarique pateretur a Pharnace.* — c. 41. *Pharnaces, rebus secundis elatus, quum de Caesare ea, quae optabat, speraret, Pontum omnibus copiis occupavit: ibique et victor et crudelissimus rex, quum sibi fortunam paternam feliciore eventu destinaret, multa oppida expugnavit; bona civium Romanorum Ponticorumque diripuit; supplicia constituit in eos, qui aliquam formae atque aetatis commendationem habebant, ea quae morte essent miseriora; Pontumque nullo defendente, paternum regnum se recepisse glorians, obtinebat.* Appian. B. C. II. c. 91. Ὁ δὲ (Φαρνάκης) ἤδη μὲν εἴργαστο πολλὰ, καὶ περιεσπάκει τινὰ Ῥωμαίων χωρία, καὶ Δομιτίῳ Καίσαρος στρατηγῷ συνενεχθεὶς ἐς μάχην, ἐνενικήκει πανὺ λαμπρῶς· καὶ τῷδε μάλιστα ἐπαρθεὶς, Ἄμισὸν πόλιν ἐν τῷ Πόντῳ, ῥωμαΐζουσαν, ἐχηνδραπόδισατο, καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν τομίας ἐπεποίητο πάντας. Conf. Dio XLII. c. 45 sq. Plutarch. Caes. c. 50. Zonaras X. c. 10.

(7) In Illyrico A. Gabinius, praelio cum barbaris male commisso, magnum amittit militum numerum et paucis mensibus post, summa difficultate pressus, morbo periit. IX. c. 9. 25.

Auctor de B. Alex. c. 42. *Sub idem tempus in Illyrico est incommodum acceptum: — Quum diversissima parte orbis terrarum Cn. Pompeium Caesar victor sequeretur, complures adversarios in Illyricum, propter Macedoniae propinquitatem, se, reliquiis ex fuga collectis, contulisse audiret, litteras ad Gabinium mittit, uti cum legionibus tironum, quae nuper erant conscriptae, proficisceretur in Illyricum* — c. 43. *Gabinius, ut in Illyricum venit, hiberno tempore anni ac difficili, sive copiosiorem provinciam existimans, sive multum fortunae victoris Caesaris tribuens, sive virtute et scientia sua confisus, quam saepe in bellis periclitatus, magnas res et secundas ductu ausoque suo gesserat; neque provinciae facultatibus sublevabatur, quae partim erat*

exinanita, partim infidelis, neque navibus, intercluso mari tempestatibus, commeatus supportari poterat; magnisque difficultatibus coactus, non, ut volebat, sed, ut necesse erat, bellum gerebat, quum durissimis tempestatibus, propter inopiam, castella aut oppida expugnare cogeretur, crebro incommoda accipiebat; adeoque est a barbaris contemptus, ut, Salonam se recipiens in oppidum maritimum, quod cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant, in agmine dimicare sit coactus. Quo praelio duobus millibus militum amplius amissis, centurionibus XXXIIX, *tribunis* IV, *cum reliquis copiis Salonam se recepit: summaque ibi difficultate rerum omnium pressus paucis mensibus morbo periit.* Conf. Appian. de Reb. Illyr. c. 12. Dio XLII. c. 11.

(8) In Hispania Q. Cassius Longinus et M. Marcellus, Caesaris praefecti, dissensione orta et militum seditione facta, bellum aliquamdiu inter se gesserunt. IX. c. 9. 25.

Dio XLII. c. 15. 1. *Ἐν ᾧ δὲ ταῦτα ὡς ἕκαστα ἐπράττετο, καὶ ἡ Ἰβηρία καίπερ εἰρηνεύσασα ἐκινήθη. ἐπειδὴ γὰρ ὁ Λογγῖνος ὁ Κύϊντος πολλὰ καὶ τότε αὐτοὺς ἐλυμαίνετο, τὸ μὲν πρῶτον ὀλίγοι τινὲς συνέστησαν ὡς ἀποκτενοῦντες αὐτόν· ἐπεὶ δὲ δὴ τρωθεὶς διέφυγε κἀκ τούτου πολλῷ μείζω σφᾶς ἠδίκει, συχνοὶ μὲν Κορδουβήσιοι συχνοὶ δὲ καὶ στρατιῶται, ἅτε καὶ τοῦ Πομπηίου γεγονότες, ἐπανέστησαν αὐτῷ, Μάρκον Μάρκελλον Αἰσερνῖνον τὸν ταμίαν προστησάμενοι κτέ.* Conf. Auctor de B. Alex. c. 48—64.

(9) In Alexandriae expugnatione Caesar, quum milites sui perturbati et ab Alexandrinis pulsi in naves refugerent, ipse quidem, magno in periculo versatus, natatione sibi consulere coactus est. IX. c. 9. 25.

Sueton. Caes. c. 64. *Alexandriae, circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eodem praecipitantibus, quum desiluisset in mare, nando per ducentos passus, evasit ad proximam navem, elata laeva, ne libelli, quos tenebat, madefierent; paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.* Conf. Auctor de B. Alex. c. 21. Florus IV. c. 2. 59. Orosius VI. c. 15. Plutarch. Caes. c. 49. Dio XLII. c. 40. Appian. B. C. II. c. 90. Zonar. X. c. 10.

(10) Excitatis etiam Romae seditionibus a P. Dolabella, Ciceronis genero, multi e plebe caesi sunt. IX. c. 8. 24. c. 9. 25.

Livius Epit. 113. *Quum seditiones Romae a P. Dolabella tribuno ple-*

bis, legem ferente de novis tabulis [τοὺς νόμους, τόν τε περὶ τῶν χρεῶν καὶ τὸν περὶ τῶν ἐνοικίων: Dio XLII. c. 32. 2.], *excitatae essent et ex ea caussa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistro equitum in Urbem militibus, octingenti e plebe caesi sunt.* Cic. ad Att. XI. 12. 4. *Quod me audis erectiorem esse animo, quid putas, quum videas, accessisse ad superiores aegritudines praeclaras generi actiones?* Ibid. 23. 3. *Audimus de statu reipublicae. O dii! generumne nostrum potissimum, ut hoc, vel tabulas novas?* Auctor B. Alex. c. 65. *Quum in Syriam Caesar ex Aegypto venisset, atque ab iis, qui Roma venerant ad eum, cognosceret, litterisque urbanis animadverteret, multa Romae male et inutiliter administrari, neque ullam partem reipublicae satis commode geri; quod et contentionibus tribunitiis perniciosae seditiones orirentur, — eaque omnia flagitare adventum suum videret; tamen praeferendum existimavit* cet. Plutarch. Anton. c. 9. 1. *Οὐ μὴν ἀλλὰ τότε δημαρχῶν Δολαβέλλας, νέος ἀνὴρ καὶ νέων πραγμάτων ὀρεγόμενος, εἰσηγεῖτο χρεῶν ἀποκοπὰς καὶ τὸν Ἀντώνιον αὐτῷ τε φίλον ὄντα καὶ βουλόμενον ἀεὶ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν ὅπειθε συμπράττειν καὶ κοινωνεῖν τοῦ πολιτεύματος.* Conf. Dio XLII. c. 27. 32. Appian. B. C. II. c. 92.

(11) Alia denique in Italia orta est seditio, praesertim in Campania apud legiones, quae nec sibi soluta esse promissa conquerebantur, et diutius se in militia retineri aegre ferebant: quas tamen Caesar, quum in Italiam redisset, facile sedavit. IX. c. 9. 25.

Appian. B. C. II. c. 92. *Ὁ δὲ Καῖσαρ — ἐς Ῥώμην ἠπείγετο. Ὡς δ' ἦλθεν, ἡ μὲν στάσις ἡ πολιτικὴ κατεπαύετο· ἑτέρα δ' ἐπ' αὐτὸν ἀνίστατο τοῦ στρατοῦ, ὡς οὔτε τὰ ἐπηγγελμένα σφίσιν ἐπὶ τῷ κατὰ Φάρσαλον ἔργῳ λαβόντες, οὔτε ἐννόμως ἔτι βραδύνοντες ἐν τῇ στρατείᾳ· ἀφεθῆναί τε πάντες ἐπὶ τὰ αὑτῶν ἠξίουν. Ὁ δ' ἐπηγγέλλετο μὲν αὐτοῖς ἀόριστά τινα ἐν Φαρσάλῳ, καὶ ἕτερα ἀόριστα, ὅταν ὁ ἐν Λιβύῃ πόλεμος ἐκτελεσθῇ· τότε δ' ἔπεμπεν, ἄλλας ἀρίζων ἑκάστῳ χιλίας δραχμάς. Οἱ δὲ αὐτὸν οὐχ ὑπισχνεῖσθαι μᾶλλον, ἢ αὐτίκα διδόναι πάντα, ἐκέλευον.* Dio XLII. c. 52. 1. *Τὰ δὲ δὴ στρατόπεδα οὐχ ἡσυχῇ αὐτὸν ἐτάραξεν· πολλὰ γὰρ λήψεσθαι ἐλπίσαντες, καὶ εὑράμενοι τῆς μὲν ἀξίας οὐκ ἐλάττω τῆς δὲ προσδοκίας καταδεέστερα, ἐθορύβησαν. ἐν Καμπανίᾳ δὲ οἱ πλείους αὐτῶν, ὡς καὶ ἐς τὴν Ἀφρικὴν προπλευσούμενοι, ἦσαν.* Sueton. Caes. c. 70. *Decumanos autem Romae cum ingentibus minis, summoque etiam Urbis periculo, missionem et praemia flagitantes, ardente tunc*

in Africa bello, neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere: sed una voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit et flexit, ut ei milites esse confestim responderint, et quamvis recusantem ultro in Africam sint secuti. Livius Epit. 113. *Caesar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit.*

(12) Absente Caesare Antonius e Thessalia rediit, omnem Italiam percursavit, crudeliter ubique in omnes saeviit et per summam lasciviam suam et libidinem insultavit civibus. IX. c. 9. 26 sqq. c. 10. 31.

Plutarch. Anton. c. 9. 2. *Τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς ἐκ τούτων ἀπηχθάνετο, τοῖς δὲ χρηστοῖς καὶ σώφροσι διὰ τὸν ἄλλον βίον οὐκ ἦν ἀρεστός, ὡς Κικέρων φησὶν, ἀλλ' ἐμισεῖτο, βδελυττομένων αὐτοῦ μέθας ἀώρους καὶ δαπάνας ἐπαχθεῖς καὶ κυλινδήσεις ἐν γυναίοις, καὶ μεθ' ἡμέραν μὲν ὕπνους καὶ περιπάτους ἀλύοντος καὶ κραιπαλῶντος, νύκτωρ δὲ κώμους καὶ θέατρα καὶ διατριβὰς ἐν γάμοις μίμων καὶ γελωτοποιῶν. Λέγεται γοῦν, ὡς Ἱππίου ποτὲ τοῦ μίμου γάμους ἑστιαθεὶς καὶ πιὼν διὰ νυκτὸς, εἶτα πρωὶ τοῦ δήμου καλοῦντος, εἰς ἀγορὰν παρελθὼν ἔτι τροφῆς μεστὸς ἐμέσειε, τῶν φίλων τινὸς ὑποσχόντος τὸ ἱμάτιον. [5]Ἦν δὲ καὶ Σέργιος ὁ μῖμος τῶν μέγιστον παρ' αὐτῷ δυναμένων καὶ Κυθηρὶς ἀπὸ τῆς αὐτῆς παλαίστρας γύναιον ἀγαπώμενον, ὃ δὴ καὶ τὰς πόλεις ἐπιὼν ἐν φορείῳ περιήγετο καὶ τὸ φορεῖον οὐκ ἐλάττους ἢ τὸ τῆς μητρὸς αὐτοῦ περιέποντες ἠκολούθουν. — Δεινὸν γὰρ ἐποιοῦντο, Καίσαρα μὲν αὐτὸν ἔξω τῆς Ἰταλίας θυραυλεῖν τὰ περιόντα τοῦ πολέμου μεγάλοις πόνοις καὶ κινδύνοις ἀνακαθαιρόμενον, ἑτέρους δὲ δι' ἐκεῖνον τρυφᾶν τοῖς πολίταις ἐνυβριζοντας.*

(13) Caesar, confecto bello Alexandrino et summa felicitate Pharnace victo, celeriter redit in Italiam; cui Cicero obviam processit.

Sueton. Caes. c. 35. *Ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit (Caesar), urgentibus de Pharnace nuntiis: quem, Mithridatis Magni filium, ac tunc occasione temporum bellantem iamque multiplici successu praeferocem, intra quintum quam affuerat diem, quattuor, quibus in conspectum venit, horis una profligavit acie.* Auctor de B. Alex. c. 77. *Ponto recepto — postero die cum expeditis equitibus ipse proficiscitur —.* c. 78. *Ita per Gallograeciam Bithyniamque in Asiam iter facit, omniumque earum provinciarum de controversiis cognoscit et*

statuit. — Rebus felicissime celerrimeque confectis, in Italiam celerius omnium opinione venit. Dio XLII. c. 48. 1. *Καῖσαρ δὲ ἐπὶ τῇ νίκῃ, καίπερ οὐ πάνυ διαπρεπεῖ γενομένῃ, πολὺ καὶ ὅσον ἐπ' οὐδεμιᾷ ἄλλῃ ἐφρόνησεν, ὅτι ἔν τε τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ὥρᾳ καὶ ἦλθε πρὸς τὸν πολέμιον καὶ εἶδεν αὐτὸν καὶ ἐνίκησεν.* — c. 49. 1. *Πράξας δὲ ταῦτα, καὶ τὰ λοιπὰ τῷ Δομιτίῳ καταστήσασθαι κελεύσας, ἐς τὴν Βιθυνίαν ἦλθε, κἀντεῦθεν ἔς τε τὴν Ἑλλάδα καὶ ἐς τὴν Ἰταλίαν ἔπλευσεν.* Conf. Livius Epit. 113. Velleius II. c. 55. Florus IV. c. 2. 61. Eutrop. VI. c. 22. Orosius VI. c. 16. Appian. B. C. II. c. 91. Plutarch. Caes. c. 50. Plutarch. Cic. c. 39. 2. *Κατασχὼν δ' εἰς Βρεντέσιον ἐνταῦθα διέτριβε Καίσαρα περιμένων βραδύνοντα διὰ τὰς ἐν Ἀσίᾳ καὶ περὶ Αἴγυπτον ἀσχολίας* [v. ad a. 706. 5.]. *Ἐπεὶ δ' εἰς Ταραντα καθωρμισμένος ἀπηγγέλλετο καὶ πεζῇ περιιὼν ἐκεῖθεν εἰς Βρεντέσιον, ὥρμησε πρὸς αὐτόν, οὐ πάνυ μὲν ὢν δύσελπις, αἰδούμενος δὲ πολλῶν παρόντων ἀνδρὸς ἐχθροῦ καὶ κρατοῦντος λαμβάνειν πίστιν. Οὐ μὴν ἐδέησεν αὐτῷ πρᾶξαί τι παρ' ἀξίαν ἢ εἰπεῖν. Ὁ γὰρ Καῖσαρ, ὡς εἶδεν αὐτὸν πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἀπαντῶντα, κατέβη καὶ ἠσπάσατο καὶ διαλεγόμενος μόνῳ συχνῶν σταδίων ὁδὸν προῆλθεν.*

(14) Caesar Romam reversus pecunias undique collegit, partim a privatis, partim vendendis adversariorum bonis, ut bellum pararet adversus Pompeianos in Africa gerendum; quo profectus a. d. XIV. Kal. Ian. [= 17 Decbr. 707 = 30 Septemb. 47 a. C.] pervenit Lilybaeum. IX. c. 10. 29 sqq.

Dio XLII. c. 50. 1. *Ἐς δὲ δὴ τὴν Ἰταλίαν — ἠπείχθη — κἀνταῦθα πολλὰ ἠργυρολόγει, τὰ μέν τινα ἐν δωρεᾶς μέρει, στεφάνους καὶ ἀγάλματα καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, λαμβάνων, τὰ δὲ καὶ δανειζόμενος δῆθεν, οὐχ ὅτι παρὰ τῶν ἰδιωτῶν ἀλλὰ κἀὶ παρὰ τῶν πόλεων.* Plutarch. Anton. c. 10. 1. *Τὴν δὲ Πομπηίου πωλουμένην οἰκίαν ὠνήσατο μὲν Ἀντώνιος, ἀπαιτούμενος δὲ τὴν τιμὴν ἠγανάκτει.* Auctor de B. Afric. c. 1. *Caesar, itineribus iustis confectis nullo die intermisso, a. d. XIV. Kal. Ian. Lilybaeum pervenit.* — c. 2. *Legionibus collectis sex et equitum duobus milibus, ut quaeque prima legio venerat, in naves longas imponebatur. — Ipse navem conscendit a. d. VI. Kal. Ian.* [= 25 Decbr. 707 = 8 Octob. 47 a. C.] *et — post diem quartam cum longis paucis navibus in conspectum Africae venit.* Cic. de Divinat. II. c. 24. 52. *Quid? ipse Caesar, quum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit?* Dio XLIII. c. 56. 1. *Καὶ ἐς τὴν Ἀφρικὴν καίτοι τοῦ χειμῶνος μεσοῦντος ἐπεραιώθη.* Plutarch. Caes. c. 52. 1. *Τῶν δὲ περὶ Κάτωνα καὶ Σκηπίωνα*

μετὰ τὴν ἐν Φαρσάλῳ μάχην εἰς Λιβύην φυγόντων — ἔγνω στρατεύειν ὁ Καῖσαρ ἐπ' αὐτούς· καὶ περὶ τροπὰς χειμερινὰς διαβὰς εἰς Σικελίαν κτέ. Zonaras x. c. 10.

(15) Prius tamen, quam in Africam proficisceretur, M. Brutum Galliae, Ser. Sulpicium Graeciae praefecit; qui, quum Pompeianarum partium fuissent, post victoriam Pharsalicam ad Caesarem transierant. IX. c. 16. 47.

Appian. B. C. II. c. 111. *Μάρκος Βροῦτος, ὁ Καιπίων ἐπίκλην — αὐτῷ Καίσαρι προσφυγὼν ἐκ τοῦ κατὰ Φάρσαλον ἀτυχήματος· καὶ Γάϊος Κάσσιος, — οἵδε μὲν ἄμφω τῆς Πομπηίου μοίρας γεγονότε —. Ἅπαντες ἀεὶ παρὰ Καίσαρι τιμῆς καὶ πίστεως χρηματίζοντες ἄξιοι· οἷς γε καὶ πράξεις ἐνεχείρισε μεγίστας, καὶ, ἐπὶ τὸν ἐν Λιβύῃ πόλεμον ἀπιὼν, στρατεύματα ἔδωκε, καὶ τὴν Κελτικὴν — τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Βρούτῳ ἐπέτρεψεν.* Cic. ad Sulpic. (ad Fam. IV. 4. 2.) *Consilium tuum, quo te usum scribis hoc Achaicum negotium non recusavisse, quum semper probavissem, tum multo magis probavi, lectis tuis proximis litteris.* Id. ad A. Torquatum (ad Fam. VI. 1. 6.) *Hoc vero tempus, quo exanimati omnes et suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod et in urbe ea es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitae, et habes Ser. Sulpicium, quem semper unice dilexisti; qui te profecto et benevolentia et sapientia consolatur.*

ANNUS VITAE CICERONIS LXI.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 18 Octob. 47 a. C.]

a. U. C.	Coss. C. IULIUS CAESAR III.	a. A. C.
708.	M. AEMILIUS LEPIDUS.	46.

(1) Hic annus, qui fuit ultimus confusionis (v. ad a. 691.), ex correctione Caesaris habuit XV menses, sive dies CDXLV [355 + 23 + 67 = 445].

Censorin. de Die Natali c. 20. *Decem menses dies trecentos quattuor — habebant. — Postea sive a Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Iunius, a Tarquinio duodecim facti sunt menses et dies trecenti quinquaginta quinque —; certe ad annum priorem unus et quinquaginta dies ac-*

cesserunt. — Denique quum interkalarem mensem viginti duum vel viginti trium dierum alternis annis addi placuisset, ut civilis annus ad naturalem exaequaretur, in mense potissimum Februario inter Terminalia et Regifugium interkalatum est; idque diu factum, priusquam sentiretur, annos civiles aliquanto naturalibus esse maiores. Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum est negotium eorumque arbitrio interkalandi ratio permissa. Sed horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret diutiusve fungeretur aut publici redemtor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine interkalando, rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt. Adeoque aberratum est, ut C. Caesar, pontifex maximus, suo III. *et M. Aemilii Lepidi consulatu, ut retro delictum corrigeret, duos menses interkalarios dierum sexaginta septem in mensem Novembrem et Decembrem interponeret, quum iam mense Februario dies tres et viginti interkalasset faceretque eum annum dierum* CDXLV, *simul providens in futurum, ne iterum erraretur.* Sueton. Caes. c. 40. (*Caesar*) *fastos correxit, iam pridem vitio pontificum per interkalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriae aestati neque vindemiarum autumno competerent. — Quo autem magis in posterum ex Kalendis Ianuariis novis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem interiecit duos alios, fuitque is annus, quo haec constituebantur, quindecim mensium cum interkalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Macrob. Saturn. I. c. 14. 1. *Nonnumquam per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui consulto anni dies volebant, modo auctio modo retractio dierum proveniebat, et sub specie observationis emergebat maior confusionis occasio. Sed postea C. Caesar omnem hanc inconstantiam temporum vagam adhuc et incertam in ordinem statae definitionis coegit, adnitente sibi M. Flavio scriba —. Ergo C. Caesar, exordium novae ordinationis initurus dies omnes, qui adhuc confusionem poterant facere, consumpsit: eaque re factum est, ut annus confusionis ultimus in quadringentos quadraginta tres* [rect. *quinque*] *dies tenderetur.* Dio XLIII. c. 26. 1. *Ταῦτά τε ἐνομοθέτησε (ὁ Καῖσαρ), καὶ τὰς ἡμέρας τῶν ἐτῶν οὐ πάντῃ ὁμολογούσας σφίσι (πρὸς γὰρ τὰς τῆς σελήνης περιόδους ἔτι καὶ τότε τοὺς μῆνας ἦγον) κατεστήσατο ἐς τὸν νῦν τρόπον, ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα ἡμέρας ἐμβαλών, ὅσαι περ ἐς τὴν ἀπαρτιλογίαν παρέφερον. Ἤδη μὲν γάρ τινες καὶ πλείους ἔφασαν ἐμβληθῆναι, τὸ δ' ἀληθὲς οὕτως ἔχει.* Conf. Scaliger, *de Emendat. Tempor.* L. IV. p. 228. Petavius, *de Doctrina Tempor.* L. IV. c. 1 et 2. Franc. Blanchini, *Dissert. de Calendario et Cycle Caesaris.* Romae, 1703. f°. Ideler, *Handbuch der Chronologie* T. II. p. 113.

(2) Caesar initio mensis Aprilis in Africa Scipionem, Afranium et Iubam vincit ad Thapsum; brevique post M. Cato Uticae sibi mortem consciscit. IX. c. 24. 72. c. 28. 82.

Auctor de B. Afr. c. 75. *Caesar interim, lustrato exercitu a. d.* XII. *Kal. Apriles* [= 21 Mart. 708 = 21 Ianuar. 46 a. C.], *postero die productis universis copiis, progressus a suis castris milia passuum* V, *a Scipionis circiter duum milium interiecto spatio, in acie constitit.* — c. 79. *Pridie Non. Apr.* [= 4 Apr. = 4 Febr.] *tertia vigilia egressus* — *ad Thapsum* — *castra ponit, oppidumque eo die circumvenire coepit.* cet. c. 88. *Cato, omnibus rebus diligentissime constitutis, liberis suis L. Caesari, qui tum ei pro quaestore fuerat, commendatis, et sine suspicione, vultu atque sermone, quo superiore tempore usus fuerat, quum dormitum isset, ferrum intro clam in cubiculum tulit, atque ita se transiecit. Qui quum anima nondum exspirata concidisset, et impetu facto in cubiculum ex suspicione, medicus familiaresque continere atque vulnus obligare coepissent, ipse suis manibus vulnus crudelissime divellit, atque animo praesenti se interemit.* Livius Epit. 114. *Caesar Scipionem praetorem, Afranium, Iubamque vicit ad Thapsum, castris eorum expugnatis. Cato, audita re, quum se percussisset Uticae, et, interveniente filio, curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere exspiravit, anno aetatis quadragesimo octavo. Petreius Iubam seque interfecit. P. Scipio in nave circumventus honestae morti vocem quoque adiecit: quaerentibus enim imperatorem hostibus dixit: Imperator bene se habet. Faustus et Afranius occisi: Catonis filio venia data.* Conf. Dio XLIII. c. 8—12. Appian. B. C. II. c. 96—100. Plutarch. Caes. c. 53 sq. Id. Cat. Min. c. 58—70. Zonar. X. c. 10. Orosius VI. c. 16. Eutrop. VI. c. 23. Velleius II. c. 55. Sueton. Caes. c. 35. Plinius H. N. VII. c. 26. Gellius XIII. c. 19. Florus IV. c. 2. 68—72. Seneca Epist. 24. 6 sqq.

(3) Ciceronem interim, quamquam vehementer cupientem aliquo exire, ut ea, quae in Urbe agebantur, nec videret nec audiret, Romae et pudor tenuerat et Africanarum rerum exspectatio. IX. c. 11. 32 sq.

(4) Caesar, confecto in Africa bello, Romam reversus quattuor triumphos ducit, et omnium rerum potestate ad eum delata rempublicam constituit, dictator creatus in decem annos et morum praefectus in triennium. IX. c. 12. 35.

Livius Epit. 115. *Caesar quattuor triumphos duxit; ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, ex Africa. Epulum et omnis generis spectacula dedit.* Conf. Sueton. Caes. c. 37. Velleius II. c. 56. Florus IV. c. 2. 88. Oros. VI. c. 16. Dio XLIII. c. 19. Appian. B. C. II. c. 101. Plutarch. Caes. c. 56. Zonar. X. c. 10. Sueton. Caes. c. 40. *Conversus hinc ad ordinandum Reipublicae statum, fastos correxit* —. c. 41. *Senatum supplevit, patricios adlegit: praetorum, aedilium, quaestorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliavit.* — *Comitia cum populo partitus est: ut, exceptis consulatus competitoribus, de ceteri numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset.* — *Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis ac senatorii: tribunos aerarios, quod erat tertium, sustulit.* cet. — c. 76. *Non honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, insuper praenomen imperatoris, cognomen patris patriae, statuam inter reges, suggestum in orchestra: sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est*: cet. Dio XLIII. c. 14. 1. Καῖσαρ μὲν ταῦτά τε πράξας — τά τε ἄλλα τὰ ἐν τῇ Ἀφρικῇ — καταστήσας — ἐς τὴν Ῥώμην ἐκομίσθη, τό μὲν πλεῖστον ἐπὶ τῇ τῶν ἔργων λαμπρότητι, ἤδη δὲ καὶ ἐπὶ τοῖς τῇ βουλῇ δόξασι μεγαλοφρονούμενος· τεσσαράκοντά τε γὰρ ἡμέρας ἐπὶ τῇ νίκῃ αὐτοῦ θύειν ἔγνωσαν —. 4. Τῶν τε τρόπων τῶν ἑκάστου ἐπιστάτην (οὕτω γάρ πως ὠνομάσθη ὥσπερ οὐκ ἀξίας αὐτοῦ τῆς τοῦ τιμητοῦ προσρήσεως οὔσης) ἐς τρία αὐτὸν ἔτη καὶ δικτάτορα ἐς δέκα ἀφεξῆς εἵλοντο. — c. 19. 1. Μετὰ δὲ δὴ τοῦτο τά τε ἄλλα λαμπρῶς, ὥσπερ εἰκὸς ἐπί τε τοσαύταις καὶ τηλικαύταις ἅμα νίκαις ἦν, ἐποίει, καὶ τὰ ἐπινίκια τῶν τε Γαλατῶν καὶ τῆς Αἰγύπτου τοῦ τε Φαρνάκου καὶ τοῦ Ἰόβου τετραχῇ χωρὶς τέσσαρσιν ἡμέραις ἔπεμψεν. — c. 25. 1. Ταῦτά τε ἅμα ἐπράττετο, καὶ ἐνομοθετεῖτο πολλά.

(5) Cicero, carens hoc tempore multis familiarissimis, quibus ne benigne quidem polliceri poterat, sibi ipse displicebat, quamquam Caesaris quidem humanitatem erga se obtinebat. IX. c. 13. 37 sqq. Cui amplissimas quoque in senatu gratias egit, quod *M. Marcello* reditum in patriam permisisset; qui in bello civili partium Pompeianarum fuerat et, victo Pompeio, in Graeciam profectus otiosus in litteris vixerat. IX. c. 14. 40. c. 16. 47.

Livius Epit. 115. (*Caesar*) *M. Marcello consulari, senatu rogante, red-*

itum concessit: quo beneficio eius Marcellus frui non potuit, a Cn. Magio Chilone cliente suo Athenis occisus. Sulpicius ad Cicer. (ad Fam. IV. 12. 2.) *Quum ab Athenis proficisci in animo haberem — P. Postumius — ad me venit et mihi nuntiavit M. Marcellum, collegam nostrum, post coenae tempus a P. Magio Chilone, familiare eius, pugione percussum esse et duo vulnera accepisse —. Quum non longe a Piraeeo abessem, puer Acidini obviam mihi venit cum codicillis, in quibus erat scriptum, paullo ante lucem Marcellum diem suum obiisse. Ita vir clarissimus ab homine taeterrimo acerbissima morte est affectus; et, cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus est amicus, qui mortem afferret.* Conf. Cic. ad Att. XIII. 10. 3. Seneca consol. ad Helviam c. 9. 5. Marcelli vitam optime exposuit Franc. Passow: *Ueber Ciceros Rede für den M. Marcellus.* in Zimmermann's Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft 1835, p. 113. ubi Marcellinae orationis *αὐθεντίαν* defendere conatur.

(6) In hoc rerum statu Cicero, tempori serviendum esse opinatus, et ea fecit omnino, quae maxime Caesar velle videbatur, et iis familiariter usus est, qui a Caesare diligebantur. In otium autem quum se contulisset litteratum, brevi temporis spatio plura scripsit eversa, quam multis annis, stante republica, scripserat. IX. c. 15—17. c. 21. 63 sqq.

(7) Scripsit igitur hoc tempore *Brutum* s. de claris Oratoribus, qui ante suam aetatem apud Romanos fuissent. IX. c. 23. 68. c. 25. 75. Quem librum brevi, ut videtur, interiecto spatio, secuta sunt *Paradoxa*, scripta tempore verno, ante auditam Catonis mortem. IX. c. 22. 66.

Quintil. X. c. 1. 38. *In Bruto M. Tullius — de Romanis tantum oratoribus loquitur, et tamen de omnibus aetatis suae, quibuscum vivebat, exceptis Caesare atque Marcello, silentium egit.* Dialog. de Orator. c. 30. 2. *Notus est vobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur, in cuius extrema parte, nam prior commemorationem veterum oratorum habet, sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quamdam educationem refert.* cet.

(8) Totumque se in litteras abdens, ludum quasi habere coepit, ad quem plures veniebant, quī iisdem studiis tenerentur. IX. c. 24. 71 sq. X. c. 18. 49.

Sueton. de Cl. Rhet. c. 1. *Cicero ad praeturam usque Graece decla-*

mavit [v. ad a. 688. 9.]: *Latine vero senior quoque, et quidem cum consulibus Hirtio et Pansa; quos discipulos et grandes praetextatos vocabat.* Cic. ad Papir. Paetum (ad Fam. IX. 16. 7.) *Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, coenandi magistros. Puto enim, te audisse, si forte ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos coenitare.* Quintil. XII. c. 11. 6. *Quid porro est honestius, quam docere quod optime scias? Sic — Cicero — Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit quotidie dicens audiensque.* Conf. VIII. c. 3. 54. Seneca Controv. I. Procem. p. 63. Bip. *Nec Ciceronem quidem aetas miki eripuerat, sed bellorum civilium furor — intra coloniam meam me continuit. Alioquin in illo atriolo, in quo duo grandes praetextatos ait secum declamare solitos, potui illud ingenium, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, cognoscere —. Declamabat autem Cicero, non quales nunc controversias dicimus* cet.

(9) Deinde scripsit *Laudem Catonis;* cui Caesar Anticatonem opposuit, ut, quae Cicero egregie facta laudasset, ea aut facta negaret aut minus honorificis nominibus afficienda esse declararet. IX. c. 28. 81. Cuius falsis criminationibus commotus, M. Iunius Brutus denuo ad Catonem avunculum suum litteris celebrandum se contulit. IX. c. 28. 83.

Gellius XIII. c. 19. 3. *M. Cato, non cognomento Nepos, sed M. Catonis censorii ex filio nepos, qui pater fuit M. Catonis praetorii viri, qui bello civili Uticae necem sibi gladio manu sua conscivit; de cuius vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur Laus M. Catonis: quem in eodem libro idem Cicero pronepotem fuisse dicit M. Catonis censorii.* cet. Sueton. Caes. c. 56. *Reliquit et de Analogia duos libros, et Anticatones totidem —. Quorum librorum primos in transitu Alpium —: sequentes sub tempus Mundensis praelii fecit.* Tacitus Ann. IV. c. 34. *Marci Ciceronis libro, quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar, quam rescripta oratione, velut apud iudices, respondit?* Scholiast. ad Iuvenal. VI. 338. *Caesar bello civili, cognita Catonis morte, cuius virtutem dialogo illo, qui inscribitur Cato, Cicero etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos Anticatones inscripsit.* Plutarch. Caes. c. 54. 3. Ἔγραψε Κικέρων ἐγκώμιον Κάτωνος ὄνομα τῷ λόγῳ θέμενος Κάτωνα· καὶ πολλοῖς ὁ λόγος ἦν διὰ σπουδῆς, ὡς εἰκὸς, ὑπὸ τοῦ δεινοτάτου τῶν ῥητόρων εἰς τὴν καλλίστην πεποιημένος ὑπόθεσιν. Τοῦτο ἠνία Καίσαρα κατηγορίαν αὐτοῦ νομίζοντα τὸν τοῦ τεθνηκότος δι' αὐτὸν ἔπαινον. Ἔγραψεν οὖν πολλὰς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών· τὸ δὲ

βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται. Καὶ σπουδαστὰς ἔχει τῶν λόγων ἑκάτερος διὰ Καίσαρα καὶ Κάτωνα πολλούς. Conf. c. 3. 2. Id. Cic. c. 39. 2. *Ἐκ δὲ τούτου διετέλει τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος, ὥστε καὶ γράψαντι λόγον ἐγκώμιον Κάτωνος ἀντιγράφων τόν τε λόγον αὐτοῦ καὶ τὸν βίον ὡς μάλιστα τῷ Περικλέους ἐοικότα καὶ Θηραμένους ἐπαινεῖν. Ὁ μὲν οὖν Κικέρωνος λόγος Κάτων, ὁ δὲ Καίσαρος Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται.* Appian. B. C. II. c. 99. *Κικέρωνος δὲ ποιήσαντος ἐγκώμιον ἐς αὐτόν, καὶ ἐπιγράψαντος Κάτων, ἀντέγραψε κατηγορίαν ὁ Καῖσαρ, καὶ ἐπέγραψεν Ἀντικάτων.* Dio XLIII. c. 13. 4. *Οὕτω (ὁ Καῖσαρ) αὐτὸν (τὸν Κάτωνα) ἐτεθαυμάκει ὥστε τοῦ Κικέρωνος ἐγκώμιον μετὰ ταῦτα* [post mortem Catonis], *αὐτοῦ γράψαντος ἀγανακτῆσαι μὲν μηδέν, καίπερ καὶ ἐκείνου οἱ προσπολεμήσαντος, βιβλίον δέ τι γράψαι ὃ καὶ Ἀντικάτωνα ἐκάλεσεν.* Sueton. Aug. c. 85. *Multa varii generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in coetu familiarium, velut in auditorio recitavit: sicut Rescripta Bruto de Catone.* Cfr. Frid. Schneider, *Coniectura de M. Iunii Bruti M. Porcio Catone.* in: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1842. p. 891 sqq.

(10) Absoluto *Catone* Cicero statim *Oratorem* aggressus est, in quo perfecti oratoris imaginem proposuit. Quem librum scripsit ad M. Brutum, qui (v. ad a. 707. 15.) praefectus erat Galliae Cisalpinae. IX. c. 27 sq.

Cic. Orat. c. 2. 7. *Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius* —. c. 29. 101. *Ego enim, quid desiderem, non, quid viderim, disputo, redeoque ad illam Platonis — rei formam et speciem. quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Non enim eloquentem quaero neque quidquam mortale et caducum, sed illud ipsum, cuius qui sit compos, sit eloquens; quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa, quam nullis, nisi mentis oculis videre possumus.* Quintil. I. c. 10. 4. *M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum a nobis institui oratorem, qui sit, aut fuerit: sed imaginem quamdam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis.* Id. IX. c. 3. 90. *M. Tullius multas in tertio de Oratore libro posuit (verborum figuras), quas in Oratore, postea scripto, transeundo videtur ipse damnasse.*

(11) Ad eumdem hunc annum referendae videntur *Partitiones oratoriae;* quo sermone M. filium secum colloquentem induxit. IX. c. 26. 78.

Quintil. III. c. 3. 7. *In Partitionibus Oratoriis ad easdem, de quibus supra dictum est, quinque pervenit partes* [inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronunciationem s. actionem]. *Nam quum dupliciter primum divisisset, in inventionem atque elocutionem; res ac dispositionem inventioni, verba et pronunciationem elocutioni dedit: quintamque constituit, communem, ac velut custodem omnium, memoriam. Idem in Oratore, quinque rebus constare eloquentiam dicit.* Conf. Erh. Reusch, *Disp. de Ciceronis Partitionibus Oratoriis.* Helmstad. 1723. 4°.

(12) Mense Septembri Cicero apud Caesarem habuit orationem pro *Q. Ligario*, quem Q. Aelius Tubero de vi accusaverat, quod in Africa Caesarianis partibus inimicus fuisset.

Cic. ad Ligarium (ad Fam. VI. 14. 2.) *Quum a. d. V. Kal. intercalares priores* [= 26 Novbr. 709 = 23 Septb. 46 a. C.], *rogatu fratrum tuorum, venissem mane ad Caesarem, atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam pertulissem; quum fratres et propinqui tui iacerent ad pedes, et ego essem locutus, quae causa, quae tuum tempus postulabat: non solum ex oratione Caesaris, — sed etiam ex oculis et vultu — hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. — Ego tuis rebus sic adero, ut difficillimis, neque Caesari solum, sed etiam amicis eius omnibus — pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo.* Id. ad Att. XIII. 12. 2. *Ligarianam praeclare vendidisti. Posthac quidquid scripsero, tibi praeconium deferam.* Ibid. 19. 2. *Ligarianam, ut video, praeclare auctoritas tua commendavit. Scripsit enim ad me Balbus et Oppius, mirifice se probare; ob eamque caussam ad Caesarem eam se oratiunculam misisse. Hoc igitur idem tu mihi antea scripseras.* Ibid. 44. 3. *Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appelletur L. Corfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum: sed, ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Corfidium pernecessarium Ligariorum: sed eum video ante esse mortuum.* Quintil. VI. c. 5. 10. *Infinitum est enumerare — ut pro Ligario se opposuerit.* IX. c. 2. 38. Plutarch. Cic. c. 39. 3. *Λέγεται δὲ καὶ, Κοΐντου Λιγαρίου δίκην φεύγοντος, ὅτι τῶν Καίσαρος πολεμίων εἷς ἐγεγόνει, καὶ Κικέρωνος αὐτῷ βοηθοῦντος, εἰπεῖν τὸν Καίσαρα πρὸς τοὺς φίλους· Τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος, ἐπεὶ πάλαι κέκριται πονηρὸς ὁ ἀνὴρ καὶ πολέμιος; Ἐπεὶ δ' ἀρξάμενος λέγειν ὁ Κικέρων ὑπερφυῶς ἐκίνει καὶ προὔβαινεν αὐτῷ πάθει τε ποικίλος καὶ χάριτι θαυμαστὸς ὁ λόγος —· Τὸν γοῦν ἄνθρωπον ἀπέλυσε (ὁ Καῖσαρ) τῆς αἰτίας βεβιασμένος.*

(13) Brevi post Caesar in Hispaniam profectus est, bellum gesturus contra Pompeii filios (v. ad a. 709. 13.).

Auctor de B. Hispan. c. 2. *C. Caesar dictator* III. *designatus* IV. *multis itineribus ante confectis, quum celeri festinatione ad bellum conficiendum in Hispaniam venisset, legati Cordubenses — Caesari obviam veniunt.* Orosius VI. c. 16. *In Hispanias contra Pompeios, Pompeii filios, profectus (Caesar), septimo decimo quam egressus ab Urbe fuerat die, Saguntum pervenit.* Appian. de B. C. II. c. 103. *Αὐτὸς δὲ, ἤδη τέταρτον ὑπατεύων, ἐπὶ τὸν νέον Πομπήιον ἐστράτευεν ἐς Ἰβηρίαν· ὅσπερ αὐτῷ λοιπὸς ἦν ἔτι πόλεμος ἐμφύλιος, οὐκ εὐκαταφρόνητος. Τῶν τε γὰρ ἀρίστων ὅσοι διεπεφεύγεσαν ἐκ Λιβύης, ἐκεῖ συνέδραμον. Καὶ στρατὸς, ὁ μὲν, ἐξ αὐτῆς Λιβύης τε καὶ Φαρσάλου τοῖς ἡγεμόσι συνῆλθεν, ὁ δὲ, ἐξ Ἰβήρων τε καὶ Κελτιβήρων, ἔθνους ἀλκίμου καὶ χαίροντος ἀεὶ μάχαις· πολὺς δὲ καὶ δούλων ὅμιλος ἐστρατεύετο τῷ Πομπηίῳ· καὶ τέταρτον ἔτος εἶχον ἐν τοῖς γυμνασίοις, καὶ γνώμην ἕτοιμον ἀγωνίσασθαι μετὰ ἀπογνώσεως.* Conf. Sueton. Caes. c. 56. Dio XLIII. c. 32. Plutarch. Caes. c. 56.

(14) Extremo anno Cicero cum Terentia uxore divortium fecit; quae deinde Vibio Rufo nupta tertium et centesimum explevit annum.

Plutarch. Cic. c. 41. 2. *Ἀπεπέμψατο τὴν γυναῖκα Τερεντίαν, ἀμεληθεὶς ὑπ' αὐτῆς παρὰ τὸν πόλεμον, ὥστε καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐφοδίων ἐνδεὴς ἀποσταλῆναι καὶ μηδ' ὅτε κατῆρεν αὖθις εἰς Ἰταλίαν τυχεῖν εἰ γνώμονος. Αὐτὴ μὲν γὰρ οὐκ ἦλθεν, ἐν Βρεντεσίῳ διατρίβοντος αὐτοῦ πολὺν χρόνον, ἐρχομένη δὲ τῇ θυγατρὶ, παιδίσκῃ νέᾳ, τοσαύτην ὁδὸν οὐ πομπὴν πρέπουσαν, οὐ χορηγίαν παρέσχεν,* [v. ad a. 707. 8.] *ἀλλὰ καὶ τὴν οἰκίαν τῷ Κικέρωνι πάντων ἔρημον καὶ κενὴν ἀπέδειξεν ἐπὶ πολλοῖς ὀφλήμασι καὶ μεγάλοις. Αὗται γὰρ εἰσιν αἱ λεγόμεναι τῆς διαστάσεως εὐπρεπέσταται προφάσεις.* Dio LVII. c. 15. 6. *Ταῦτα δὲ περὶ τούτων πράξας (ὁ Τιβέριος), Οὐιβίῳ Ῥούφῳ οὔτε ἐνεκάλεσέ τι ἀρχὴν ὅτι τῷ τοῦ Καίσαρος δίφρῳ — ἐχρῆτο. τοῦτό τε γὰρ ὁ Ῥοῦφος ἐπιτηδεύσας ἔπραττε, καὶ τῇ τοῦ Κικέρωνος γυναικὶ συνῴκει, σεμνυνόμενος ἐφ' ἑκατέρῳ, ὥσπερ ἢ διὰ τὴν γυναῖκα ῥήτωρ ἢ διὰ τὸν δίφρον Καῖσαρ ἐσόμενος.* Valerius Max. VIII. c. 13. 6. *Muliebris etiam vitae spatium non minus longum in compluribus apparuit —. Nam — et Terentia Ciceronis tertium et centesimum — explevit annum.* Plinius H. N. VII. c. 48. *Ex feminis Livia Rutili* XCVII *annos excessit: — Terentia Ciceronis* CIII.

ANNUS VITAE CICERONIS LXII.

[Kal. Ianuar. incid. in d. 1 Ianuar. 45 a. C.]

a. U. C.	Cos. C. IULIUS CAESAR IV.	a. A. C.
709.	sine collega.	45.

Sueton. Caes. c. 76. *Tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturae potestate, decretae cum consulatibus simul: atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses* (v. ad a. 709. 13.). Dio XLIII. c. 33. 1. *Ἐδικτατόρευε δὲ ἤδη τότε, καὶ ὕπατος ὀψέ ποτε καὶ ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ ἔτους* [a. U. C. 708.] *ἀπεδείχθη, τοῦ Λεπίδου ἐν τῇ ἱππαρχίᾳ τὸν δῆμον ἐς τοῦτο συναγαγόντος· ἱππάρχησε γὰρ καὶ τότε, αὐτὸς ἑαυτὸν ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἐπεισπὼν ἵππαρχον παρὰ τὰ πάτρια.*

(1) Cicero initio h. a. vel superiore exeunte, missa Terentia, Publiliam virginem uxorem duxit. IX. c. 8. 24.

Quintil. VI. c. 3. 75. *Cicero obiurgantibus, quod sexagenarius Publiliam virginem duxisset, Cras mulier erit, inquit.* Plutarch. Cic. c. 41. 3. *Τῇ δὲ Τερεντίᾳ καὶ ταύτας (τῆς διαστάσεως προφάσεις) ἀρνουμένῃ λαμπρὰν ἐποίησε τὴν ἀπολογίαν αὐτὸς ἐκεῖνος, μετ' οὐ πολὺν χρόνον γῆμας παρθένον, ὡς μὲν ἡ Τερεντία κατεψήφιζεν, ἔρωτι τῆς ὥρας, ὡς δὲ Τίρων ὁ τοῦ Κικέρωνος ἀπελεύθερος γέγραφεν, εὐπορίας ἕνεκεν πρὸς διάλυσιν δανείων.* [3]*Ἦν γὰρ ἡ παῖς σφόδρα πλουσία, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς ὁ Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν. Ὀφειλῶν δὲ πολλὰς μυριάδας ὑπὸ τῶν φίλων καὶ οἰκείων ἐπείσθη τὴν παῖδα γῆμαι παρ' ἡλικίαν καὶ τοὺς δανειστὰς ἀπαλλάξαι τοῖς ἐκείνης χρησάμενον. Ἀντώνιος δὲ τοῦ γάμου μνησθεὶς ἐν ταῖς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς ἀντιγραφαῖς ἐκβαλεῖν αὐτὸν φησι γυναῖκα, παρ' ᾗ γεγήρακε.* Calenus ap. Dionem XLVI. c. 18. 3. *Τίς δ' οὐκ οἶδεν ὅτι τὴν μὲν γυναῖκα τὴν πρεσβυτέραν τὴν τεκοῦσάν σοι δύο τέκνα ἐξέβαλες, ἑτέραν δὲ ἐπισπάγου παρθένον ὑπεργήρως ὤν, ἵν' ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς τὰ δανείσματα ἀποτίσῃς; καὶ οὐδ' ἐκείνην μέντοι κατέσχες κτέ.*

(2) Tullia, Ciceronis filia, post divortium cum Lentulo Dolabella factum, Romae filiolum peperit et paullo post diem suum obiit. IX. c. 18. 52 sqq.

Plutarch. Cic. c. 41. 4. *Γήμαντι δ' αὐτῷ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἡ θυγάτηρ ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ Λέντλῳ· τούτῳ γὰρ ἐγαμήθη μετὰ τὴν Πείσωνος τοῦ πρότερον ἀνδρὸς τελευτήν. Καὶ συνῆλθον μὲν ἐπὶ τὴν παραμυθίαν τῷ Κικέρωνι πανταχόθεν οἱ φιλόσοφοι· βαρέως δ'ἄγαν ἤνεγκε τὸ συμβεβηκὸς, ὥστε καὶ τὴν γαμηθεῖσαν ἀποπέμψασθαι δόξασαν ἡσθῆναι τῇ τελευτῇ τῆς Τυλλίας.* Cic. ad Leptam (ad Fam. VI. 18. 5.) *Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus. Sed quum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem.* Ascon. in Pisonian. p. 5. *Cicero filiam, post mortem Pisonis generi, P. Lentulo collocavit, apud quem illa ex partu decessit.* Cfr. ad a. 690. 5.

(3) Cuius morte quum vehementer afflictus esset, Asturae se abdidit, doloremque suum partim fani Tulliae condendi consilio, partim libris scribendis lenire studuit. IX. c. 20. 61.

Cic. ad Att. XII. 15. *In hac solitudine careo omnium colloquio; quumque mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum. Secundum te, nihil est mihi amicius solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum litteris. Eum tamen interpellat fletus; cui repugno, quoad possum. Sed adhuc pares non sumus.* Ibid. 18 *a.* 1. *Habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod saepe tecum egi, et quod a te approbari volo. De fano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, velim cogites. — Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri potcrit, profecto illam consecrabo omni genere monimentorum, ab omnium ingeniis sumptorum, et Graecorum et Latinorum: quae res forsitan sit refricatura vulnus meum.* Conf. ibid. 19. 20. 21. 22. 23. 36. *Fanum fieri volo; neque hoc mihi erui potest. Sepulcri similitudinem effugere non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν: quod poteram, si in ipsa villa facerem: sed, ut saepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. In agro ubicumque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem.* Cfr. Nicol. Mongault, *Remarques sur le Fanum de Tullia, fille de Cicéron.* in Memoir. de l'Acad. des Inscript. T. I. Paris, 1736. 4°. p. 370—384.

(4) Publiliam autem (v. ad a. 709. 1.), quod morte Tulliae voluptatem cepisse videbatur, repudiavit.

Cic. ad Att. XII. 32. 1. *Publilia ad me scripsit, matrem suam (cum Publilio loqui retur) ad me cum illo venturam, et se una, si ego paterer; orat multis et supplicibus verbis, ut liceat, et ut sibi rescribam. Res quam molesta sit, vides. Rescripsi, me etiam gravius esse affe-*

ctum, quam tum, quum illi dixissem, me solum esse velle; quare nolle me hoc tempore eam ad me venire. Conf. Plutarch. Cic. l. c. Calenus apud Dionem l. c.

(5) In hoc gravissimo casu litteras consolatorias accepit a Caesare, Bruto, Lucceio, Sulpicio. IX. c. 19. 54.

Ex his omnibus una superest Sulpicii, quae legitur IX. c. 19. 55—60. ad quam Cicero respondit ad Fam. IV. 6. quas separatim edidit Ol. Kolmodin, *Litterae consolatoriae Sulpitii et responsum Ciceronis.* Upsalae, 1836. 4°. De Sulpicio scripsit Rob. Schneider, *Quaestionum de Servio Sulpicio Rufo Iurisconsulto Romano* Specimina duo. Lipsiae, 1834. 8. quem citat Meyer. Orat. Rom. Fragm. LXXVII. p. 398. Addatur Ever. Otto, Dissert. *de Servio Sulpicio Rufo, Iurisconsultorum principe.* Traiecti ad Rh. 1725. 4°. [cfr. ad a. 711. 6.] — Ad Lucceii epistolam Cicero respondit ad Fam. V. 13.

(6) Sed omnem consolationem quum vinceret dolor, Cicero per litteras se ipse consolatus est et, ad exemplum Crantoris, scripsit *Consolationem* s. *librum de luctu minuendo.* IX. c. 20. 62. X. c. 20. 56. c. 28. 108.

Cic. ad Att. XII. 28. 2. *Nunc plane nec ego victum, nec vitam illam colere possum: nec in ea re, quid aliis videatur, mihi puto curandum. Mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. Quod me ipse per litteras consolatus sum; non poenitet me, quantum profecerim. Maerorem minui: dolorem nec potui, nec, si possem, vellem.* Ibid. 38. 1. *Ego hic (in Antiati), scribendo dies totos, nihil equidem levor, sed tamen aberro. — Si, qui me fractum esse animo et debilitatum putant, sciant, quid litterarum et cuius generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, sive ita levatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse, sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissimis doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere. Sed, quum ego faciam omnia, quae facere possim ad me adiuvandum; tu effice id, quod video te non minus, quam me laborare.* Ibid. 45. 1. *Ego hic (in Antiati) duo magna συντάγματα absolvi. Nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum.* Lactantius Div. Instit. III. c. 28. 9. *M. Tullius in sua Consolatione se pugnasse semper contra fortunam loquitur, eamque a se semper esse superatam, quum fortiter inimicorum impetus retudisset: nec tum quidem ab ea fractum, quum domo pulsus patria coruerit* [v. ad a. 696. 12.]. *Tum autem quum amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur: Cedo, inquit, et manum*

tollo. Cfr. I. c. 15. 16 sqq. Plinius H. N. I. Praef. p. 4. (*Cicero*) *qui in libris de Republica Platonis se comitem profitetur, in Consolatione Crantorem, inquit, sequor; item Panaetium de Officiis: quae volumina eius ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda, nosti.* Hieronym. Epitaph. Nepot. c. 4. *Legimus Crantorem, cuius volumen ad confovendum dolorem suum secutus est Cicero.* Conf. Frid. Schneider, *de Consolatione Ciceronis.* Vratislaviae, 1835. 8°. Eiusd. *Commentatio de Crantoris libro, qui περὶ Πένθους inscribitur.* in Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft 1836, n°. 104, p. 839—848. F. G. B. van Bleeck van Ryswyk, *Diss. Litt. de Crantore Solensi.* Arnhemiae, 1837. 8°. Fr. Kayser, *de Crantore Academico.* Heidelb. 1841.

(7) Hortatu, ut videtur, Attici misit filium suum Athenas studiorum caussa, additis viae comitibus Tullio Montano et Marciano. x. c. 25. 71. [cfr. ad a. 710. 16.]

Cic. ad Att. XII. 7. 1. *Quae desideras, omnia scripsi in codicillis, — sed etiam plura quam quaeris; in iis, de Cicerone: cuius quidem cogitationis initium tu mihi attulisti. Locutus sum cum eo liberalissime. — Vellet magis liberalitate uti mea, quam sua libertate: sed tamen permisi. Tibi enim intellexeram non nimis displicere. Ego etiam atque etiam cogitabo, teque, ut idem facias, rogo. Magna res! simplex est manere, illud anceps.* Ibid. 32. 2. *Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, ut sumptus huius peregrinationis — accommodet ad mercedes Argileti et Aventini. — Praestabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. Itaque velim videas — quid viatici, quid instrumenti satis sit.* Ibid. 52. 1. *L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est.* Ibid. 53. *Misi ad te epistolas, ad Marcianum et ad Montanum.*

(8) Cicero, quum dicendi arti nihil iam loci esse videret neque in curia neque in foro, omnem curam suam atque operam contulit ad philosophiam, vacavitque adolescentibus philosophiae studiosis et complures scripsit libros. IX. c. 21. 63 sqq. X. c. 1. 1. c. 11. 26. c. 18. 49.

Plutarch. Cic. c. 40. 1. *Ἐκ τούτου Κικέρων, εἰς μοναρχίαν τῆς πολιτείας μεθεστώσης, ἀφέμενος τοῦ τὰ κοινὰ πράττειν ἠσχόλαζε τοῖς βουλομένοις φιλοσοφεῖν τῶν νέων, καὶ σχεδὸν ἐν τῇ πρὸς τούτους συνηθείᾳ, εὐγενεστάτους καὶ πρώτους ὄντας, αὖθις*

ἴσχυεν ἐν τῇ πόλει μέγιστον. Αὐτῷ δ' ἔργον μὲν ἦν τὸ τοὺς φιλοσόφους συντελεῖν διαλόγους καὶ μεταφράζειν καὶ τῶν διαλεκτικῶν ἢ φυσικῶν ὀνομάτων ἕκαστον εἰς Ῥωμαϊκὴν μεταβάλλειν διάλεκτον.

(9) In his libris fuit *Hortensius*, quo universae philosophiae vituperatoribus respondit, quum esset accusata et vituperata ab oratore Hortensio. x. c. 6. 14. c. 9. 20. c. 11. 26 sq. c. 14. 34.

Cic. Tusc. III. c. 3. 6. *De universa philosophia, quanto opere et expetenda esset et colenda, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio.* Trebell. Pollio in vita Salonini Gallieni c. 2. *Nec ignota esse arbitror, quae dixit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum Protreptici scripsit.* Augustin. de Vita beata p. 705. (ed. Lugd. 1563.) *Ego ab usque undevicesimo anno aetatis meae, postquam in schola Rhetorum librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore philosophiae succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer.* Id. Confess. III. c. 4. *Usitato iam discendi ordine perveneram in librum quemdam cuiusdam Ciceronis. Liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili. Non enim ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed, quod loquebatur, persuaserat. — Et ego illo tempore hoc solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam, quaecunque esset, sapientiam ut diligerem, et quaererem, et assequerer, et tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo et accendebar et ardebam.* Cf. Fr. Schneider, *Fragmenta Hortensii Ciceroniani.* Tremesnoviae, 1841. 8°.

(10) Deinde plura suscepit et primum quidem Academiae philosophiam duobus libris *Academicorum* illustravit, in quibus Catulum, Lucullum et Hortensium loquentes quum induxisset, deinde, Attici hortatu, Varronis personam disputationi inserere constituit. Unde nata est duplex Academicorum recensio. x. c. 6. 14. c. 11. 26. c. 12. 28.

Cic. ad Att. XIII. 18. *Ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem: sed tamen exspecto, quid ad ea, quae scripsi ad te: primum, qui intellexeris eum desiderare a me, quum ipse homo πολυγραφώτατος numquam me lacessisset: deinde, quem ζηλοτυ-*

παῖν, nisi forte Brutum: quem si non ζηλοτυπεῖ, multo Hortensium minus, aut eos, qui de republica loquuntur. Plane hoc mihi explices velim: in primis, maneasne in sententia, ut mittam ad eum, quae scripsi; an nihil necesse putes. Ibid. 12. 3. *Quod ad me de Varrone scribis, scis me antea orationes, aut aliquid id genus, solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere. — Ergo illam ἀναδημιεκὴν (σύνταξιν), in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. Etenim sunt Ἀντιόχεια, quae iste valde probat. Catulo et Lucullo alibi reponemus. — Accepi a Vestorio litteras. Ait, — rem ad me esse collatam — a. d.* VIII. *Kal. Quint.* [= 24 Iun. 709.]. Ibid. 21. 4. *Varroni quidem quae scripsi te auctore, ita propero mittere, ut iam Romam miserim describenda. — De Caesaris adventu, scripsit ad me Balbus, non ante Kal. Sext.* [= 1 Sext. (Aug.) 709]. Ibid. 25. 3. *Sed quid est tandem, quod perhorrescas, quia tuo periculo iubeam libros dari Varroni? — Sed tamen ego non despero probatum iri Varroni.* Quintil. III. c. 6. 64. *M. Tullius non dubitavit aliquos suos libros iam editos aliis postea scriptis ipse damnare, sicut Catulum atque Lucullum.* Plutarch. Lucull. c. 42. 3. *Φιλοσοφίαν δὲ πᾶσαν μὲν ἠσπάζετο (ὁ Λούκουλλος) — ἴδιον δὲ τῆς Ἀκαδημίας ἐξ ἀρχῆς ἔρωτα καὶ ζῆλον ἔσχεν, οὐ τῆς νέας λεγομένης — ἀλλὰ τῆς παλαιᾶς. — Καὶ σύγγραμμά γε πάγκαλον (ὁ Κικέρων) ἐποίησεν εἰς τὴν αἵρεσιν, ἐν ᾧ τὸν ὑπὲρ τῆς καταλήψεως λόγον Λουκούλλῳ περιτίθησιν, αὐτῷ δὲ τὸν ἐναντίον· Λούκουλλος δὲ ἀναγέγραπται τὸ βιβλίον.* Plinius H. N. XXXI. c. 2. (3.) *Digna memoratu villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam vocabat Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis*, cet.

(11) Secuti sunt *de Finibus Bonorum et Malorum* libri quinque; in quibus non modo quid sibi probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, persecutus est. X. c. 13. 30.

Cic. ad Att. XIII. 12. 3. *Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν, sane mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, despondimus: idque tu eum non nolle mihi scripsisti. — Accepi a Vestorio litteras. Ait, rem ad me esse collatam — a. d.* VIII. *Kal. Quint.* [= 24 Iun. 709]. Ibid. 21. 4. *Scripsit Balbus ad me, se a te quintum de Finibus librum descripsisse; in quo non sane multa mutavi, sed tamen quaedam. Tu autem commode feceris, si reliquos continueris, ne et ἀδιόρθωτα ha-*

beat Balbus, et ἕωλα Brutus. — De Caesaris adventu, scripsit ad me Balbus, non ante Kal. Sext. [= 1 Sext. (Aug.) 709]. Ibid. 23. 2. *Libri ad Varronem non morabantur. Sunt enim effecti, ut vidisti: tantum librariorum menda tolluntur. De quibus libris scis me dubitasse: sed tu videris. Item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarii.* [Cfr. ad a. 702. 9.]

(12) Praeterea scripsit h. a. *laudationem Porciae*, Catonis sororis, quae L. Domitio Ahenobarbo nupta fuerat.

Cic. ad Att. XIII. 37. 3. *Laudationem Porciae gaudeo me ante dedisse Leptae tabellario, quam tuas acceperim litteras. Eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo mittetur, isto modo mittendam Domitio et Bruto.* Ibid. 48. 2. *Laudationem Porciae tibi misi correctam: atque eo properavi, ut, si forte aut Domitii filio, aut Bruto mitteretur, haec mitteretur. Id si tibi erit commodum, magno opere cures velim.*

(13) Caesar, victis in Hispania, ad Mundam urbem, Pompeii filiis, Sexto et Cnaeo (v. ad a. 708. 13.), Romam revertitur mense Octobri; consulatumque, quo ipse abdicaverat, tradit Q. Fabio et C. Trebonio, in ternos novissimos menses.

Livius Epit. 115. (*Caesar*) *profectus in Hispaniam adversus Cn. Pompeium, multis utrimque expeditionibus factis, et aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum magno discrimine ad Mundam urbem consecutus est.* Velleius II. c. 56. 1. *Caesar, omnium victor, regressus in Urbem, quod humanam excedat fidem, omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit —. Neque illi tanto viro, et tam clementer omnibus victoriis suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit. Quippe quum mense Octobri* [a. U. C. 709.] *in Urbem revertisset, Idibus Martiis* [a. U. C. 710.] — *interemptus est.* Auctor de B. Hisp. c. 39. *Pompeius, saucius et intorto talo, idcirco tardabatur ad fugiendum: — Ita ibi interficitur.* Orosius VI. c. 16. *Sex. Pompeius cum centesimo equite aufugit. Frater eius Cn. Pompeius, contracta celeriter non parva Lusitanorum manu, cum Caesonio congressus et victus fugiensque interfectus est.* Dio XLIII. c. 46. 2. Τὴν δ' οὖν ἀρχὴν τὴν ὕπατον παραχρῆμα μὲν, καὶ πρὶν ἐς τὴν πόλιν ἐσελθεῖν, ἀνέλαβεν, οὐ μέντοι καὶ διὰ τέλους ἔσχεν, ἀλλ' ἐν τῇ Ῥώμῃ γενόμενος ἀπαῖπέ τε αὐτὴν καὶ τῷ Φαβίῳ τῷ Κυΐντῳ τῷ τε Τρεβωνίῳ τῷ Γαΐῳ ἐνεχείρισεν. Conf. Cic. ad Att. XII. 37. Sueton. l. c. Dio XLIII. c. 40. XLV. c. 10. Appian. B. C. II. c. 105. Plutarch.

Caes. c. 56. Zonar. x. c. 10. Strabo III. p. 161. Brissonius de Formulis II. c. 126. p. 212.

(14) Post reditum Caesaris ex Hispania, id est igitur non ante mensem Octobrem, Cicero defendit *Deiotarum*, Galatiae tetrarcham, hospitem veterem et amicum. VII. c. 8. 21. c. 17. 45. c. 19. 53. Deiotarum Castor, nepos suus ex filia, per Phidippum medicum accusaverat, quod Caesari apud se deversanti insidias fecisset. Oratio habita est in domo Caesaris.

Velleius l. c. *Quum mense Octobri in Urbem revertisset*, cet. Scholiasta Gronov. ad Orat. pro Deiot. p. 421. *Deiotarus tetrarches fuit. — Is in matrimonio dederat filiam. Ex ea susceperat nepotem Castorem. Post cum genero (Sacondario) litem habuit. — Gener misit, qui accusarent Deiotarum, quod insidias fecisset Caesari eo tempore, quo illum invitavit hospitio. Audito hoc Deiotarus misit legatos, qui se defenderent. Inter quos legatos misit Phidippum medicum —. Iste corruptus a nepote Castore transiit et coepit accusare Deiotarum. Accusat ergo utrumque, indignitas et impietas, servus et nepos. — Haec caussa dicitur in domo Caesaris, non in foro. Adest Cicero.* Cic. pro Deiot. c. 1. 2. *Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber. Crudelem Castorem! ne dicam sceleratum et impium! qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, — avi servum, corruptum praemiis, ad accusandum dominum impulerit et a legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi autem, dominum accusantis — quum os videbam, quum verba audiebam, non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. —* c. 2. 5. *Moveor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam caussam — dico intra domesticos parietes, dico extra conventum et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent; in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco; te unum intueor; ad te unum omnis mea spectat oratio. —* c. 6. 17. *En crimen, en caussa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset. Ego mehercule — initio, quum est ad me ista caussa delata, Phidippum medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornavit: finget videlicet aliquod crimen veneni.* Id. ad Dolabell. (ad Fam. IX. 12. 2.) *Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, — tibi misi: quam velim sic legas, ut caussam tenuem et inopem nec scriptione magno opere dignam. Sed ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera.*

ANNUS VITAE CICERONIS LXIII.

a. U. C.	Coss. C. IULIUS CAESAR V.	a. A. C.
710.	M. ANTONIUS.	44.

(1) Primis anni mensibus Cicero absolvit *Tusculanas disputationes*, iisque res ad beate vivendum maxime necessarias aperuit. x. c. 15. 35.

Cic. ad Att. xv. 2. 1. *Quinto decimo Kalend.* [Iun. = 18 Maii] *e Sinuessano proficiscens — accepi a tabellario tuas litteras. — Quod prima disputatio Tusculana te confirmat, sane gaudeo.* Ibid. 4. 1. *Decimo Kalend.* [Iun. = 23 Maii] *venit tabellarius. — Redeamus igitur, quoniam saepe usurpas, ad Tusculanas disputationes. — Relinquamque Tusculanas disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris.*

(2) Lupercalibus, id est a. d. xv. Kal. Mart. [= 15 Febr.], quum Caesar in Rostris sedens in sella aurea, amictus toga purpurea, spectaret Lupercos, Antonius unus e Lupercis ad sellam accessit et capiti eius diadema imposuit; quod Caesar cum plausu populi reiecit. ix. c. 54. 100.

Sueton. Caes. c. 79. *Neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis discutere valuit: quamquam — et Lupercalibus, pro Rostris a consule Antonio admotum saepius capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Iovi Optimo Maximo miserit.* Livius Epit. 116. *A M. Antonio consule collega suo, inter Lupercos currente diadema capiti suo impositum in sella reposuit.* Cic. Phil. II. c. 34. 85. *Sedebat in Rostris collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus. Escendis, accedis ad sellam, (ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes) diadema ostendis. Gemitus toto foro. Unde diadema? Non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum et cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi: ille cum plausu reiiciebat. Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui, quum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles, et idem tentares, quid populus Romanus ferre et pati posset.* Id. III. c. 5. 12. XIII. c. 15. 31. Appian. B. C. II. c. 109. *Θεώμενον αὐτὸν ἐν ἀγορᾷ τὰ Λουπερκάλια ἐπὶ θρόνου χρυσέου, πρὸ τῶν ἐμβόλων, Ἀντώνιος, ὑπατεύων σὺν αὐτῷ Καίσαρι, καὶ διαθέων τότε γυμνὸς ἀλη-*

λεμμένος (ὥσπερ εἰώθασιν οἱ τῆσδε τῆς ἑορτῆς ἱερεῖς) ἐπὶ τὰ ἔμβολα ἀναδραμών, ἐστεφάνωσε διαδήματι. Κρότου δὲ πρὸς τὴν ὄψιν παρ' ὀλίγων γενομένου, καὶ στόνου παρὰ τῶν πλειόνων, ὁ Καῖσαρ ἀπέρριψε τὸ διάδημα· καὶ ὁ Ἀντώνιος αὖθις ἐπέθηκε, καὶ ὁ Καῖσαρ αὖθις ἀπορρίπτει. Καὶ ὁ δῆμος, διεριζόντων μὲν ἔτι, ἡσύχαζε, μετέωρος ὢν ὅπη τελευτήσειε τὸ γιγνόμενον· ἐπικρατήσαντος δὲ τοῦ Καίσαρος, ἀνεβόησαν ἥδιστον, καὶ αὐτὸν ἅμα εὐφήμουν, οὐ προσέμενον. Conf. Velleius II. c. 56. Florus IV. c. 2. 91. Auctor de Vir. ill. c. 85. Dio XLIV. c. 11. XLV. c. 30. Plutarch. Caes. c. 61. Anton. c. 12. Zonar. X. c. 11.

(3) Idibus Martiis (= 15 Mart.) Caesar, agens annum LVI. in curia Pompeii, XXIII vulneribus confossus trucidatur a coniuratis; quorum principes habentur M. Brutus Caepio, C. Cassius Longinus, C. Trebonius, D. Brutus Albinus. IX. c. 29. 86. c. 32. 92—97.

Livius Epit. 116. *Conspiratione in eum facta, cuius capita fuerunt M. Brutus et C. Cassius et ex Caesaris partibus D. Brutus et C. Trebonius, in Pompeii curia occisus est viginti tribus vulneribus.* Sueton. Caes. c. 80. *Conspiratum est in eum a sexaginta amplius; C. Cassio, Marcoque et Decimo Bruto, principibus conspirationis. Qui — postquam senatus Idibus Martiis in Pompeii curiam edictus est, facile tempus et locum praetulerunt. — c. 82. Adsidentem conspirati, specie officii, circumsteterunt: illicoque Cimber Tillius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus, propius accessit: renuentique, et gestu in aliud tempus differenti, ab utroque humero togam apprehendit: deinde clamantem, Ista quidem vis est, alter e Cassiis adversum vulnerat paullum infra iugulum. — Atque ita tribus et viginti plagis confossus est.* Velleius II. c. 56. 3. *Idibus Martiis, coniurationis auctoribus Bruto et Cassio, — adiectis etiam consiliariis caedis — D. Bruto et C. Trebonio, aliisque clari nominis viris, interemptus est.* Sueton. Caes. c. 88. *Periit sexto et quinquagesimo aetatis anno.* (v. ad a. 654. 3.) Florus IV. c. 2. 95. *Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat* [Plin. H. N. VII. c. 25. *undecies centena et* XCII M. *hominum occisa praeliis ab eo*], *tandem ipse sanguine suo curiam implevit.* Appian. B. C. II. c. 111—154. c. 149. Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν ἐν ἡμέραις αἷς καλοῦσιν Εἰδοῖς Μαρτίαις, Ἀνθεστηριῶνος μάλιστα μέσου — ἔτος ἄγων ἕκτον ἐπὶ πεντήκοντα. Plutarch. Caes. c. 62—67. c. 69. 1 Θνήσκει δὲ Καῖσαρ τὰ μὲν πάντα γεγονὼς ἔτη πεντήκοντα καὶ ἕξ, Πομπηίῳ δ' ἐπιβιώσας οὐ πολὺ πλέον ἐτῶν τεσσάρων (v.

ad a. 706. 4.). Id. Brut. c. 14—17. Cf. Dio XLIV. c. 8—20. Eutrop. VI. c. 25. Orosius VI. c. 17. Zonaras X. c. 11. Franc. Petrarcha (vulgo Iulius Celsus), *Historia C. Iulii Caesaris*, ed. G. L. Schneider. Lipsiae, 1827. 8°. Ab Conders ab Helpen (praeside Mart. Schoockio), *Disputatio Historica exhibens C. Iulium Caesarem.* Groningae, 1647. 8°. A. A. G. Meissner, *das Leben des Iulius Cäsar* (fortges. von I. C. L. Haken) 4 Bde. Berlin, 1799—1812. I. M. Söltl, *Caius Iulius Cäsar aus den Quellen.* Berlin, 1826. 8°. P. van Limburg Brouwer, *Cesar en zijne tijdgenooten.* Groningen, 1844—1846. 4 voll. 8°.

(4) In Caesaris locum Antonius collegam sibi sumpsit P. Cornelium Dolabellam, Ciceronis quondam generum (v. ad a. 709. 2.) IX. c. 44. 122.

Velleius II. c. 58. 2. *Dolabella, quem substituturus sibi Caesar designaverat consulem, fasces atque insignia corripuit consulis.* Dio XLIV. c. 22. 1. *Ἰδὼν δὲ ταῦτα ὁ Δολοβέλλας, — ἔς τε τὴν ὕπατον ἀρχὴν καίπερ μηδέπω οἱ προσήκουσαν ἐσῆλθεν, καὶ δημηγορήσας τι περὶ τῶν παρόντων ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη.* Ibid. c. 53. 1. *Τὸν Δολοβέλλαν ὁ Ἀντώνιος, καίτοι μὴ φοβηθεὶς τὰ πρῶτα ἐς τὴν ἀρχὴν ὡς οὐδέπω καθήκουσάν οἱ προσλαβεῖν, ὅμως προσεῖδετο, δείσας μὴ στασιάσῃ.* Conf. Appian. B. C. II. c. 122. 129. Cic. ad Dolabell. (ad Fam. IX. 14.) Id. Philipp. I. c. 11 sqq.

(5) Interfecto Caesare quum M. Brutus, cruentum alte extollens pugionem, Ciceronem nominatim exclamasset, ex eo Antonius falso intelligi debere contendit Ciceronem huius caedis fuisse participem. IX. c. 33. 95. c. 34. 98.

Plutarch. Cic. c. 42. 1. *Τῆς δ' ἐπὶ Καίσαρα συνισταμένης πράξεως οὐ μετέσχε, καίπερ ὢν ἑταῖρος ἐν τοῖς μάλιστα Βρούτου καὶ βαρύνεσθαι τὰ παρόντα καὶ τὰ πάλαι ποθεῖν πράγματα δοκῶν, ὡς ἕτερος οὐδείς. Ἀλλ' ἔδεισαν οἱ ἄνδρες αὐτοῦ τὴν τε φύσιν ὡς ἐνδεᾶ τόλμης τόν τε χρόνον, ἐν ᾧ καὶ ταῖς ἐρρωμενεστάταις φύσεσιν ἐπιλείπει τὸ θαρρεῖν.* Dio XLIV. c. 20. 3. *Καίτοι τῶν σφαγέων ἔς τε τὴν ἀγορὰν ὥσπερ εἶχον ὁρμησάντων, καὶ τοῖς τε σχήμασιν ἐνδεικνυμένων καὶ προσεχβοώντων μὴ φοβεῖσθαι. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ τοῦτό τε ἅμα ἔλεγον καὶ τὸν Κικέρωνα συνεχῶς ἀνεκάλουν.* Calenus apud Dionem XLVI. c. 22. 3. *Ἵνα γοῦν τἆλλα ἐάσω, ἐλεηθεὶς ὑπὸ τοῦ Καίσαρος καὶ σωθεὶς ἔς τε τοὺς εὐπατρίδας ἐγγραφεὶς ἀπέκτεινεν, οὐκ αὐτοχειρία (πόθεν, δειλός τε οὕτω καὶ γύννις ὤν;) ἀλλ' ἀναπείσας καὶ παρασκευάσας τοὺς τοῦτο ποιήσαντας.*

καὶ ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, αὐτοὶ ἐκεῖνοι ἐδήλωσαν· ὅτε γοῦν γυμνοῖς τοῖς ξίφεσιν ἐς τὴν ἀγορὰν ἐσέδραμον, ὀνομαστὶ αὐτὸν ἀνεκάλεσαν συνεχῶς εἰπόντες, ὦ Κικέρων —. ἐκεῖνόν τε οὖν εὐεργέτην ὄντα ἐφόνευσαν. Conf. F. D. Gräter, *Ueber Cäsars Ermordung u. Cicero's Ansicht derselben.* Zürich, 1820. (item in vol. VII. Epistolarum Ciceronis a Wielando Germanice conversarum, p. 3—42.) Ios. Heimbrod, *M. Tullius Cicero inde ab Idibus Mart. 710. usque ad Calend. Ianuar. 711. p. R. c.* Gleiwitz, 1844. 4°. Cic. ad Cassium (ad Fam. XII. 2. 1.) *Homo amens et perditus multoque nequior, quam ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, caedis initium quaerit: nullamque aliam ob caussam me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur, nisi, ut in me veterani incitentur.* Id. ad Trebonium (ad Fam. X. 28. 1.) *Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis invitasses! reliquiarum nihil haberemus.*

(6) Post diem tertium, id est a. d. XVI. Kal. Apr. [=17 Mart.] Cicero in aede Telluris, quantum potuit, pacis fundamenta iecit atque omnem discordiarum memoriam sempiterna oblivione delendam censuit.

Cic. Phil. II. c. 35. 88. *Quae tua, (Antoni,) fuga? quae formido praeclaro illo die* [i. e. Idib. Mart.]? — *Post diem tertium* [i. e. a. d. XVI. Kal. April.] *veni in aedem Telluris et quidem invitus, quum omnes aditus armati obsiderent.* Ibid. I. 1. 1. *In aedem Telluris convocati sumus. In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavi vetus exemplum, Graecum etiam verbum* [τῆς ἀμνηστίας] *usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui.* Velleius II. c. 58. 2. *Convocato senatu — illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis praeteritarum rerum, decreto patrum comprobatum est.* Conf. Orosius VII. c. 6. Appian. B. C. II. c. 126. Γιγνομένων δὲ τούτων, διάγραμμα νυκτὸς ἀνεγιγνώσκετο Ἀντωνίου τὴν βουλὴν συγκαλοῦντος ἔτι πρὸ ἡμέρας ἐς τὸ τῆς Γῆς ἱερὸν, ἀγχοτάτω μάλιστα ὂν τῆς οἰκίας Ἀντωνίου. — c. 135. Γίγνεται δόγμα, ἡσυχαζόντων ἤδη καὶ ἀγαπώντων ἁπάντων· Φόνου μὲν οὐκ εἶναι δίκας ἐπὶ τῷ Καίσαρι· κύρια δὲ εἶναι τὰ πεπραγμένα αὐτῷ πάντα καὶ ἐγνωσμένα, ἐπεὶ τῇ πόλει συμφέρει. — c. 142. Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ οἱ μὲν ὕπατοι τὸ πλῆθος ἐς ἐκκλησίαν συνεκάλουν· καὶ ἀνεγιγνώσκετο αὐτοῖς τὰ δόξαντα, καὶ Κικέρων πολὺ τῆς ἀμνηστίας ἐγκώμιον ἐπέλεγεν. Conf. Ibid. III. c. 62. Plutarch. Cic. c. 42. 2. Ἀντώνιος μὲν ὑπατεύων

τὴν βουλὴν συνήγαγε καὶ βραχέα διελέχθη περὶ ὁμονοίας, Κικέρων δὲ πολλὰ πρὸς τὸν καιρὸν οἰκείως διελθὼν ἔπεισε τὴν σύγκλητον Ἀθηναίους μεμησαμένην ἀμνηστίαν τῶν ἐπὶ Καίσαρι ψηφίσασθαι. Id. Brut. c. 19. 1. *Οὐ μὴν ἀλλὰ τῇ ὑστεραίᾳ τῆς βουλῆς συνελθούσης εἰς τὸ τῆς Γῆς ἱερὸν, Ἀντωνίου δὲ καὶ Πλάγκου καὶ Κικέρωνος εἰπόντων περὶ ἀμνηστίας καὶ ὁμονοίας, ἔδοξε μὴ μόνον ἄδειαν εἶναι τοῖς ἀνδράσιν, ἀλλὰ καὶ γνώμην ὑπὲρ τιμῶν προθεῖναι τοὺς ὑπάτους.* Dio XLIV. c. 22. 2. *Ὁ οὖν Ἀντώνιος — τήν τε γερουσίαν ἐς τὸ τῆς Γῆς τέμενος ἤθροισε καὶ γνώμας ὑπὲρ τῶν παρόντων προέθηκεν. καὶ εἶπον ἄλλοι τε ἄλλα, ὡς ἕκαστος αὐτῶν ἐγίνωσκε, καὶ ὁ Κικέρων τάδε, οἷσπερ καὶ ἐπείσθησαν.* κτέ. Zonaras X. c. 12. *Ὁ δὲ Κικέρων δημηγορήσας ἔπεισε πάντας μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις, ἀλλὰ κἂν τισιν ἡμάρτηταί τι, παρόψεσθαι τοῦτο, ἵνα μὴ ἐμφύλιος αὖθις γένηται πόλεμος καὶ τῶν πολιτῶν ὄλεθρος ὑπ' ἀλλήλων ὀλλυμένων, ὁμονοῆσαι δὲ ὁμοφύλους ὄντας καὶ συγγενεῖς. καὶ προσέθετο δεῖν καὶ τὰ παρὰ τοῦ Καίσαρος πραχθέντα, εἴ τι ἐν δωρεαῖς ἢ τιμαῖς εἶεν ἢ ἐν ἀρχαῖς, φυλάξαι, καὶ μή τι τούτων πολυπραγμονῆσαι ἢ ἀνατρέψαι. πεισθέντες οὖν αὐτῷ, μηδενὶ μνησικακεῖν ἐψηφίσαντο.*

(7) Antonius, idem se velle simulans, praeclaram habuit de Concordia orationem, factisque bene et e republica senatusconsultis omnem omnibus bonis metum abstulisse visus est. IX. c. 35. 101.

Cic. Philipp. I. c. 1. 2. *Praeclara tum oratio M. Antonii: egregia etiam voluntas: pax denique per eum et per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est. Atque his principiis reliqua consentiebant. — Assentiri etiam nos Ser. Sulpicio, clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Caesaris aut beneficii figeretur. — Dictaturam, quae vim iam regiae potestatis obsederat, funditus ex republica sustulit.* — c. 2. 5. *Liberatus caedis periculo paucis post diebus senatus: uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat.* c. 13. 31. *Tu autem, M. Antoni,* — *unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus iis mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? Quae fuit oratio de concordia! quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est!* — *Proxime, altero, tertio, denique reliquis consecutis diebus, non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre reipublicae. Maximum autem illud, quod dictaturae nomen sustulisti.* Ibid. II. c. 36. 91. *Idem* —

reliquis diebus in Capitolio praeclara senatusconsulta fecisti, ne qua post Idus Martias immunitatis tabula, neve cuiusquam beneficii figeretur. — Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum de republica sustulisti. Livius Epist. 116. *Dictaturae honos in perpetuum sublatus est. C. Amatius* [conf. Appian. B. C. III. c. 2 sqq. et Valer. Max. IX. c. 15. ubi vocatur *Herophilus*], *humillimae sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, quum apud credulam plebem seditiones moveret, necatus est.* Appian. B. C. III. c. 25. *Ὁ δὲ Ἀντώνιος τὸν φόβον αὐτῶν καὶ τὴν ὑπόνοιαν ἐκλύων, ἐψηφίσατο, Μὴ ἐξεῖναι τῷ κατὰ μηδεμίαν αἰτίαν περὶ Δικτάτωρος ἀρχῆς μήτε ἐπιψηφίζειν, μήτε λαβεῖν διδομένην· ἢ τὸν ἐκ τῶνδέ τινος ὑπεριδόντα νηποινεὶ πρὸς τῶν ἐντυχόντων ἀναιρεῖσθαι.* Conf. Dio XLIV. c. 51. Zonar. X. c. 12.

(8) Postea vero Antonius omnia coepit in republica miscere, falsa proferens Caesaris chirographa. IX. c. 55. 101.

Velleius II. c. 60. 4. *Aperte deinde Antonii ac Dolabellae consulum ad nefandam dominationem erupit furor. Sestertium septies millies, depositum a C. Caesare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio: actorum eiusdem, insertis falsis vitiatisque corrupti commentarii; atque omnia pretio temperata, vendente rempublicam consule. Idem provinciam D. Bruto, designato consuli, decretam Galliam occupare statuit. Dolabella transmarinas decrevit sibi.* Cic. ad Att. XIV. 13. 6. *Quae Caesar numquam neque fecisset, neque passus esset, ea nunc ex falsis eius commentariis proferuntur.* Id. Phil. II. c. 36. 92. *Constituta respublica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia te gubernante naufragia metuebam. — Toto Capitolio tabulae figebantur: neque solum singulis venibant immunitates, sed etiam populis universis. Civitas non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur. —* c. 37. 93. *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? —* c. 38. 97. *Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar?* cet. Ibid. V. c. 4. 11. *Quid? illi immanes quaestus ferendine, quos M. Antonii tota exhausit domus. Decreta falsa vendebat: regna, civitates, immunitates in aes accepta pecunia iubebat incidi. Haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat.* cet. Dio XLIV. c. 53. 2. *Ὡς μέντοι — ὁ Ἀντώνιος τό τε ἐξετάσαι τὰ διοικηθέντα ὑπὸ τοῦ Καίσαρος καὶ τὸ πάντα τὰ δόξαντα αὐτῷ ποιῆσαι ἐπετράπη, οὐκέτ' ἐσωφρόνησεν ἀλλ', ἐπειδὴ τάχιστα ἐγκρατὴς τῶν γραμμάτων αὐτοῦ ἐγένετο, πολλὰ μὲν ἀπήλειψε πολλὰ δὲ ἀντενέγραψεν, ἄλλα τε καὶ νόμους. καὶ προσέτι καὶ χρήματα καὶ*

ἀρχὰς τὰς μὲν ἀφείλετο τινῶν τὰς δὲ ἔδωκεν ἄλλοις, ὡς καὶ ἐκ τῶν ἐκείνου διαγραμμάτων αὐτὰ ποιῶν. κἀκ τούτου συχνὰ μὲν αὐτόθεν ἥρπασε, συχνὰ δὲ καὶ παρ' ἰδιωτῶν τῶν τε δήμων καὶ τῶν βασιλέων ἠργυρολόγησε, τοῖς μὲν χώραν τοῖς δὲ ἐλευθερίαν, ἄλλοις πολιτείαν, ἄλλοις ἀτέλειαν πωλῶν. Conf. Appian. B. C. III. c. 5. Plutarch. Brut. c. 21. Anton. c. 15.

(9) Et omnibus bonis, inprimis vero Ciceroni, terrorem iniiciens, modo in senatu, modo in concione omnes a partibus suis alienos minatur perituros. IX. c. 39. 111.

Cic. Phil. I. c. 2. 6. *Ecce enim Kalendis Iuniis, quibus ut adessemus ediserat, mutata omnia: nihil per senatum, multa et magna per populum, et absente populo et invito. Consules designati se audere negabant in senatum venire: patriae liberatores urbe carebant ea, cuius a cervicibus iugum servile deiecerant. — Quae quum audire mallem, quam videre, — discessi.* Ibid. II. c. 42. 108. *Kalendis Iuniis quum in senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus.* Id. ad Att. XV. 22. *Ego autem scripsi Sextum adventare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret, ab armisque nullus discederet. Certe, si pergit, bellum paratum est. Hic autem noster Cytherius, nisi victorem, neminem victurum.* Plutarch. Cic. c. 43. 1. *Εὐθὺς οὖν ὁ Ἀντώνιος ἐπῆρτο καὶ πᾶσι μὲν ἦν φοβερὸς ὡς μοναρχήσων, τῷ δὲ Κικέρωνι φοβερώτατος. Ἀναρρωννυμένην τε γὰρ αὐτῷ πάλιν ὁρῶν τὴν δύναμιν ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς περὶ Βροῦτον ἐπιτήδειον εἰδὼς ἤχθετο παρόντι.*

(10) Kalendis Sextilibus [= 1 Sext. (Aug.)] L. Piso in senatu, quamquam nullo assentiente, primus in Antonium invectus est; cui tamen orationi non interfuit Cicero. IX. c. 38. 109.

Cic. ad Att. XVI. 7. 5. *Extremum illud vel molestissimum —. Nam* XVI. *Kal. Sept.* [= 17 Sext. (Aug.)] *quum venissem Veliam, Brutus audivit. — Pedibus ad me statim. — Maxime autem dolebat, me Kal. Sext. in senatu non fuisse. Pisonem ferebat in caelum.* Id. ad Cassium (ad Fam. XII. 2. 1.) *Ita nec Pisoni, qui in eum primus invectus est nullo assentiente, nec mihi, qui idem tricesimo post die* [erat autem IV. Non. Sept. = 2 Sept. (v. infra n. 21.) i. e. XXXII. post Kal. Sext.] *feci, — tuto in senatum venire licet.* Id. Philipp. I. c. 4. 9. *Ego celeriter Veliam devectus, Brutum vidi —. Ex quo primum cognovi, quae Kalendis Sextilibus in senatu fuisset L. Pisonis oratio:*

qui quamquam parum erat —, a quibus debuerat, adiutus, tamen et Bruti testimonio — et omnium praedicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consecutus. Ibid. c. 6. 14. *Atque utinam, P. C., Kalendis Sextilibus adesse potuissem! non quo profici potuerit aliquid, sed ne unus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus republica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines amplissimis populi Romani beneficiis usos L. Pisonem, ducem optimae sententiae, non secutos. — Non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu quidem assensus est.*

(11) Cicero enim, qui iam initio mensis Aprilis ex Urbe rus profectus erat, villas suas lustrabat, nec quidquam per quinque fere menses malebat quam rusticari et, solus quum esset, in philosophiae portum se conferre. IX. c. 44. 123.

Cic. ad Att. XIV. 4. *In Tusculanum hodie* [?]; *Lanuvii cras, inde Asturae cogitabam.* Ibid. 4. 1. *Nunc quid putas me Lanuvii?* Ibid. 5. 3. *Haec scripsi ad te proficiscens Astura* III. *Idus* [April. = 11 April.]. Ibid. 6. 1. *Pridie Idus* [April. = 12 April.] *Fundis accepi tuas litteras caenans.* Ibid. 7. 1. *Postridie Idus* [April. = 14 April.] *Paullum Caietae vidi. — Ego e Formiano exiens* XVII. *Kal.* [Mai. = 15 April.], *ut inde altero die in Puteolanum, scripsi haec.* Ibid. 15. 4. *Piliae nostrae villam totam (Cumanam) quaeque in villa sunt trado in Pompeianum ipse proficiscens Kalend. Maiis* [= 1 Mai.] Ibid. 16. 1. *Quinto Non.* [Mai. = 3 Mai.] *conscendens ab hortis Cluvianis in phaselum epicopum has dedi litteras, quum Piliae nostrae villam ad Lucrinum, villicos, procuratores tradidissem. Ipse autem eo die in Paeti nostri tyrotarichum imminebam; perpaucis diebus in Pompeianum; post in haec Puteolana et Cumana regna renavigaro.* Ibid. 17. 1. *In Pompeianum veni* V. *Nonas Mai.* [= 3 Mai.] *quum pridie, ut antea ad te scripsi, Piliam in Cumano collocavissem.* Ibid. 20. 1. *E Pompeiano navi advectus sum in Luculli nostri hospitium* [Neapolitanum, cfr. Acad. pr. II. c. 3. 9.] VI. *Idus* [Mai. (cfr. ad Att. XIV. 18. 4.) = 10 Mai.], *hora fere* III. — *A Lucullo postridie eadem fere hora veni in Puteolanum.* Ibid. 22. 1. *Scire te volui, me hinc (ex Puteolano) Arpinum* XVI. *Kalend. Iun.* [= 17 Mai.]. ad Att. XV. 1. b. 1. *Mansi eo die in Sinuessano: atque inde mane postridie Arpinum proficiscens, hanc epistolam exaravi.* Ibid. 2. 1. *Quinto decimo Kalend.* [Iun. = 18 Mai.] *e Sinuessano proficiscens, quum dedissem ad te litteras devertissemque a Cumis, in Veseiano accepi*

tuas litteras. Ibid. 3. 1. *Undecimo Kalend.* [Iun. = 22 Mai.] *accepi in Atinati duas epistolas tuas.* Ibid. 4. a. 2. *Quod te a Bruto scribis; ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus: ut ad te ante scripsi,* VI. *Kal.* [Iun. = 27 Mai.]. *Puto enim nobis Lanuvium eundum.* Ibid. 11. 1. *Antium veni ante* VI. *Idus* [Iun. = 8 Iun.]. Ibid. 18. 1. *Septimo decimo Kal.* [Quint. = 15 Iun.] — *quum profectus essem (e villa ad Lucrinum lacum) et in lacu navigarem.* Ibid. 25. *Ego hinc (e Tusculano,* cfr. 17. 2.) *volo prid. Kal.* [Quint. = 30 Iun.]. Ibid. 26. 5. *Ex Arpinati,* VI. *Non.* [Quint. = 2 Iul.]. Ibid. 29. 3. *Signata iam epistola, Formiani, qui apud me caenabant, Plancum se aiebant — pridie, quam hoc scribebam, id est* IV. *Nonas* [Quint. = 4 Iul.] *vidisse.* ad Att. XVI. 1. 1. *Nonis Quint.* [= 7 Iul.] *veni in Puteolanum. Postridie iens ad Brutum in Nesidem haec scripsi.* Ibid. 2. 4. *Brundisium cogito. — Sextius* VI. *Idus* [Quint. = 10 Iul.] *exspectabatur, sed non venerat, quod sciam. Cassius cum classicula sua venerat. Ego, quum eum vidissem,* V. [Id. Quint. = 11 Iul.] *in Pompeianum cogitabam, inde Aeculanum.* ad Att. XIV. 7. 2. *Volo meus Quintili in Graeciam* cet. v. infra n. 17 sqq.

(12) In hac rusticatione Cicero scripsit libros tres *de Natura Deorum*, X. c. 16. 38. duos *de Divinatione*, X. c. 17. 42. et librum *de Fato;* quorum hic, ut videtur, ortus est ex sermone, quem de republica cum Hirtio habuit in Puteolano. X. c. 18. 48.

Cic. de Divin. I. c. 5. 8. *Quibus de rebus et alias saepe, et paullo accuratius nuper, quum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. Nam quum ambulandi caussa in Lyceum venissemus — perlegi, ille inquit, tuum paullo ante tertium de Natura Deorum.* Cic. ad Att. XV. 1. 3. *Quum a me* XVII. *Kal.* [Iun. = 16 Maii] *de Puteolano Neapolim, Pansae conveniendi caussa, proficisceretur Hirtius, — seduxi eum et ad pacem eum cohortatus. Non poterat scilicet negare, se velle pacem; sed non minus se nostrorum arma timere, quam Antonii; et tamen utrosque non sine caussa praesidium habere; se autem utraque arma metuere.* Cfr. Io. Nic. Funccius, *de Ciceronis rusticatione.* Rintel. 1772. 4°.

(13) Secuti sunt *Cato Maior s. de Senectute*, X. c. 21. 58. et *Laelius s. de Amicitia.* X. c. 22. 60.

Cic. ad Att. XIV. 21. 1. *Quum paullo ante dedissem ad te Cassii tabellario litteras,* V. *Idus* [Maias = 11 Maii] *venit noster tabella-

rius —. Legendus mihi saepius est Cato maior, ad te missus. Amatiorem enim me senectus facit. Ibid. XVI. 8. 1. *Quod vero scribis te magis et magis delectari O Tite, si quid ego, auges mihi scribendi alacritatem.* Ibid. 11. 3. *Quod me hortaris ad scribendum, amice tu quidem; sed me scito agere nihil aliud. — O Tite tibi prodesse laetor.*

(14) Item libri duo *de Gloria*, qui perierunt, hoc tempore scripti sunt. X. c. 23. 63.

Cic. ad Att. XV. 14. 1. *Sexto Kal.* [Quint. = 26 Iunii] *accepi a Dolabella litteras —. Statim ei rescripsi. — His litteris scriptis me ad σύνταξεις dedi: quae quidem, vereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint.* Ibid. 27. 1. *Quum ad te* VI. *Non.* [Quint. = 2 Iulii] *darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sextium —. Librum tibi celeriter mittam de Gloria.* Ibid. XVI. 2. 4. *Sextius* VI. *Idus* [Quint. = 10 Iulii] *exspectabatur —. De Gloria misi tibi.* Ibid. 6. 1. *Veni ad Sicam octavo die e Pompeiano —.* IX. *Kal.* [Sext. = 24 Iulii] *igitur ad Sicam. Ibi tamquam domi meae scilicet. Itaque obduxi posterum diem* [i. e. VIII. Kal. Sext. = 25 Iulii]. *— Nunc negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi: at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum. Ex eo eligere soleo, quum aliquod σύγγραμμα institui. Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem, me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. Quum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum prooemium exaravi; tibi misi. Tu illud desecabis, hoc agglutinabis.* Ibid. XVI. 11. 1. *Nonis* [Novemb. = 5 Novbr.] *accepi a te duas epistolas —. Nostrum opus tibi probari laetor: ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. Cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.* Fragmenta supersunt apud Gellium XV. 6. Charisium I. p. 61. 108. *Putsch.* Diomedem I. p. 378. Philarg. ad Virg. Ecl. II. 63. Cf. Frid. Schneider, *Meletemata in Ciceronis de Gloria libros;* in Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1839. nº. 28 et 29.

(15) Denique etiam hoc tempore scribere aggressus est libros *de Officiis;* quos tamen mense demum Novembri absolvit. X. c. 25. 71.

Cic. ad Att. XV. 13 a. 1. *Octavo Kal.* [Novemb. = 25 Octob.] *duas a te accepi epistolas. — 13 b. 2. Nos hic (in Puteolano) φιλοσοφοῦμεν, (quid enim aliud?) et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice*

explicamus προσφωνοῦμενque Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? Deinde alia. Ibid. XVI. 11. 1. *Nonis* [Novemb. = 5 Novemb.] *accepi a te duas epistolas. — Τὰ περὶ καθήκοντος, quatenus Panaetius, absolvi duobus: illius tres sunt. Sed quum initio divisisset ita, tria genera exquirendi officii esse: unum, quum deliberemus, honestum an turpe sit; alterum, utile an inutile; tertium, quum haec inter se pugnare videantur, quomodo iudicandum sit, qualis causa Reguli, redire honestum, manere utile: de duobus primis praeclare disseruit; de tertio pollicetur se deinceps: sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persecutus. — Quod de inscriptione quaeris; non dubito, quin καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud; sed inscriptio plenior, de Officiis. Προσφωνῶ autem Ciceroni filio. Visum est non ἀνοσιῶτον.*

(16) Hos igitur libros Cicero ad Marcum filium misit, qui annum iam Athenis (v. ad a. 709. 7.) quum alios tum vero in primis Cratippum audiebat. x. c. 25. 71.

Cic. de Off. I. c. 1. 1. *Quamquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis;* cet. cfr. I. P. von Lung, *de Peregrinationibus Academicis, ad Cic. Off. I.* 1. Argentorati, 1691. 4°. Trebonius ad Cic. (ad Fam. XII. 16. 1.) *Athenas veni a. d. XI. Kal. Iun.* [= 22 Maii] *atque ibi, quod maxime optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis summaque modestiae fama. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes, etiam me tacente. Non enim nescis, quanti te faciam et quam pro nostro veterrimo verissimoque amore omnibus tuis, etiam minimis, commodis, non modo tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc animo tuis dare: nihil adolescente tuo, atque adeo nostro, (nihil enim mihi a te potest esse seiunctum,) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est aut studiosius earum artium, quas tu maxime amas, hoc est optimarum. Itaque tibi, quod vere facere possum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quod eum, quem necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. Qui quum mihi in sermone iniecisset, se velle Asiam visere, non modo invitatus, sed etiam rogatus est a me, ut id potissimum nobis obtinentibus provinciam faceret. Cui nos et caritate et amore tuum officium praestaturos non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curae, ut Cratippus una cum eo sit, ne putes, in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quae tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum, ut video, et ingressum pleno gradu*

cohortari non intermittemus, quo in dies longius discendo exercendoque se procedat. Cicero filius ad Tironem (ad Fam. XVI. 21. 2.) *Gratos tibi optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: praestaboque et enitar, ut in dies magis magisque haec nascens de me duplicetur opinio. — Tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata aetatis meae, ut non solum animus a factis, sed aures quoque a commemoratione abhorreant. — Cratippo me, scito, non ut discipulum, sed ut filium esse coniunctissimum. Nam quum audio illum libenter, tum etiam propriam eius suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque saepenumero partem. Exoro enim, ut mecum quam saepissime caenet. Hac introducta consuetudine, saepe inscientibus nobis et caenantibus obrepit sublataque severitate philosophiae humanissime nobiscum iocatur. — Quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore a me patior discedere; cuius quum frugi severaque est vita, tum etiam iucundissima convictio. — Praeterea declamitare Graece apud Cassium institui; Latine autem apud Bruttium exerceri volo. Utor familiaribus et quotidianis convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus et doctis et illi probatissimis. Multum enim mecum est Epicrates, princeps Atheniensium, et Leonides et horum ceteri similes.*

(17) Cicero, quum per Dolabellam ius haberet legationis liberae, cuperetque filium suum Athenis visere, consilium cepit in Graeciam proficiscendi; quod tamen iter non absolvit.

Cic. ad Att. XIV. 7. 2. *A Cicerone mihi litterae sane πανυσπούδαι, et bene longae. — Volo mense Quintili in Graeciam.* Ibid. 13. 4. *Proficiscor, ut constitueram, legatus in Graeciam? — Sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire: nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum, quum consilium cepi legari ab Caesare.* Ibid. 16. 3. *Cupio — excurrere in Graeciam. Magni interest Ciceronis, vel mea potius, vel mehercule utriusque, me intervenire discenti.* Ibid. 18. 4. *Ego ex his, quae parari video, non multum Idibus Martiis* [v. supra n. 3.] *profectum iudico. Itaque de Graecia quotidie magis et magis cogito.* Ibid. XV. 8. 1. *Etiam scripsi ad Antonium de legatione: ne, si ad Dolabellam solum scripsissem, iracundus homo commoveretur.* Ibid. 11. 4. *Dolabella me sibi legavit a. d. IV. Nonas* [Iun. = 2 Iunii]. *Id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat. — Habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Iulia* [v. ad a. 695. 6.]; *nec facile addi potest. Aveo genus legationis, ut, quum velis, introire, exire liceat: quod*

nunc mihi additum est. Ibid. XVI. 3. 4. *Multa me movent in discessu, inprimis mehercule, quod disiungor a te. Movet etiam navigationis labor —. Consolantur haec: Aut proderimus aliquid Ciceroni, aut, quantum profici possit, iudicabimus.* Philipp. I. c. 2. 6. *Quum — haberem ius legationis liberum, ea mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuariis, quod initium senatus cogendi fore videbatur.* Plutarch. Cic. c. 43. 1. *Εὐθὺς οὖν ὁ Ἀντώνιος — πᾶσι μὲν ἦν φόβερος, — τῷ δὲ Κικέρωνι φοβερώτατος. — Καί πού τι καὶ προυπῆρχεν ὑποψίας αὐτοῖς πρὸς ἀλλήλους κατὰ τὴν τῶν βίων ἀνομοιότητα καὶ διαφοράν. Ταῦτα δείσας ὁ Κικέρων πρῶτον μὲν ὥρμησε Δολοβέλλᾳ συνεκπλεῦσαι πρεσβευτὴς εἰς Συρίαν· ἐπεὶ δ' οἱ μέλλοντες ὑπατεύειν μετ' Ἀντώνιον, Ἵρτιος καὶ Πάνσας, ἄνδρες ἀγαθοὶ καὶ ζηλωταὶ τοῦ Κικέρωνος, ἐδέοντο μὴ σφᾶς καταλιπεῖν, ὑποδεχόμενοι καταλύσειν Ἀντώνιον ἐκείνου παρόντος, ὁ δ' οὔτ' ἀπιστῶν παντάπασιν οὔτε πιστεύων Δολοβέλλαν μὲν εἴασε χαίρειν, ὁμολογήσας δὲ τοῖς περὶ τὸν Ἵρτιον τὸ θέρος ἐν Ἀθήναις διάξειν, ὅταν δ' ἐκεῖνοι παραλάβωσι τὴν ἀρχήν, ἀφίξεσθαι πάλιν, αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν ἐξέπλευσεν.* Cf. I. F. Eckhard, *Prolusio de legatione Libera, cuius mentio fit in Epistolis Ciceronis.* Isenaci, 1789. 4°.

(18) Itaque a. d. XII. Kal. Sextil. [= 21 Iulii] Velia proficiscens, ubi in ipsa navigatione *Topica* ad Trebatium scripsit, Rhegium et Kal. Sext. Syracusas venit. X. c. 24. 67 sqq.

Cic. ad Trebat. (ad Fam. VII. 20. 3.) *Cura, ut valeas.* XIII. *Kal. Sext.* [= 20 Iul.]. *Velia.* Id. ad Att. XVI. 6. 1. *Ego adhuc (pervenit enim Vibonem ad Sicam) magis commode, quam strenue navigavi. — Veni igitur ad Sicam octavo die e Pompeiano, quum unum diem Veliae constitissem.* — IX. *Kal.* [Sext. = 24 Iul.] *igitur ad Sicam. Ibi — obduxi posterum diem. Sed putabam, quum Rhegium venissem, fore, ut illic — cogitaremus* cet. Id. ad Trebat. (ad Fam. VII. 19.) *Ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere, ab ipsa urbe commonitus, amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegio, scriptum, quam planissime res illa scribi potuit. Sin tibi quaedam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, nullam artem litteris sine interprete et sine aliqua exercitatione percipi posse. Non longe abieris: num ius civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quamquam plurimi sunt, doctorem tamen usumque desiderant. Quamquam tu si attente leges, si saepius, per te omnia consequere, ut certe intelligas.* Id. Philipp. I. c. 3. 7. *Quum Brundisium, iterque illud,*

quod tritum in Graeciam est, non sine caussa vitavissem, Kalendis Sextilibus [= 1 Aug.] *veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Graeciam laudabatur: quae tamen urbs mihi coniunctissima, plus una me nocte cupiens retinere, non potuit.*

(19) Inde postero die navem conscendit, sed ventis reiectus ad Leucopetram, promontorium agri Rhegini, (quum Rhegini quidam Roma venientes ea narrassent, quae spem facerent fore ut Antonius cederet et Caesaris interfectores Romam redirent, Ciceronem vero desiderari et, quod Urbe abesset, accusari dixissent,) profectionis consilio abiecto Romam properat et prid. Kal. Sept. in Urbem venit. Quo accedenti magna multitudo civium obviam venit ipsi.

Cic. ad Att. XVI. 7. 1. *Octavo Id. Sext.* [= 6 Aug.] *quum a Leucopetra profectus — stadia circiter* CCC *processissem, reiectus sum austro vehementi ad eamdem Leucopetram. Ibi quum ventum exspectarem, (erat enim villa Valerii nostri, ut familiariter essem et libenter) Rhegini quidam, illustres homines, eo venerunt, Roma sane recentes —. Haec afferebant, edictum Bruti et Cassii; et fore frequentem senatum Kalendis* [Septemb.]*: a Bruto et Cassio litteras missas ad consulares et praetorios, ut adessent, rogare. Summam spem nuntiabant: fore, ut Antonius cederet, res conveniret, nostri Romam redirent. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari. Quae quum audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium profectionis, quo mehercule ne antea quidem delectabar.* Id. ad Cornificium (ad Fam. XII. 25. 3.) *Ego tuorum consiliorum auctor dignitatisque fautor, iratus temporibus, in Graeciam desperata libertate rapiebar: quum me etesiae, quasi boni cives, relinquentem rempublicam prosequi noluerunt, austerque adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit, atque inde ventis, remis in patriam omni festinatione properavi.* Id. Philipp. I. c. 3. 7. *Quum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent; ab eo loco conscendi, ut transmitterem: nec ita multum provectus, reiectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. Quumque intempesta nox esset mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei, postridieque apud eumdem ventum exspectans manerem, municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex his quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonii concionem: quae ita mihi placuit, ut ea lecta de reversione primum coeperim cogitare. Nec ita multo*

post edictum Bruti affertur et Cassii: quod quidem mihi — plenum aequitatis videbatur. Addebant praeterea — rem conventuram: Kalendis Sextilibus senatum frequentem fore: Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus redituram. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi neque venti satisfacerent: non quo me ad tempus occursurum non putarem, sed ne tardius, quam cuperem, reipublicae gratularer. Plutarch. Cic. c. 43. 2. *Γενομένης δὲ περὶ τὸν πλοῦν διατριβῆς, καὶ λόγων ἀπὸ Ῥώμης, οἷα φιλεῖ, καινῶν προσπεσόντων, μεταβεβλῆσθαι μὲν Ἀντώνιον θαυμαστὴν μεταβολὴν καὶ πάντα πράττειν καὶ πολιτεύεσθαι πρὸς τὴν σύγκλητον, ἐνδεῖν δὲ τῆς ἐκείνου παρουσίας τὰ πράγματα μὴ τὴν ἀρίστην ἔχειν διάθεσιν, καταμεμψάμενος αὐτὸς αὑτοῦ τὴν πολλὴν εὐλάβειαν ἀνέστρεφεν αὖθις εἰς Ῥώμην. Καὶ τῶν πρώτων οὐ διημάρτανεν ἐλπίδων· τοσοῦτον πλῆθος ἀνθρώπων ὑπὸ χαρᾶς καὶ πόθου πρὸς τὴν ἀπάντησιν ἐξεχύθη, καὶ σχεδὸν ἡμερήσιον ἀνήλωσαν χρόνον αἱ περὶ τὰς πύλας καὶ τὴν εἴσοδον αὐτοῦ δεξιώσεις καὶ φιλοφροσύναι.*

(20) Antonius Kalend. Septemb. senatum habuit de supplicationibus Caesari decernendis. Cicero in senatum non venit, fortasse metuens ab Antonio insidias; misit tamen ad Antonium, qui ei diceret se ex via languere. Antonius in senatu dixit, nisi veniret, fabros se missurum et domum eius disturbaturum. IX. c. 38. 107.

Plutarch. Cic. c. 43. 2. (*Ὁ Κικέρων*) *ἀνέστρεφεν αὖθις εἰς Ῥώμην. — Τῇ δ' ὑστεραίᾳ βουλὴν συναγαγόντος Ἀντωνίου καὶ καλοῦντος αὐτὸν οὐκ ἦλθεν, ἀλλὰ κατέκειτο, μαλακῶς ἔχειν ἐκ τοῦ κόπου σκηπτόμενος. Ἐδόκει δὲ ταληθὲς ἐπιβουλῆς εἶναι φόβος ἔκ τινος ὑποψίας καὶ μηνύσεως καθ' ὁδὸν αὐτῷ προσπεσούσης. Ἀντώνιος δὲ χαλεπῶς μὲν εἶχεν ἐπὶ τῇ διαβολῇ καὶ στρατιώτας ἔπεμψεν ἄγειν αὐτὸν ἢ καταπρῆσαι τὴν οἰκίαν καλεύσας, ἑστώντων δὲ πολλῶν καὶ δεηθέντων ἐνέχυρα λαβὼν μόνον ἐπαύσατο.*

(21) Postridie [i. e. IV. Nonas Septemb. = 2 Sept.], Antonio absente, Cicero in senatum venit, habuitque orationem, quae dicitur *Philippica prima*. Ob quam Antonius ira incensus inimicitias ei denuntiavit eumque a. d. XIII. Kal. Octob. [= 19 Sept.] in senatu adesse iussit. IX. c. 38. 109.

Cic. Philipp. I. c. 4. 11. *Priusquam de republica dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonii iniuria.* Id. ad Cassium (ad Fam. XII. 2. 1.) *In eum (Antonium) primus invectus est (Piso) — idem tricesimo post die feci* [conf. supra n. 10.]. Id. ad Cornificium (ad Fam. XII. 25. a. 3.) *Iratus temporibus, in Graeciam desperata libertate rapiebar: quum — auster adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit, atque inde ventis, remis in patriam omni festinatione properavi, postridieque in summa reliquorum servitute liber unus fui. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorem in me unum effunderet, meque quum elicere vellet ad caedis caussam, tum tentaret insidiis: quem ego ructantem et nauseantem conieci in Caesaris Octaviani plagas.*

(22) Dicta die Antonius orationem, quam per hosce XVII dies in Tiburtino Scipionis meditatus erat, in aede Concordiae evomuit in Ciceronem, qui in senatu non aderat, metu insidiarum ab amicis prohibitus. IX. c. 38. 109 sqq.

Cic. ad Cassium (ad Fam. XII. 2. 1.) *Homo amens et perditus — caedis initium quaerit: nullamque aliam ob caussam me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur, nisi ut in me veterani incitentur. — Caedem enim gladiator quaerit eiusque initium a. d. XIII. Kalend. Octob.* [= 19 Sept.] *a me se facturum putavit. At quam paratus venerat, quum in villa Metelli complures dies commentatus esset! Quae autem in lustris et in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus — vomere suo more, non dicere.* Id. Philipp. III. c. 13. 33. *M. Antonii scelerata arma vitavi, tum, quum ille in me absentem invehens non intelligebat, ad quod tempus me et meas vires reservarem. Si enim tum illi, caedis a me initium quaerenti, respondere voluissem, nunc reipublicae consulere non possem.*

(25) Antonii orationi Cicero opposuit *Philippicam secundam*, non habitam quidem, sed domi per otium ita conscriptam, quasi eam XIII. Kal. Octob. [= 19 Sept.] in praesentem Antonium habuisset. Ea tamen non statim in vulgus edita esse videtur.

Cic. Phil. II. c. 43. 110. *Nescis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur?* cet. ad q. l. Schütz. in Proleg. haec notavit: »Iam ludorum Romanorum primus dies erat XVII. Kal. Oct., quartus XIV. Kal. Oct.; quem quum Cicero *hesternum* dicat, se-

quitur eum Orationem Philippicam II. sic instituisse, ut eam XIII. Kal. Oct. habitam esse finxerit." Id. ad Att. XV. 13 a. 1. *Octavo Kal.* [Novemb. = 25 Octob.] *duas a te accepi epistolas. — Orationem tibi misi. Eius custodiendae et proferendae arbitrium tuum. Sed quando illum diem, quum tu edendam putes?* Ibid. XVI. 11. 1. *Nonis* [Novemb. = 5 Novemb.] *accepi a te duas epistolas. — De Sica ita est, ut scribis. At, st! aegre me tenui. Itaque perstringam sine ulla contumelia Sicae aut Septimiae: tantum, ut sciant παῖδες παίδων, sine illo Luciliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse.* [conf. Philipp. II. c. 2. 3.] *Atque utinam eum diem videam, quum ista Oratio ita libere vagetur, ut etiam in Sicae domum introeat!* cfr. Lael. Bisciola, *Disquisitio quo tempore secunda Ciceronis Philippica in M. Antonium fuerit habita* (in Eiusd. Horarum Subsecivar. L. XVII. c. 7.) Ingolstadii, 1611. 8°.

(24) Antonius a. d. VII. Idus Octob. [= 9 Octob.] Brundisium proficiscitur, ut obviam eat legionibus quattuor e Macedonia redeuntibus, quas si conciliasset sibi, agmine quadrato ad Urbem accedere cogitat. IX. c. 35. 101. c. 39. 111.

Cic. ad Cornific. (ad Fam. XII. 23. 2.) *Antonius a. d. VII. Idus Octobr. Brundisium erat profectus obviam legionibus Macedonicis IV, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad Urbem adducere et in cervicibus nostris collocare.* Appian. B. C. III. c. 40. Ὡς δὲ τῷ Καίσαρι ὑπὸ τῶν κρίφα ἀπεσταλμένων ἀπηγγέλθη, τὸν ἐν Βρεντεσίῳ στρατὸν καὶ τοὺς ἀπωκισμένους ἐν ὀργῇ τὸν Ἀντώνιον ἔχειν, ἀμελοῦντα τοῦ Καίσαρος φόνου, καὶ σφᾶς ἐπικουρήσειν, ἂν δέωνται· ὁ μὲν Ἀντώνιος ἐς τὸ Βρεντέσιον ἐξήει διὰ τάδε. — Dio XLV. c. 12. 1. Τοῦ Ἀντωνίου ἐς τὸ Βρεντέσιον πρὸς τοὺς στρατιώτας τοὺς ἐκ τῆς Μακεδονίας περαιωθέντας ἀφορμήσαντος κτέ. — Zonaras X. c. 14.

(25) Brundisii autem et Suessae Auruncae, quum fortissimae legiones promissis eius reclamarent, Antonius centuriones domum ad se venire iussit eosque ante pedes suos uxorisque suae iugulari coegit. IX. c. 35. 101. c. 39. 111.

Cic. ad Att. XVI. 8. 2. *Eae* (*tres legiones Macedonicae*) *congiarium ab Antonio accipere noluerunt — et ei convicium grave fecerunt, con-*

cionantemque reliquerunt. Id. Phil. III. c. 2. 4. *Qui in hospitis tectis Brundisii fortissimos viros optimosque cives iugulari iussit: quorum ante pedes eius morientium sanguine os uxoris respersum esse constabat.* c. 4. 10. *Hic et Suessae iugulavit eos, quos in custodiam dederat, et Brundisii ad trecentos fortissimos viros civesque optimos trucidavit.* Ibid. IV. c. 2. 4. (*Antonius*) *cruentus sanguine civium, quos Suessae, quos Brundisii occiderat.* Ibid. XII. c. 6. 12. *Ut centurionum legionis Martiae Brundisii profusus sanguis eluatur: num elui praedicatio crudelitatis poterit?* Dio XLV. c. 13. 1. Ἀντώνιον δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν φιλοφρόνως οἱ στρατιῶται ἐν τῷ Βρεντεσίῳ ἐδέξαντο, προσδοκήσαντες πλείω παρ' αὐτοῦ τῶν προτεινομένων σφίσιν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος λήψεσθαι, ἐπειδή καὶ πολλῷ πλείω κεκτῆσθαι αὐτὸν ἐκείνου ἐνόμιζον. ὡς μέντοι ἑκατόν τε ἑκάστῳ δραχμὰς δώσειν ὑπέσχετο, καὶ αὐτῶν ἐπὶ τούτῳ θορυβησάντων σφαγῆναι ἄλλους τέ τινας καὶ ἑκατοντάρχους ἔν τε τοῖς ἑαυτοῦ καὶ ἐν τοῖς τῆς γυναικὸς ὀφθαλμοῖς ἐκέλευσε, τότε μὲν ἡσύχασαν. Appian. B. C. III. c. 43. Ἀντωνίῳ δ' ἀφῖκτο μέσον ἐς τὸ Βρεντέσιον ἐκ πέντε τῶν ἐν Μακεδονίᾳ τελῶν τέσσαρα· — ὁ δὲ — τοῖς παροῦσιν ἑκάστῳ δοθήσεσθαι δραχμὰς ἑκατόν. Οἱ δὲ ἐγέλασαν τῆς μικρολογίας· καὶ χαλεπήναντος αὐτοῦ, μᾶλλον ἐθορύβουν καὶ διεδίδρασκον. Ὁ δὲ — αἰτήσας παρὰ τῶν χιλιάρχων τοὺς στασιώδεις — διεκλήρωσε τῷ στρατιωτικῷ νόμῳ· καὶ οὐ τὸ δέκατον ἅπαν, ἀλλὰ μέρος ἔκτεινε τοῦ δεκάτου, νομίζων σφᾶς ὧδε καταπλήξειν δι' ὀλίγου. Οἱ δὲ οὐκ ἐς φόβον μᾶλλον, ἢ ἐς ὀργὴν ἀπὸ τοῦδε καὶ μῖσος ἐτρέποντο.

(28) Octavius interim (sive, ut Caesaris hereditate adita nominabatur, Caesar Octavianus) veteranos Caesaris excivit; quibus quum multi alii accederent, iustum exercitum contraxit, quo Antonii impetum retardaret. XI. c. 39. 112.

Cic. ad Att. XVI. 8. 1. *Kal.* (*Novemb.*) *vesperi litterae mihi ab Octaviano. Magna molitur. Veteranos, quique Casilini et Calatiae sunt, perduxit ad suam sententiam. Nec mirum: quingenos denarios dat, cogitat reliquas colonias obire. Plane hoc spectat, ut se duce bellum geratur cum Antonio. Itaque video paucis diebus nos in armis fore. — Atque a me postulat, primum ut clam colloquatur mecum, vel Capuae vel non longe a Capua. — Consultabat, utrum Romam cum* CIↃCIↃCIↃ *veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret et Antonium venientem excluderet, an iret ad tres legiones Macedonicas —: quas sperat suas esse. — Equidem suasi, ut Romam pergeret. Videtur*

enim mihi et plebeculam urbanam et, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus. Id. Phil. III. c. 2. 3. *C. Caesar adolescens — incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum, quum maxime furor arderet Antonii, quumque eius a Brundisio crudelis et pestifer reditus timeretur, — firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque suum — in salute reipublicae collocavit.* Ibid. IV. c. 1. 3. *Laudo vos, Quirites, quum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis —: qui, quum servitute premeremur, in dies malum cresceret, praesidii nihil haberemus, capitalem et pestiferum a Brundisio M. Antonii reditum timeremus, hoc insperatum omnibus consilium, incognitum certe, ceperit, ut exercitum invictum ex paternis militibus conficeret Antoniique furorem, crudelissimis consiliis incitatum, a pernicie reipublicae averteret.* Appian. B. C. III. c. 12. Ὁ δὲ (Ὀκταούιος) καὶ τῷ πλήθει τῶν εἰς αὐτὸν ἀφικνουμένων, καὶ τῇ Καίσαρος αὐτοῦ δόξῃ τε καὶ τῇ πάντων ἐς ἐκεῖνον εὐνοίᾳ θαρρῶν, ὥδευεν ἐς Ῥώμην, σὺν ἀξιολόγῳ πλήθει, αὐξομένῳ μᾶλλον ἑκάστης ἡμέρας, οἷα χειμέρῳ· — οἱ δὲ τῷ Καίσαρι στρατευσάμενοί τε καὶ ἐς κληρουχίας διῳρημένοι, συνέτρεχον ἐκ τῶν ἀποικιῶν ἐπὶ χάριτι τοῦ ἀνεψιοῦ, καὶ τὸν Καίσαρα ὠλοφύροντο, καὶ τὸν Ἀντώνιον ἐβλασφήμουν, οὐκ ἐπεξιόντα τηλικούτῳ μύσει· καὶ σφᾶς ἔλεγον, εἴ τις ἡγοῖτο, ἀμυνεῖν. Conf. Dio XLV. c. 12. Livius Epit. 117. Velleius II. c. 61. 1. *Torpebat oppressa dominatione Antonii civitas. Indignatio et dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat, quum C. Caesar,* XVIII. [rect. XX. v. ad a. 691. 17.] *annum ingressus, mira ausus ac summa consecutus, privato consilio maiorem senatu pro republica animum habuit. Primumque a Calatia, mox a Casilino, veteranos excivit paternos. Quorum exemplum secuti alii, brevi in formam iusti coiere exercitus.*

(27) Quem Octavii conatum Cicero, perspecta adolescentis mente, auctoritate sua approbavit, eumque currentem, ut dicitur, incitavit. IX. c. 39. 112.

Cic. ad Att. XV. 12. 2. *Octaviano, ut perspexi, satis ingenii, satis animi; videbaturque erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos vellemus, animatus. — Alendus est; et, ut nihil aliud, ab Antonio seiungendus.* Ibid. XVI. 11. 6. *Ab Octaviano quotidie litterae, ut negotium susciperem, Capuam venirem, iterum rempublicam servarem; Romam utique statim. — Egit sane strenue, et agit. Romam veniet cum manu magna —. Puero municipia mire favent.* Id. ad Cornificium (ad Fam. XII. 23. 2.) *Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. Quod ni ita pu-*

tarem, ipse perscriberem, in primisque Caesaris Octaviani conatum —. Magna spes est in eo. Nihil est, quod non existimatur laudis et gloriae caussa facturus. Id. Philipp. v. c. 16. 45. *Demus igitur imperium Caesari: sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. Sit pro praetore eo iure, quo qui optimo.* Dio XLV. c. 15. 4. *Τόν τε Καίσαρα ἐθεράπευε (ὁ Κικέρων), καὶ πᾶν ὅσον ἐδύνατο καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ τούτῳ τε ἐβοήθει καὶ ἐκεῖνον (τὸν Ἀντώνιον) ἐκάκου.* Plutarch. Cic. c. 45. 2. *Τοῦ δὲ Κικέρωνος ἀκμὴν ἔσχεν ἡ δύναμις ἐν τῇ πόλει τότε μεγίστην, καὶ κρατῶν ὅσων ἐβούλετο τὸν μὲν Ἀντώνιον ἐξέκρουσε καὶ κατεστασίασε — Καίσαρι δὲ ῥαβδούχους καὶ στρατηγικὸν κόσμον, ὡς δὴ προπολεμοῦντι τῆς πατρίδος, ἔπεισε ψηφίσασθαι τὴν σύγκλητον.* Id. Anton. c. 17. 1. *Τῶν δ' ἐν τῇ πόλει Κικέρων μέγιστον δυνάμενος καὶ παροξύνων ἐπὶ τὸν Ἀντώνιον ἅπαντας ἀνθρώπους τέλος ἔπεισε τὴν βουλὴν ἐκεῖνον μὲν πολέμιον ψηφίσασθαι, Καίσαρι δὲ ῥαβδουχίαν πέμψαι καὶ στρατηγικὰ κόσμια.*

(28) Antonius magno comitatu Urbem ingreditur, minatus dominis se omnia suis esse divisurum. IX. c. 40. 113.

Cic. ad Att. XVI. 8. 1. *Kal. (Novembr.) vesperi litterae mihi ab Octaviano. — Misit ad me Caecinam quemdam Volaterranum, familiarem suum, qui haec pertulit: Antonium cum legione Alaudarum ad Urbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem sub signis ducere.* Id. ad Trebonium (ad Fam. X. 28. 3.) *Puer egregius Caesar; de quo spero equidem reliqua. Hoc vero certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripsisset, legionesque duae de exercitu Antonii ad eius se auctoritatem contulissent, atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis praeterituruum fuisse.* Id. Philipp. IV. c. 2. 4. *Quis est enim, qui hoc non intelligat, nisi Caesar exercitum paravisset, non sine exitio nostro futurum Antonii reditum fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio vestri — ut nihil, nisi de reipublicae pernicie cogitaret.* Id. Philipp. III. c. 2. 4. *Quis enim est tam ignarus rerum, tam nihil de republica cogitans, qui hoc non intelligat: si M. Antonius a Brundisio cum iis copiis, quas se habiturum putabat, Romam, ut minabatur, venire potuisset, nullum genus eum crudelitatis praeterituruum fuisse? — Hac ille crudelitate imbutus, quum multo bonis omnibus veniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat; cui tandem nostrum, aut cui omnino bono pepercisset?* Id. Philipp. v. c. 16. 42. *Advolabat ad Urbem a Brundisio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes bonos, cum exercitu, Antonius.* Appian. B. C. III. c. 45. *Αὐτὸς (ὁ*

Ἀντώνιος) δ' ἐπιλεξάμενος ἐκ πάντων στρατηγίδα σπεῖραν ἀνδρῶν ἀρίστων τά τε σώματα καὶ τὸν τρόπον, ὥδευεν ἐς Ῥώμην, ὡς ἐκεῖθεν ἐπὶ τὸ Ἀρίμινον ὁρμήσων. Ἐσῆει δὲ ἐς τὴν πόλιν σοβαρῶς, τὴν μὲν ἴλην πρὸ τοῦ ἄστεος στρατοπεδεύσας, τοὺς δ' ἀμφ' αὐτὸν ἔχων ὑποζωσμένους, καὶ τὴν οἰκίαν νυκτοφυλακοῦντας ἐνόπλους· συνθήματά τε αὐτοῖς ἐδίδοτο, καὶ αἱ φυλακαὶ παρὰ μέρος ἦσαν, ὡς ἐν στρατοπέδῳ.

(29) Ex legionibus vero istis Macedonicis legio Martia, Antonio relicto, ad Octavianum transiit; quam deinde imitata est legio Quarta, duce L. Egnatuleio quaestore. IX. c. 40. 113.

Cic. Phil. III. c. 3. 6. *Nec vero de legione Martia — sileri potest. Quis enim unus fortior, quis amicior umquam reipublicae fuit, quam legio Martia universa? Quae quum hostem populi Romani M. Antonium iudicasset, comes esse eius amentiae noluit: reliquit consulem. — Atque ea legio consedit Albae. — Huiusce legionis virtutem imitata Quarta legio, duce L. Egnatuleio quaestore, civi optimo et fortissimo, Caesaris auctoritatem atque exercitum persecuta est.* Ibid. IV. c. 2. 5. *Quid? legio Martia, quae mihi videtur divinitus ab eo deo traxisse nomen, a quo populum Romanum generatum accepimus, non ipsa suis decretis prius, quam senatus, hostem iudicavit Antonium? — Huius Martiae legionis legio Quarta imitata virtutem, duce L. Egnatuleio, — C. Caesaris exercitum persecuta est.* Conf. ibid. V. c. 2. 4. X. c. 10. 21. XI. c. 8. 20. XII. c. 3. 8. XIV. c. 12. 31. Velleius II. c. 61. 2. *Mox quum Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmarinis provinciis Brundisium venire iusserat, legio Martia et Quarta, cognita et senatus voluntate et tanta iuvenis indole, sublatis signis ad Caesarem se contulerunt.* Dio XLV. c. 13. 3. *Πορευόμενοι δὲ (οἱ στρατιῶται ἐν τῷ Βρεντεσίῳ) ἐς τὴν Γαλατίαν καὶ κατὰ τὸ ἄστυ γεγενημένοι ἐνεωτέρισαν, καὶ καταφρονήσαντες τῶν ὑποστρατήγων τῶν ἐπιτεταγμένων σφίσι συχνοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα μετέστησαν· καὶ τό γε Ἄρειον καὶ τὸ Τέταρτον στρατόπεδον ὠνομασμένον ὅλον αὐτῷ προσεχώρησεν.*

(30) Quo nuntio audito Antonius, quum senatum in Capitolium a. d. IV. Kal. Dec. [= 28 Novbr.] vocasset, valde perculsus confestim senatum dimisit et paludatus in Galliam citeriorem discessit. IX. c. 40. 114.

Cic. Phil. III. c. 8. 19. *Quum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset*

senatus frequens a. d. VIII. *Kalendas Decembres* [= 24 Novbr.]; *eo die ipse non adfuit.* — *Diem edicti obire neglexit: in ante diem quartum Kalendas Decembres distulit. Adesse in Capitolio iussit.* — *Scriptam attulerat consularis quidam sententiam.* — c. 9. 24. *Ac, ne sine caussa videretur edixisse, ut senatus adesset; quum de republica relaturus fuisset; allato nuntio de legione Quarta, mente concidit: et, fugere festinans, senatusconsultum de supplicatione per discessionem fecit, quum id factum esset antea numquam.* c. 10. *Quae vero profectio postea? quod iter paludati!* Appian. B. C. III. c. 45. *Συναγαγὼν δὲ τὴν βουλὴν, ὡς μεμψόμενος Καίσαρι περὶ τῶν πεπραγμένων, ἐσιὼν ἤδη, μανθάνει. τῶν τεσσάρων τελῶν τὸ καλούμενον Ἄρειον κατὰ τὴν ὁδὸν ἐς Καίσαρα μετατεθεῖσθαι. Καὶ αὐτῷ τὴν εἴσοδον ἐπισχόντι τε καὶ διαποροῦντι ἀγγέλλεται, καὶ τὸ καλούμενον Τέταρτον ὁμοίως τοῖς Ἀρείοις ἐς Καίσαρα μετατεθεῖσθαι. Διαταραχθεὶς οὖν εἰσῆλθε μὲν ἐς τὸ βουλευτήριον· ὡς δ', ἐφ' ἕτερα αὐτοὺς συναγαγών, μικρὰ διελέχθη, καὶ αὖθις ἐπὶ τὰς πύλας ἐχώρει, καὶ ἀπὸ τῶν πυλῶν ἐπὶ Ἄλβην πόλιν, ὡς μεταπεισων τοὺς ἀποστάντας. Βαλλόμενος δ' ἀπὸ τοῦ τείχους, ἀνέστρεφε· καὶ τοῖς ἄλλοις τέλεσι προσέπεμπεν ἀνὰ πεντακοσίας δραχμὰς ἑκάστῳ· καὶ σὺν οἷς εἶχεν αὐτὸς ἐς Τίβυρον ἐξῆλθε, σκευὴν ἔχων τὴν συνήθη τοῖς ἐπὶ τοὺς πολέμους ἐξιοῦσι. Καὶ γὰρ ἤδη σαφὴς ἦν ὁ πόλεμος, Δέκμου τὴν Κελτικὴν οὐ μεθιέντος.* — c. 46. *Ὁ μὲν δὴ — ἐς τὸ Ἀρίμινον προσέπεμπετο, ὅθεν ἐστὶν ἡ τῆς Κελτικῆς ἀρχή.*

(31) Post Antonii discessum, Cicero, qui aliquantum temporis commoratus erat in villis, a. d. v. Id. Decemb. [= 9 Decemb.] in Urbem rediit. Et quum novi tribuni a. d. XIII. Kal. Ianuar. [= 20 Decemb.] senatum convocassent, ut de praesidio Hirtii et Pansae ageretur, ipse sententiam rogatus ea dixit, quae complexus est *Philippica tertia.* Censuit autem res eas, quas Octavianus Caesar egisset, publica auctoritate confirmandas; legiones, quae Antonium deseruissent, laudandas; Dec. Brutum, qui se Antonio in Gallia obiecisset, ornandum. Tum Scto in hanc sententiam facto Cicero, in concionem productus, populo, quae acta et decreta essent, exposuit *Philippica quarta.*

Cic. ad Brutum (ad Fam. XI. 5. 1.) *Lupus, familiaris noster, quum a te venisset, quumque Romae quosdam dies commoraretur, ego eram in iis locis, in quibus maxime tuto me esse arbitrabar. — Romam autem veni a. d. quintum Idus Decembris.* Ibid. 6. 2. *Quum tribuni plebis edixissent, senatus adesset a. d. XIII. Kal. Ian. haberentque in animo de praesidio consulum designatorum referre; quamquam statueram in senatum ante Kal. Ian. non venire; tamen, quum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in rempublicam meritis sileretur, (quod factum esset, nisi ego venissem) aut, etiamsi quid de te honorifice diceretur, me non adesse. Itaque in senatum veni mane. — Quae de te in senatu egerim* [Philipp. III.], *quae in concione maxima dixerim* [Philipp. IV.], *aliorum te litteris malo cognoscere.* Id. ad Cornificium (ad Fam. XII. 22. 3.) *A. d. XIII. Kalendas Ianuar. senatus frequens mihi est assensus, quum de ceteris rebus magnis et necessariis, tum de provinciis ab iis, qui obtinerent, retinendis neque cuiquam tradendis, nisi qui ex senatusconsulto successisset.* Ibid. 25. a. 2. *Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, et cunctantibus ceteris a. d. XIII. Kal. Ian. fundamenta ieci reipublicae, eo ipso die providi multum atque habui rationem dignitatis tuae. Mihi enim est assensus senatus de obtinendis provinciis.* Id. ad Trebonium (ad Fam. X. 28. 1.) *Ut primum post Antonii foedissimum discessum senatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reverti pristinum —. Nam quum senatum a. d. XIII. Kalendas Ianuarias tribuni plebis vocavissent, deque alia re referrent; totam rempublicam sum complexus egique acerrime, senatumque iam languentem et defessum ad pristinam virtutem consuetudinemque revocavi magis animi, quam ingenii viribus. Hic dies meaque contentio atque actio spem primum populo Romano attulit libertatis recuperandae.* Velleius II. c. 62. 1. *Omnia ante, quam fugaretur Antonius, honorifice a senatu in Caesarem exercitumque eius decreta sunt, maxime auctore Cicerone.* Conf. Cic. Philipp. V. c. 1. 2. c. 11. 28 sq. VI. c. 1. 1 sq. X. c. 11. 23. XIV. c. 7. 19. Dio XLV. c. 15.

(32) Antonius in Galliam profectus circumsidet Mutinam oppugnatque Brutum, qui, ut ipsi obsisteret, eo se contulerat. IX. c. 40. 114. c. 42. 118.

Velleius II. c. 60. 4. *Omnia pretio temperata, vendente rempublicam consule. Idem provinciam D. Bruto designato consuli decretam, Galliam occupare statuit.* Liv. Epit. 117. *D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit.*

Florus IV. c. 4. *Parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum obsidebat.* Cic. Philipp. VII. c. 5. 15. *Quanta erit illa reipublicae turpitudo — dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium? — qui Mutinam, coloniam populi Romani firmissimam, oppugnarit, imperatorem populi Romani, consulem designatum, obsederit, depopulatus agros sit.* Ibid. VIII. c. 2. 5. *Sed quid plura? D. Brutus oppugnatur: non est bellum? Mutina obsidetur: ne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur: quae potest pax esse certior?* Appian. B. C. III. c. 49. Ὁ δ' Ἀντώνιος — τὴν Μουτίνην ἀπετάφρευέ τε καὶ ἀπετείχιζε. Καὶ Δέκμος μὲν ἐπολιορκεῖτο. Dio XLVI. c. 35. 2. Ἐπολιόρκει μὲν ὁ Ἀντώνιος τὸν Δέκιμον ἐν τῇ Μουτίνῃ ὄντα, ὡς μὲν τἀληθὲς εἰπεῖν, ὅτι οὐ παρῆκεν αὐτῷ τὴν Γαλατίαν, ὡς δ' αὐτὸς ἐπλάττετο, ὅτι τῶν τοῦ Καίσαρος σφαγέων ἐγεγόνει. Zonaras X. c. 14.

(33) Ante finem anni alter quoque consul, Dolabella, Romam reliquit et in Asiam irrupit. IX. c. 42. 118.

Velleius II. c. 60. 5. *Dolabella transmarinas (provincias) decrevit sibi.* Dio XLV. c. 15. 2. Ἤδη ὅ τε ἐνιαυτὸς ἐξῆλθε καὶ ὕπατος οὐδεὶς παρῆν· ὁ γὰρ Δολοβέλλας ἐς τὴν Συρίαν ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου προεξεπέπεμπτο. Id. XLVII. c. 29. 1. Οὗτος γὰρ ἐτέταχτο μὲν τῆς Συρίας ἄρχειν καὶ τὴν ἔξοδον ὑπατεύων ἐποιεῖτο. Cic. ad Cassium (ad Fam. XII. 4. 2.) *Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non insulsis, quod tibi tam cito succederet, quum tu vixdum triginta dies in Syria fuisses. Itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere.*

ANNUS VITAE CICERONIS LXIV.

a. U. C.	Coss. C. VIBIUS PANSA.	a. A. C.
711.	A. HIRTIUS.	43.

(1) Kal. Ianuariis consules, convocato in Capitolium senatu, non solum de Mutinae obsidione retulerunt, sed omnino de tota republica deque honoribus bene de republica meritorum, de quibus a. d. XIII. Kal. Ian. [= 20 Decbr.] SCtum factum erat [v. ad a. 710. 31.]. Quum alii legatos ad Antonium mittendos censuissent, Cicero habuit

Philippicam quintam; in qua legationem istam ut senatus et populi Romani maiestate indignam dissuasit et, hostis ut iudicaretur Antonius, incubuit. IX. c. 41. 115.

Cic. Phil. V. c. 1. 1. *Nihil umquam longius his Kalendis Ian. mihi visum est, P. C.* c. 11. 28. *Ante diem* XIII. *Kalendas Ian.* [= 20 Decemb.] — *constituistis, ut haec ad vos Kalend. Ian. referrentur, quae referri videtis, de honoribus et praemiis bene de republica meritorum et merentium.* Ibid. VI. c. 1. 2. *Ita Kalendis Ian. veni in senatum, ut meminissem, quam personam impositam a vobis sustinerem. Itaque bellum nefarium illatum reipublicae quum viderem, nullam moram interponendam insequendi M. Antonium putavi: hominemque audacissimum, qui, multis nefariis rebus ante commissis, hoc tempore imperatorem populi Romani oppugnaret, coloniam vestram fidissimam fortissimamque obsideret, bello censui persequendum: tumultum esse decerni, iustitium edici, saga sumi dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas reipublicae iniurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta a senatu viderent.* Dio XLV. c. 17. 1. *Αὖλον δὲ δὴ Ἱρτίου μετὰ Γαΐου Οὐιβίου ὑπατεύσαντος — βουλή τε ἐγένετο καὶ γνῶμαι ἐπὶ τρεῖς ἐφεξῆς ἡμέρας, ἀπ' αὐτῆς τῆς νουμηνίας ἀρξάμεναι, προετέθησαν.* — 9. *καὶ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις ἐβουλεύσαντό τε, καὶ εἶπον ἄλλοι τε ἐφ' ἑκάτερα πολλοὶ καὶ ὁ Κικέρων ὧδε·* (c. 18—47.) Id. XLVI. c. 1. 1. *Τοιαῦτα μὲν τοῦ Κικέρωνος εἰπόντος, ὁ Καλῆνος ὁ Κύιντος ὁ Φούφιος ἀνέστη καὶ ἔλεξεν·* (c. 1—28.) Ibid. c. 29. 1. *Τοιαῦτα τοῦ Καλήνου εἰπόντος, ὁ Κικέρων οὐκ ἤνεγκεν. — ὥστε τὴν ἡμέραν ἐκείνην — μάτην κατατριβῆναι.* Appian. B. C. III. c. 50. *Ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὴν ἐτήσιον νουμηνίαν ὕπατοι γενόμενοι Ἱρτιός τε καὶ Πάνσα τὴν βουλὴν εὐθὺς ἐπὶ ταῖς θυσίαις ἐν αὐτῷ τῷ ἱερῷ συνῆγον ἐπὶ Ἀντωνίῳ. Κικέρων μὲν δὴ καὶ οἱ Κικέρωνος φίλοι πολέμιον αὐτὸν ἠξίουν ἤδη ψηφίσασθαι —. Λεύκιος δὲ Πείσων, ὁ τῷ Ἀντωνίῳ τὴν ἀποδημίαν ἐπιτροπεύων, — ὅσοι τε ἄλλοι τῷ Πείσωνι δι' αὐτὸν ἢ δι' Ἀντώνιον ἢ κατ' οἰκείαν γνώμην προσετίθεντο, καλεῖν αὐτὸν ἐς κρίσιν ἠξίουν —. Ἡ δὲ βουλὴ, τότε μὲν ἀχρεῖμαλοι ταῖς γνώμαις ἐς νύκτα περιῆλθον.* Zonaras X. c. 14.

(3) Pridie tamen Non. Ian. [= 4 Ianuar.] factum est, invito Cicerone, SCtum, ut Ser. Sulpicius, L. Piso et L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiscerentur eique denunciarent, ne D. Brutum oppugnaret, ne delectus

haberet; et ut esset in S. P. Q. R. potestate. De eo Scto Cicero, in concionem productus ab Appuleio trib. pl., ad populum retulit *Philippica sexta.* IX. c. 41. 115.

Cic. Phil. VI. c. 1. 1. *Audita vobis esse arbitror, Quirites, quae sint acta in senatu —. Res enim ex Kal. Ian. agitata, paullo ante confecta est —. Quamobrem, quod quaesivit ex me P. Appuleius — ita respondebo, ut ea, quibus non interfuistis, nosse possitis. — Sententia (mea, quam dixi Kal. Ian.) sic per triduum valuit, ut, quamquam discessio facta non esset, tamen, praeter paucos, omnes mihi assensuri viderentur. Hodierno autem die, nescio qua obiecta re, remissior senatus fuit. Nam plures eam sententiam secuti sunt, ut, quantum senatus auctoritas vesterque consensus apud Antonium valiturus esset, per legatos experiremur.* Ibid. VII. c. 1. 1. *Non sine caussa legatorum istam missionem semper timui, numquam probavi.* c. 4. 13. *At legatos misimus. Heu, me miserum! cur senatum cogor, quem laudavi semper, reprehendere? Quid? vos censetis, P. C., legatorum missionem populo Romano vos probavisse? non intelligitis, non auditis, meam sententiam flagitari? cui quum pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis devoluti.* c. 8. 22. *Quid ego de universo populo Romano dicam? qui pleno ac referto foro bis* [quum quartam et sextam orationem habuit] *me una mente atque voce in concionem vocavit.* Ibid. VIII. c. 7. 21. *Equidem quum antea legatos decerni non censuissem, hoc me tamen consolabar, quod* cet. Ibid. XII. c. 5. 11. *Missi legati repugnante me: sed tamen missi. Delata mandata: non paruit. Denuntiatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet: oppugnavit etiam vehementius.* Dio XLVI. c. 29. 2. Τῇ δ' οὖν ὑστεραίᾳ καὶ τῇ τρίτῃ πολλῶν καὶ ἄλλων ἐφ' ἑκάτερα λεχθέντων ἐκράτησαν οἱ τὰ τοῦ Καίσαρος πράττοντες. — 4. πρός τε τὸν Ἀντώνιον πρεσβείαν ἔπεμψαν κελεύσουσάν οἱ τά τε στρατόπεδα καὶ τὴν Γαλατίαν ἀφεῖναι καὶ ἐς τὴν Μακεδονίαν ἀπελθεῖν. καὶ τοῖς συστρατευομένοις αὐτῷ προεῖπον οἴκαδε ἐντὸς ῥητῆς ἡμέρας ἀναχωρῆσαι, ἢ εἰδέναι ὅτι ἐν πολεμίων μοίρᾳ γενήσονται. Appian. B. C. III. c. 50. Ἅμα δ' ἕῳ [= 2 Ian.] περὶ τῶν αὐτῶν ἐς τὸ βουλευτήριον συνελέγοντο· ἔνθα, τῶν Κικερωνείων ἐπιβαρούντων, ἐψηφίσθη ἂν ὁ Ἀντώνιος πολέμιος, εἰ μὴ τῶν δημάρχων Σαλούιος ἐς τὴν ἐπιοῦσαν [= 3 Ian.] ἐκέλευσεν ἀναβάλεσθαι. — c. 51. Ἀναβάλλονται δὲ τὴν ψῆφον ὡς ὁ δήμαρχος ἐκέλευεν, ἐψηφίσαντο ὅμως, Δέκμον τε ἐπαινέσαι, οὐκ ἐκτάντα Ἀντωνίῳ τῆς Κελτικῆς, κτέ. — Οἱ μὲν δὴ ταῦτα ψηφισάμενοι, διελύθησαν, ὡς τὸν Ἀντώνιον ἔργῳ διὰ τῶνδε εἰδέναι πολέμιον

ἐψηφισμένον, καὶ τὸν δήμαρχον ἐς τὴν ἐπιοῦσαν οὐδὲν ἔτι ἀντιφοῦντα. — Καὶ μεθ' ἡμέραν [= 4 Ian.] *— ὁ Κικέρων ἐβουλεύσατο ὧδε·* (c. 52—53.) Ibid. c. 54. *Ταῦτ' ἔτι τοῦ Κικέρωνος λέγοντος, οἱ φίλοι θορυβοῦντες ἀπαύστως οὐδενὶ ἀντεισπεῖν ἐπέτρεπον· μέχρι Πείσωνος αὐτοῦ παρελθόντος, ᾗ τε ἄλλῃ βουλῇ κατὰ αἰδῶ τοῦ ἀνδρὸς ἡσύχασε, καὶ οἱ τοῦ Κικέρωνος ἠνέσχοντο, καὶ ἔλεγεν ὁ Πείσων·* (c. 54—60.) Ibid. c. 61. *Ὧδε μὲν ὁ Πείσων ἀπελογεῖτο, καὶ ὠνείδιζεν ὁμοῦ καὶ ἐφόβει. — Ἐψηφίσαντο δ' Ἀντωνίῳ προαγορεῦσαι, Μακεδονίαν ἀντὶ τῆς Κελτικῆς ἔχειν· τὰς δὲ ἄλλας ἐντολὰς, εἴτε λαθόντες, εἴτ' ἐξεπίτηδες, Κικέρωνα συγγράψαι τε καὶ δοῦναι τοῖς πρεσβεύουσι προσέταξαν.*

(3) Paullo post, certe ante Lupercalia [= 15 Febr.], reversis nondum legatis, quum Pansa consul de Appia via et de Moneta, unus autem tribunus plebis de Lupercis consuluisset, Cicero in sententia dicenda egressus est relationem et Oratione *Philippica septima* pacem cum Antonio tribus de caussis dissuasit, quia turpis esset, quia periculosa, quia esse non posset.

Cic. Philipp. VII. c. 1. 1. *Parvis de rebus, sed fortasse necessariis, consulimur, P. C. De Appia via et de Moneta consul, de Lupercis tribunus plebis refert. Quarum rerum etsi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat a sententia, suspensus curis maioribus. Adducta est enim, P. C. res in maximum periculum et extremum paene discrimen. Non sine caussa legatorum istam missionem semper timui, numquam probavi: quorum reditus quid sit allaturus, ignoro: exspectatio quidem quantum afferat languoris animis, quis non videt?* — c. 3. 7. *Itaque ego ille, qui semper pacis auctor fui — pacem cum M. Antonio esse nolo. — Cur igitur pacem nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quae tria dum explico, peto a vobis, P. C., ut eadem benignitate, qua soletis, mea verba audiatis.* cet. — c. 9. 26. *Quid enim legati egerint, nondum scimus.*

(4) Legati ad Antonium de pace missi, L. Piso et L. Philippus (tertius enim, Ser. Sulpicius, in legatione obierat), contempti sunt ab Antonio et intolerabilia postulata retulerunt. IX. c. 41. 115.

Livius Epit. 118. *M. Antonius D. Brutum Mutinae obsedit: missi-*

que ad eum a senatu legati de pace parum ad eam componendam valuerunt. Cic. ad Cassium (ad Fam. XII. 4. 1.) *Nihil foedius Philippo et Pisone, legatis, nihil flagitiosius: qui quum essent missi, ut Antonio ex senatus sententia certas res nuntiarent; quum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt.* Id. Philipp. VIII. c. 6. 17. *Qui intercurrerent, misimus tres principes civitatis. Hos contempsit, reiecit, repudiavit Antonius.* — c. 7. 22. *Utinam L. Caesar valeret, Servius Sulpicius viveret: multo melius haec caussa ageretur a tribus, quam nunc agitur ab uno.* — c. 8. 24. *An ego ab eo mandata acciperem, qui senatus mandata contemneret? aut ei cum senatu quidquam commune iudicarem, qui imperatorem populi Romani, senatu prohibente, obsideret? At quae mandata! qua arrogantia! quo stupore! quo spiritu!* cet. — c. 10. 23. *Haec tu mandata L. Piso, et tu, L. Philippe, principes civitatis, non dico animo ferre, verum auribus accipere potuistis? Sed, ut suspicor, terror erat quidam, nec vos ut legati apud illum fuistis, nec ut consulares: nec vos vestram nec reipublicae dignitatem tenere potuistis.* Dio XLVI. c. 30. 1. (Ἀντώνιος) ἄσμενος τῶν ἐψηφισμένων λαβόμενος αὐτίκα τε τοῖς πρέσβεσιν ἐξωνείδισεν ὡς οὔτ' ὀρθῶς οὔτ' ἴσως οἱ πρὸς τὸ μειράκιον, τὸν Καίσαρα λέγων, ἐχρήσαντο, καὶ ἀντιπέμψας ἑτέρους, ὅπως ἐς ἐκείνους τὴν αἰτίαν τοῦ πολέμου περιστήσῃ, ἀντιπροστείνατό τινα, ἃ αὐτῷ μὲν εὐπρέπειαν ἔφερεν, ἀδύνατα δ' ἦν καὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων τῶν συναιρομένων οἱ πραχθῆναι. Appian. B. C. III. c. 62. Οἱ δ' ἐς τὸν Ἀντώνιον ἀπεσταλμένοι πρέσβεις, αἰδούμενοι τῶν ἐντολῶν τὸ ἀλλόκοτον, οὐδὲν μὲν ἔφασαν, αὐτὰς δ' ἐπέδοσαν αὐτῷ. Καὶ ὁ Ἀντώνιος σὺν ὀργῇ πολλὰ ἔς τε τὴν βουλὴν καὶ τὸν Κικέρωνα ἀπερρίπτει· κτέ.

(5) Relatis Romam Antonii postulatis senatus, quum belli nomen nonnullis haud placuisset, tumultum decernendum censuit. Postridie habito iterum senatu Cicero eam lenitatem reprehendit *Philippica octava*, qua Fufium quoque Calenum de pace agentem aliosque Antonio faventes obiurgavit. Quae Oratio certe ante Idus Martias habita est.

Cic. Philipp. VIII. c. 1. 1. *Confusius hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consulatus tui.* — *Nam quum senatus ea virtus fuisset, quae solet, et quum re viderent omnes esse bellum, quidamque id bellum removendum arbitrarentur, tua voluntas in discessione fuit ad lenitatem propensior. Victa est igitur propter*

verbi asperitatem, te auctore, nostra sententia. — At in quo fuit controversia? Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant: tumultum appellare malebant. — c. 6. 19. *Excogitare, quae tua ratio sit, Calene, non possum. Antea deterrere te, ne popularis esses, non poteramus: exorare nunc, ut sis popularis, non possumus. —* c. 7. 20. *Venio nunc ad reliquos consulares. — Quam hesternus dies nobis, consularibus dico, turpis illuxit! —* c. 11. 23. *Quas ob res ita censeo: Eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, et aut ad A. Pansam aut ad C. Hirtium, consules, aut ad Decimum Brutum, imperatorem, consulem designatum, aut ad C. Caesarem, pro praetore, ante Idus Martias primas adierint, iis fraudi ne sit, quod cum Antonio fuerint.* Dio XLVI. c. 29. 1. Ὕστερον δὲ οὐ πολλῷ, πρὶν καὶ τὴν γνώμην αὐτοῦ (Ἀντωνίου) μαθεῖν, ταραχήν τε εἶναι ἐψηφίσαντο καὶ τὴν ἀσθῆτα τὴν βουλευτικὴν ἀπεδύσαντο. Zonaras X. c. 14.

(6) Paullo post quum consul Pansa ad senatum referret de honore Ser. Sulpicii, qui in legatione antequam senatus mandata exponeret, obierat, Cicero Sulpicium sepulcro publico et statua quoque ornandum censuit *Philippica nona.*

Cic. Phil. IX. c. 1. 1. *Vellem, dii immortales fecissent, P. C., ut vivo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus, quam honores mortuo quaereremus. — Quod si cuiquam iustus honos habitus est in morte legato, in nullo iustior, quam in Ser. Sulpicio, reperietur. — Qui quum ita affectus esset, ut, si ad gravem valetudinem labor accessisset, sibi ipse diffideret; non recusavit, quominus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicae ferre posset, experiretur. Itaque non illum vis hiemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingravescens retardavit: quumque iam ad congressum colloquiumque eius pervenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura et meditatione obeundi sui muneris excessit e vita. —* c. 5. 10. *Reddite igitur, P. C., ei vitam, cui ademistis. Vita enim mortuorum in memoria vivorum est posita. Perficite, ut is, quem vos ad mortem inscii misistis, immortalitatem habeat a vobis. Cui si statuam in Rostris decreto vestro statueritis, nulla eius legationem posteritatis obscurabit oblivio. —* c. 6. 14. *Sed statuae intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est —. Augeatur igitur isto honore etiam is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest. Grati simus in eius morte decoranda, cui*

nullam iam aliam gratiam referre possumus. Sext. Pomponius de Orig. Iuris § 43. *Hic quum in legatione periisset, statuam ei populus Romanus pro Rostris posuit: et hodieque exstat pro Rostris Augusti. Huius volumina complura exstant: reliquit autem prope centum et octoginta libros.* De Sulpicii laudibus vide recentiorum scripta, quae citavimus ad a. 709. 5.

(7) M. Brutus, qui anno superiore ex Italia in Graeciam profectus erat, quum Athenas venisset, adolescentes nobiles Romanos, quorum magna multitudo illic bonarum artium caussa erat, sibi adiunxit; in quibus fuit M. Cicero filius, quo Brutus in Macedoniam transgressus legato usus, multa feliciter gessit.

Pseudo-Brutus ad Cicer. II. 3. *Cicero, filius tuus, sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus numquam dimittere videatur cogitationem, cuius sit filius.* Pseudo-Cicero ad Brut. II. 7. 6. *Ciceronem meum, mi Brute, velim quam plurimum tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quam contemplationem atque imitationem tui.* XIII. *Kal. Maii.* Plutarch. Brut. c. 24. 1. *Ἀναχθεὶς δ' ὁ Βροῦτος ἐκεῖθεν ἐπ' Ἀθηνῶν ἔπλει. — Ἔπραττε δὲ τὰ πρὸς τὸν πόλεμον ἀνυπόπτως. Καὶ γὰρ εἰς Μακεδονίαν ἔπεμψεν Ἡρόστρατον οἰκειούμενος τοὺς ἐπὶ τῶν ἐκεῖ στρατοπέδων, καὶ τοὺς σχολάζοντας ἀπὸ Ῥώμης ἐν ἄστει νέους ἀνελάμβανε καὶ συνεῖχεν. Ἦν ἦν καὶ Κικέρωνος υἱός, ὃν ἐπαινεῖ διαφερόντως καὶ φησιν, εἴτ' ἐγρήγορεν εἴτ' ἐνυπνιάζεται, θαυμάζειν οὕτω γενναῖον ὄντα καὶ μισοτύραννον.* Conf. Appian. B. C. III. c. 79. IV. c. 57 sqq. Dio XLVII. c. 20 sq.

(8) Quibus de rebus quum Pansa consul M. Bruti (s. Q. Caepionis Bruti) litteras publice missas in senatu recitasset et Brutum laudibus ornasset, Q. Fufius Calenus in eum fuit iniquior. Itaque Cicero rogatus sententiam *Philippica decima* Calenum refutavit, et Q. Hortensio, Macedoniae proconsuli, qui Brutum in comparando exercitu adiuverat, huius provinciae administrationem confirmandam esse censuit.

Cic. Philipp. X. c. 1. 1. *Maximas tibi, Pansa, gratias omnes et habere et agere debemus: qui, — ut M. Bruti — litteras accepisti,*

ne minimam quidem moram interposuisti, quin quam primum maxime gaudio et gratulatione frueremur. Quum factum tuum gratum omnibus debet esse, tum vero oratio, qua, recitatis litteris, usus es. — Itaque mihi — minus multa de illo dicenda sunt. — Sed mihi, P. C., necessitatem attulit paullo plura dicendi sententia eius, qui rogatus est ante me. — Quae est enim ista tua ratio, Calene, quae mens, ut numquam post Kalendas Ian. idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? — c. 3. 7. Vos autem, P. C., si M. Brutum deseruerit is et prodideritis, quem tandem civem umquam ornabitis, cui favebitis? — c. 4. 9. Si enim C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset, (potuisset autem, nisi eius sceleri virtus M. Bruti obstitisset,) Macedoniam, Illyricum, Graeciam perdidissemus: esset vel receptaculum pulso Antonio vel agger oppugnandae Italiae Graecia: quae quidem nunc, M. Bruti imperio, auctoritate, copiis non instructa solum, sed etiam ornata, tendit dextram Italiae, suumque ei praesidium pollicetur. — c. 6. 13. Delectus habitus in Macedonia est summo Q. Hortensii studio et industria: cuius animum egregium dignumque et ipso et maioribus eius ex Bruti litteris perspicere potuistis. — c. 11. 25. Quae quum ita sint; quod C. Pansa, consul, verba fecit de litteris, quae a Q. Caepione Bruto, proconsule, allatae et in hoc ordine recitatae sunt, de ea re ita censeo: cet. Dio XLVII. c. 21. 2. *Βροῦτος δὲ τήν τε Ἑλλάδα καὶ τὴν Μακεδονίαν συνίστη. — 4. ἐς δὲ δὴ τὴν Μακεδονίαν ἦλθε μὲν ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἐν ᾧ ὅ τε Ἀντώνιος ὁ Γάιος ἄρτι ἀφῖκτο καὶ Κόιντος Ὁρτήσιος ὁ προάρξας αὐτῆς ἀπαλλαγήσεσθαι ἔμελλεν, οὐ μέντοι καὶ πρᾶγμά τι ἔσχεν. οὗτός τε γὰρ εὐθὺς αὐτῷ προσεχώρησε, καὶ ὁ Ἀντώνιος κωλυθεὶς κατὰ τὴν τοῦ Καίσαρος ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπικράτησιν πρᾶσσειν τι τῶν τῇ ἀρχῇ προσηκόντων ἀσθενὴς ἦν. — c. 22. 1. Πρᾶξας δὲ ταῦτα, καὶ τήν τε Μακεδονίαν μετὰ τοῦτο πᾶσαν καὶ τὴν Ἤπειρον προσλαβών, ἐπέστειλε τῇ γερουσίᾳ, τά τε πραχθέντα οἱ δηλῶν καὶ ἑαυτὸν τά τε ἔθνη καὶ τοὺς στρατιώτας ἐπ' αὐτῇ ποιούμενος. οἱ δὲ (ἔτυχον γὰρ ὑπόπτως ἤδη πρὸς τὸν Καίσαρα ἔχοντες) ἰσχυρῶς τε αὐτὸν ἐπῄνεσαν καὶ πάντων τῶν ἐκεῖ χωρίων ἄρχειν ἐκέλευσαν.* Conf. Appian. B. C. III. c. 79. Plutarch. Brut. c. 25 sq.

(9) C. Trebonium, qui Asiam provinciam obtinebat, P. Dolabella in Syriam proficiscens, post collocutiones familiares cum eo habitas, falsaque et simulata benivolentia eum complexus, Smyrnae oppresserat, captumque Samia-

rio exsuli tradiderat. Post cervicibus fractis caput absciderat idque adfixum gestari iusserat in pilo, reliquum corpus tractum atque laniatum in mare abiecerat. Quo scelere Romam nuntiato, Dolabella hostis a senatu iudicatus est. IX. c. 42. 118 sqq.

Cic. Phil. XI. c. 1. 1. *Magno in dolore sum, P. C. vel maerore potius, quem ex crudeli et miserabili morte C. Trebonii, optimi civis moderatissimique hominis, accepimus* —. c. 11. 29. *Quum P. Dolabella, quique eius crudelissimi et taeterrimi facinoris ministri, socii, adiutores fuerunt, hostes populi Romani a senatu iudicati sint:* cet. Ibid. XIII. c. 10. 23. *Quid ingemiscis, hostem Dolabellam iudicatum?* cet. c. 18. 39. *Trebonii (mortem) satis persecuti sumus, hoste iudicato Dolabella.* Cassius ad Cicer. (ad Fam. XII. 12. 1.) *Scripsi etiam ad senatum litteras, quas reddi vetui prius, quam tibi recitatae essent; si forte mei obtemperare mihi voluerint. Quod si litterae perlatae non sunt, non dubito, quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio occiso, Asiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit litterasque interceperit.* — *Nonis Maiis, ex castris.* Lentulus ad Cicer. (ad Fam. XII. 14. 5.) *Quod Trebonii morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellae,* — *id consequi et reficere volo.* — *D. IV. Kalend. Iun.* Lentulus ad Senatum (ad Fam. XII. 15. 4.) *Post Trebonii indignissimam caedem ceteraque tot tamque nefaria facinora, binae profectae erant ad Dolabellam legationes* —. *Quarto Nonas Iunias.* Dio XLVII. c. 29. 1. Οὗτος (ὁ Δολοβέλλας) ἐτέταχτο μὲν τῆς Συρίας ἄρχειν καὶ τὴν ἔξοδον ὑπατεύων ἐποιεῖτο, χρόνιος δὲ διά τε τῆς Μακεδονίας καὶ διὰ τῆς Θρᾴκης ἐς τὴν Ἀσίαν τὸ ἔθνος κομισθεὶς καὶ ἐκεῖ ἐνδιέτριψεν. ἐπειδή τε ἐνταῦθα ἔτι ὄντι αὐτῷ τὸ δόγμα ἠγγέλθη, πρὸς μὲν τὴν Συρίαν οὐ προεχώρησεν, αὐτοῦ δὲ δὴ καταμείνας τὸν Τρεβώνιον οὕτω μετεχειρίσατο ὥστε δόξαν οἱ εὐνοίας πλείστην παρασχεῖν, καὶ τήν τε τροφὴν τοῖς στρατιώταις παρ' ἑκόντος αὐτοῦ λαβεῖν καὶ τὴν δίαιταν ἀδεῶς σὺν αὐτῷ ποιεῖσθαι. ἐπειδή τε ἔν τε τῷ θαρσοῦντι διὰ ταῦτ' ἐγένετο καὶ φυλακὴν οὐδεμίαν ἑαυτοῦ ἐποιεῖτο, τήν τε Σμύρναν, ἐν ᾗ ἦσαν, νυκτὸς ἐξαπιναίως κατέλαβε, καὶ ἐκεῖνον ἀποκτείνας τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ πρὸς τὴν τοῦ Καίσαρος εἰκόνα ἔρριψε, κἀκ τούτου πᾶσαν τὴν Ἀσίαν κατέσχεν. Conf. Appian. B. C. III. c. 26.

(10) Deinde quum in senatu ageretur de imperatore deligendo, qui Dolabellam bello persequeretur, Cicero habuit

Philippicam undecimam, qua C. Cassium deligendum esse demonstravit.

Cic. Phil. XI. c. 10. 26. *Expedito nobis homine et parato*, P. C., *opus est, et eo, qui imperium legitimum habeat: qui praeterea auctoritatem, nomen, exercitum, perspectum animum in republica liberanda.* c. 11. *Quis igitur is est? Aut M. Brutus, aut C. Cassius aut uterque. Decernerem plane, sicut multi, consulem alterum ambove, ni Brutum colligassemus in Graecia* cet. — c. 12. 28. *Quid? C. Cassius, puri magnitudine animi et consilii praeditus, nonne ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam?* — c. 12. 29. *Sed ut vestra quoque auctoritate firmetur, censeo: Quum P. Dolabella, quique eius crudelissimi et taeterrimi facinoris ministri, socii, adiutores fuerunt, hostes populi Romani a senatu iudicati sint; quumque senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit, ut is, qui omnia deorum hominumque iura novo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit, nefarioque patriae se parricidio obstrinxerit, poenas diis hominibusque meritas debitasque persolvat: senatui placere, C. Cassium proconsulem provinciam Syriam obtinere, uti, qui eam optimo iure provinciam obtinuerit: eumque a Q. Marcio Crispo proconsule, L. Statio Murco proconsule, A. Allieno legato exercitu accipere, eosque ei tradere: cumque his copiis, et si quas praeterea paraverit, bello P. Dolabellam terra marique persequi.* cet. Dio XLVII. c. 29. 4. *Πυθόμενοι δὲ ταῦτα οἱ ἐν οἴκῳ Ῥωμαῖοι πόλεμον αὐτῷ ἐπήγγειλαν. — καὶ τοῖς τε συνοῦσιν οἱ ῥητῆν ἡμέραν ἐς ἔκλειψιν τῆς φιλίας αὐτοῦ προεῖπον, ἵνα μὴ καὶ ἐκεῖνοι ἐν ἐχθρῶν μοίρᾳ γένωνται, καὶ τὴν ἀντίταξιν τόν τε πόλεμον τὸν πρὸς αὐτὸν τὸ μὲν σύμπαν τοῖς ὑπάτοις προσέταξαν, ἐπειδὰν τὰ παράντα κατορθώσωσι, ποιήσασθαι (τὸν γὰρ Κάσσιον οὐδέπω τὴν Συρίαν ἔχοντα ἤδεσαν), ἵνα δὲ μὴ ἐπὶ μεῖζον ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ αὐξηθῇ, τοῖς τῶν προσόρων ἐθνῶν ἄρχουσιν ἐνεχείρισαν· καὶ μετὰ τοῦτο μαθόντες τὰ κατὰ τὸν Κάσσιον, πρίν καὶ ὁτιοῦν ὑπ' ἐκείνου πραχθῆναι, ταῦθ' ἅπερ εἶπον ἐψηφίσαντο.*

(21) Eamdem rem, productus a M. Servilio trib. pl. in concionem, magna contentione summoque clamore et consensu populi egit. Quae tamen Oratio aut non scripta esse videtur aut certe non exstat.

Cic. ad C. Cassium (ad Fam. XII. 7. 1.) *Quanto studio dignitatem tuam et in senatu et ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me cognoscere. Quae mea sententia in senatu facile valuisset,*

nisi Pansa vehementer obstitisset. Ea sententia dicta, productus sum in concionem a tribuno plebis M. Servilio. Dixi de te, quae potui, tanta contentione, quantum forum est, tanto clamore consensuque populi, ut nihil umquam simile viderim. cet. Velleius II. c. 62. 2. *Bruto Cassioque provinciae, quas iam ipsi sine ullo senatus consulto occupaverant, decretae. Laudati, quicunque his exercitus tradidissent: omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio.*

(12) Paullo post quum Pansa cos. de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis retulisset, iique, qui primi sententiam dixerant, hanc legationem P. Servilio et Ciceroni mandandam esse censuissent, Cicero *Philippica duodecima* negavit pacem cum Antonio fieri posse, illamque legationem deprecatus est. Quae Oratio certe post Terminalia [= VII. Kal. Mart. = 23 Febr.] habita est.

Cic. Philipp. XII. c. 2. 5. *Constituta legatio est. — Admirabantur boni viri, accusabant amici, quod spe pacis legationem suscepissem. Nec mirum, P. Servili. Tuis enim verissimis gravissimisque sententiis omni est non dico dignitate, sed etiam spe salutis spoliatus Antonius. Ad eum te ire legatum, quis non miraretur? De me experior: cuius idem consilium, quod tuum, sentio, quam reprehendatur.* c. 3. 7. *Quid, per deos immortales! potest reipublicae prodesse nostra legatio? Prodesse dico? Quid, si etiam obfutura est? Obfutura? Quid, si iam nocuit? An vos acerrimam illam et fortissimam populi Romani libertatis recuperandae cupiditatem non imminutam ac debilitatam putatis, legatione pacis audita?* — c. 7. 17. *Quod si habenda cum M. Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. Ego numquam legatos mittendos censui: ego ante legatorum reditum ausus sum dicere, Pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandam: ego princeps sagorum: ego semper illum hostem appellavi, quum alii adversarium, semper hoc bellum, quum alii tumultum. Nec haec in senatu solum: eadem ad populum egi.* — c. 8. 19. *Proficiscantur legati optimis ominibus: sed ii proficiscantur, in quibus non offendatur Antonius. Quod si de Antonio non laboratis, mihi certe, P. C., consulere debetis. Parcite oculis saltem meis, et aliquam veniam iusto dolori date. Quo enim aspectu videre potero, (mitto hostem patriae, ex quo mihi odium in illum commune vobiscum est,) sed quomodo aspiciam mihi uni crudelissimum hostem, ut declarant eius de me acerbissimae conciones?* — c. 10. 24. *Hisce ego me viis commit-*

tam, qui Terminalibus nuper in suburbium — ire non sum ausus? Dio XLVI. c. 32. 2. *Συχνοὶ δ' οὖν καὶ τὰ τοῦ 'Αντωνίου βουλόμενοι, οἱ μὲν ἄντικρυς πρὸς αὐτὸν, ἄλλοι τε καὶ δήμαρχοι στρατηγοί τέ τινες, ἀπῆλθον, οἱ δὲ καὶ κατὰ χώραν μείναντες, ὧν καὶ ὁ Καλῆνος ἦν, ἔπραττον ὑπὲρ αὐτοῦ πάνθ' ὅσα ἐδύναντο, τὰ μὲν ἐπικρυπτόμενοι, τὰ δὲ καὶ ἐκ τοῦ φανεροῦ διαδικαιοῦντες. οὔπουν οὐδὲ τὴν ἐσθῆτα εὐθὺς ἠλλάξαντο, ἀλλὰ καὶ ἔπεισαν αὖθις τὴν γερουσίαν πρέσβεις πρὸς τὸν 'Αντώνιον ἄλλους τέ τινας καὶ τὸν Κικέρωνα πέμψαι, πρόφασιν μὲν ὡς καὶ πείσοντα αὐτὸν ὁμολογῆσαι, ἔργῳ δὲ ἵν' ὑπεξαιρεθῇ σφίσιν. συννοήσας οὖν τοῦτ' ἐκεῖνος ἐφοβήθη καὶ οὐκ ἐτόλμησεν ἑαυτὸν ἐς τὰ τοῦ 'Αντωνίου ὄπλα ἐκδοῦναι. κἀκ τούτου οὐδ' ἄλλος τις τῶν πρεσβευτῶν ἀπῆρεν.*

(12) Post hanc Orationem, mense Aprili, Pansa consul profectus est ad bellum cum M. Antonio, qui Mutinam obsidebat, gerendum. Interim M. Aemilius Lepidus, pontifex maximus, qui iam tum ad Antonii partes inclinabat, ex Gallia litteris ad senatum missis eum ad pacem cum Antonio faciendam cohortatus est. De quibus litteris quum in senatu relatum esset, Cicero *Philippica tertia decima* iterum pacem istam dissuasit, assensus sententiae Servilii; praeterea litteras ab Antonio ad Hirtium et Octavianum missas recitavit, ita ut singulas eius sententias partim salse partim acerbe perstringeret.

Galba ad Cic. (ad Fam. X. 30. 1.) XVII. *Kal. Maii* [= 15 Apr.] — *Pansa in castris Hirtii erat futurus* —. Cic. Phil. XIII. c. 4. 7. *At enim nos M. Lepidus, imperator iterum, pontifex maximus, optime proximo civili bello de republica meritus, ad pacem adhortatur.* — *Pacem vult M. Lepidus. Praeclare: si talem potest efficere, qualem nuper effecit: qua pace Cn. Pompeii filium republica aspiciet suoque sinu complexuque recipiet.* — c. 10. 21. *Cum Antonio pax esse quae potest? cuius ne supplicio quidem ullo satiari videtur posse populus Romanus. Quod si quis adhuc dubitare potuit, quin nulla societas huic ordini populoque Romano cum illa importunissima bellua possit esse; desinet profecto dubitare, his cognitis litteris, quas mihi missas ab Hirtio consule modo accepi. Eas dum recito, dumque de singulis sententiis breviter disputo, velim, P. C., ut adhuc fecistis, me attente audiatis.* cet. — c. 10. 23. *Quid? te non intelligis* — con-

sulibus missis — hostem iudicatum? — c. 18. 39. *Bellum contra te duo consules gerunt, cumque his pro praetore Caesar.* — c. 21. 47. *Duo consules, contra quos arma fert* —. *Quae quum ita sint, de mandatis litterisque M. Lepidi, viri clarissimi, Servilio assentior.*

(14) Bellum Mutinense duobus conficitur praeliis; in quorum altero Antonius a. d. XVII. Kal. Maias [= 15 April.] ad Forum Gallorum vincitur, vulnerato Pansa, qui paucis diebus post Bononiae mortuus est.

Sueton. Aug. c. 10. *Iussus comparato exercitu pro praetore praeesse, et cum Hirtio ac Pansa, qui consulatum acceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus proeliis. Priore, Antonius cum fugisse scribit* —. *Sequenti, satis constat, non modo ducis, sed etiam militis functum munere.* Galba ad Cic. (ad Fam. X. 30. 1.) XVII. *Kalend. Maii, quo die Pansa in castris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram,* — *Antonius legiones eduxit duas* — *et cohortes praetorias duas* —. *Ita obviam venit nobis* —. *Antonius ad Forum Gallorum suas copias continebat.* — *Primo ita pugnatum est, ut acrius non posset ex utraque parte pugnari* —. *Antonius, tamquam victor, castra putavit se posse capere. Quo quum venit, complures ibi amisit nec egit quidquam. Audita re, Hirtius cum cohortibus viginti veteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit copiasque eius omnes delevit, fugavitque eodem loco, ubi erat pugnatum, ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta se in castra sua ad Mutinam recepit.* — *Sic partem maiorem suarum copiarum Antonius amisit veteranarum.* — *Aquilae duae, signa sexaginta sunt relata Antonii. Res bene gesta est. A. d.* XII. *Kalendas Maii* [= 20 April.] *ex castris.* Brutus ad Cic. (ad Fam. XI. 13 *a.* 2.) *Postero die mane a Pansa sum arcessitus Bononiam. Quum in itinere essem, nuntiatum mihi est eum mortuum esse.* Cic. Phil. XIV. c. 9. 26. *Princeps omnium Pansa praelii faciendi et cum Antonio confligendi fuit* —. *Sed quum* — *in primis Pansa pugnaret, duobus periculosis vulneribus acceptis, sublatus e praelio reipublicae vitam reservavit.* Appian. B. C. III. c. 69. *Πάνσας ὀβελῷ τὴν λαγόνα τρωθεὶς ἐς Βονωνίαν ἀξεφέρετο* —. c. 70. *Ὧδε μὲν Ἀντωνίῳ καλῶς ἀγωνισαμένῳ διέφθαρτο ἡ ἰσχύς, διὰ Ἴρτιον ἐπελθόντα· καὶ ἡλίσατο ἐν κώμῃ παρὰ τὸ πεδίον ἀχαρακώτως· Ἀγορὰ Κελτῶν ἡ κώμη καλεῖται.* c. 75 sq. *Πάνσας δ' ἐκ τοῦ τραύματος* — *ἀπέθανεν.* Conf. Livius Epit. 119. Florus IV. c. 4. Orosius VI. c. 18. Frontin. II. c. 5. Plutarch. Anton. c. 17. Id. Cic. c. 45. Dio XLVI. c. 36 sqq. Zonar. X. c. 14.

(15) In altero praelio, ad Mutinam gesto, in quo Hirtius cecidit, denuo vincitur Antonius; qui deinde fugit in Galliam.

Pollio ad Cic. (ad Fam. x. 33. 4.) *Nunc haec mihi scribuntur ex Gallia Lepidi et nuntiantur: Pansae exercitum concisum esse; Pansam ex vulneribus mortuum; eodem praelio Martiam legionem interiisse, et L. Fabatum et C. Peducaeum et D. Carfulenum; Hirtium autem praelio et Secundam legionem, et omnes peraeque Antonii caesas, item Hirtii; Quartam vero, quum castra quoque Antonii cepisset, a Quinta legione concisam esse; ibi Hirtium quoque periisse et Pontium Aquilam; — Antonium turpiter Mutinae obsessionem reliquisse, — si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema et non modo nationes, sed etiam servitia concitaturum.* Appian. B. C. III. c. 71. *Τῆς δ' ἐπιούσης ἀνεζεύγνυον ἐς τὰ ἐν τῇ Μουτίνῃ στρατόπεδα πάντες. — Δείσας ὁ Ἀντώνιος περὶ τῇ Μουτίνῃ, ἔξῃρε δίο τέλη· οἱ δὲ ἡσθέντες ἐπέστρεφον, καὶ ἐμάχοντο. Ἄλλα δὲ Ἀντωνίου τέλη καλοῦντος ἐκ τῶν ἄλλων στρατοπέδων, — ἐκράτουν οἱ τοῦ Καίσαρος τῇ μάχῃ. Ἵρτιος δὲ καὶ ἐς τὸ στρατόπεδον ἐσήλατο τοῦ Ἀντωνίου, καὶ περὶ τὴν στρατηγίδα σκηνὴν μαχόμενος ἔπεσε. — c. 72. Καὶ ὁ Ἀντώνιος, δευτέρᾳ τῇδε συμπεσὼν πληγῇ — ὤδευεν ἐπὶ τῶν Ἄλπεων.* Brutus ad Cic. (ad Fam. XI. 9. 1.) *Pansa amisso, quantum detrimenti respublica acceperit, non te praeterit. Nunc auctoritate et prudentia tua prospicias oportet, ne inimici nostri, consulibus sublatis, sperent se convalescere posse. — In primis rogo te, ad hominem ventosissimum, Lepidum, mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi coniuncto. — Si ne Alpes Antonius traiecerit, constitui praesidium in Alpibus collocet.* Conf. Velleius II. c. 63. Eutrop. VII. c. 2. Plutarch. Anton. c. 18. Dio XLVI. c. 42 sqq. Zonar. X. c. 16.

(16) Romae interim, quo tristes a Mutina pervenerant rumores, (necdum tamen de interitu consulum nuntiantes) D. Brutum, fame laborantem, iam eo adactum esse, ut de deditione cogitaret, sermo exortus est, Ciceronem pridie Vinalia [= XI. Kal. Maias = 22 April.] cum fascibus descensurum esse. Qua suspicione ut Ciceronem liberaret, P. Appuleius tribunus plebis concionem habuit, in qua una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a Cice-

rone umquam de republica, nisi optime cogitatum. Post hanc autem habitam concionem duabus tribusve horis quum optatissimi nuntii et litterae de rebus apud Mutinam gestis Romam venissent, ingens multitudo maximo plausu Ciceronem domo in Capitolium adduxit, domumque inde reduxit celeberrima gratulatione.

Cic. Phil. XIV. c. 5. 12. *Quanto honore, laetitia, gratulatione in hoc templum ingredi debent illi ipsi huius urbis liberatores, quum hesterno die, propter eorum res gestas me ovantem et prope triumphantem populus Romanus in Capitolium domo tulerit, domum inde reduxerit? — Scitis enim per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me pridie Vinalia, qui dies hodie est, cum fascibus descensurum. — Quemquamne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? Unde igitur ista suspicio, vel potius unde iste sermo?* c. 6. 15. *Quum, ut scitis, hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret, inflati laetitia atque insolentia, impii cives unum se in locum, ad illam curiam, viribus potius suis, quam reipublicae infelicem, congregabant. Ibi quum consilium inirent de caede nostra, partirenturque inter se, qui Capitolium, qui rostra, qui Urbis portas occuparent, ad me concursum futurum civitatis putabant. Quod ut cum invidia mea fieret, et cum vitae etiam periculo, famam istam fascium dissipaverunt: fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. Quod quum esset quasi mea voluntate factum, tum in me impetus conductorum hominum, quasi in tyrannum, parabatur. — Itaque P. Appuleius, tribunus plebis, — concionem habuit maximam, populo Romano unum atque idem sentiente. In qua concione quum me — liberare suspicione fascium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a me umquam de republica, nisi optime cogitatum. Post hanc habitam concionem duabus tribusve horis optatissimi nuntii et litterae venerunt: ut idem dies non modo me iniquissima invidia liberarit, sed etiam celeberrima populi Romani gratulatione auxerit.*

(17) Postridie, id est pridie Vinalia [= XI. Kal. Maias = 22 April.], quum de caeso hostium exercitu deque vulnerato Pansa nuntius pervenerat Romam, Cicero habuit *Philippicam decimam quartam;* qua trium ducum Hirtii, Pansae, Caesaris Octaviani nomine, ob Antonium hostem superatum, quinquaginta dierum supplicationem decernen-

dam, militibusque, qui pro republica interiissent, monumentum faciendum censuit.

Cic. Philipp. XIV. c. 1. 1. *Ex litteris, quae recitatae sunt, P. C. sceleratissimorum hostium exercitum caesum fusumque cognovi —.* c. 5. 14. *Pridie Vinalia, qui dies hodie est.* c. 9. 26. *Princeps omnium Pansa praelii faciendi et cum Antonio confligendi fuit —. Sed quum — in primis Pansa pugnaret, duobus periculosis vulneribus acceptis, sublatus e praelio reipublicae vitam reservavit. —* c. 10. 27. *Quid dicam de Hirtio? qui, re audita, e castris duas legiones eduxit incredibili studio atque virtute —. An vero quisquam dubitabit appellare Caesarem imperatorem? — Ita trium imperatorum populi Romani virtute, consilio, felicitate, uno die locis pluribus respublica est conservata.* c. 11. 29. *Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes —. Est autem fidei pietatisque nostrae declarare fortissimis militibus, quam memores simus, quamque grati. —* c. 14. 36. *Sed, ut aliquando sententia complectar, ita censeo: Quum C. Pansa consul, imperator, initium cum hostibus confligendi fecerit —; quumque A. Hirtius consul, imperator, praelio audito, re cognita, fortissimo praestantissimoque animo exercitum castris eduxerit, impetumque in M. Antonium exercitumque hostium fecerit —; quumque C. Caesar pro praetore, imperator, consilio diligentiaque sua castra feliciter defenderit, copiasque hostium, quae ad castra accesserant, profligarit, occiderit: ob eas res senatum existimare et iudicare, eorum trium imperatorum virtute, imperio, consilio, gravitate, constantia, magnitudine animi, felicitate, populum Romanum foedissima crudelissimaque servitute liberatum: — uti ob eas res bene, fortiter, feliciterque gestas, C. Pansa A. Hirtius consules, imperatores, alter ambove, aut si aberunt, M. Cornutus, praetor urbanus, supplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat: quumque virtus legionum digna clarissimis imperatoribus extiterit, senatum, quae sit antea pollicitus legionibus exercitibusque nostris, ea summo studio, republica recuperata, recoluturum; quumque legio Martia — et reliquarum legionum milites pro salute et libertate populi Romani mortem oppeteverint: senatui placere, ut C. Pansa A. Hirtius consules — iis, qui sanguinem pro vita, libertate, fortunisque populi Romani — profudissent, monumentum quam amplissimum locandum, faciundum curent. — utique, quae praemia senatus militibus ante constituit, ea solvantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus; iisque tribuantur, quae militibus ipsis tribui oporteret, si*

illi vixissent, qui morte vicerint. Appian. B. C. III. c. 74. *Καὶ Κικέρων ἐν Ῥώμῃ τὰ μὲν* (epistolam Pansae) *ἐς τὸν δῆμον ἀνεγίγνωσκεν ὡς ὑπάτου, τὰ δὲ τοῦ Καίσαρος τῇ βουλῇ μόνον· θυσίας τε ἐπ' Ἀντωνίῳ πεντήκοντα ἡμερῶν ἑκατὸν ἐψηφίζετο —. Τοσοῦτος ἦν οἶστρος αὐτῷ κατὰ Ἀντωνίου καὶ ἀπειροκαλία. Ἐβεβαίου τε αὖθις τοῖς δύο τέλεσι τοῖς ἀπὸ Ἀντωνίου μεταστᾶσι τὰς ἑκάστῳ προϋπεσχημένας παρὰ τοῦ κοινοῦ Ῥωμαίων ἐπινικίους δραχμὰς πεντακισχιλίας, ὡς ἤδη νενικηκόσι, καὶ στέφανον αὐτοὺς ἐν ταῖς ἑορταῖς ἀεὶ θαλλοῦ περιτίθεσθαι.* Dio XLVI. c. 38. 1. *Ἡττηθέντος δὲ αὐτοῦ αὐτοκράτορες οὐ μόνον ὁ Ἵρτιος ἀλλὰ καὶ ὁ Οὐίβιος, καίπερ κακῶς ἀπαλλάξας, ὅ τε Καῖσαρ, καίτοι μηδὲ μαχεσάμενος, καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν καὶ ὑπὸ τῆς βουλῆς ὠνομάσθησαν. τοῖς τε συναγωνισαμένοις σφίσι καὶ τελευτήσασι ταφή τε δημοσία καὶ τὸ τοῖς παισὶ τοῖς τε πατράσιν αὐτῶν πάντα τὰ γέρα, ὅσα ἂν αὐτοὶ ἐκεῖνοι ζήσαντες ἔλαβον, ἀποδοθῆναι ἐψηφίσθη.*

(18) Cum Antonio, post praelium Mutinense Alpes transgresso, a. d. IV. Kal. Iun. [= 29 Maii] coniunxit se M. Lepidus, qui, quum bellum iterum immineret ingens, prid. Kal. Quint. [= 30 Iunii] a senatu hostis iudicatus est.

Velleius II. c. 63. 1. *Interim Antonius, fuga transgressus Alpes, primo per colloquia repulsus a M. Lepido, (qui pontifex maximus in C. Caesaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur,) mox saepius in conspectum veniens militum — per aversa castrorum proruto valle militibus receptus est. —* c. 64. 3. *Lepidus deinde a senatu hostis iudicatus est, ut antea fuerat Antonius.* Plancus ad Cic. (ad Fam. X. 23. 2.) *Copias prope in conspectum Lepidi Antoniique adduxi, quadragintaque millium passuum spatio relicto consedi. — Lepidus, desperato adventu meo, quem non mediocriter captabat, se cum Antonio coniunxit a. d. IV. Kal. Iunias, eodemque die ad me castra moverunt.* Cic. ad Cassium (ad Fam. XII. 10. 1.) *Lepidus — pridie Kal. Quintiles sententiis omnibus hostis a senatu iudicatus est ceterique, qui una cum illo a republica defecerunt. — Bellum quidem, quum haec scribebam, sane magnum erat, scelere et levitate Lepidi. — Praeclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium.* Appian. B. C. III. c. 83. *Ὁ Ἀντώνιος ἐν τῷ τέως τὰς Ἄλπεις ὑπερέβαλε, Κουλλεῶνα πείσας τὸν ἐκ Λεπίδου φύλακα αὐτῶν. —* c. 84. *Ὁ δ' ἐπὶ τὴν Λεπίδου σκηνὴν ἴστο δρόμῳ —. Ὁ μὲν δὴ Λέπιδος — τὸν Ἀντώνιον ἠσπάζετο —. Οὕτω μὲν ὁ Ἀντώ-*

νιος ἐς μέγα δυνάμεως αὖθις ἐπῆρτο, καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἦν ἐπιφοβώτατος. Στρατὸν γὰρ εἶχεν, ὃν τ' ἐξανέστησε Μουτίνης, καὶ σὺν αὐτῷ λαμπρότατον ἱππικόν, τρία τε αὐτῷ τέλη κατὰ τὴν ὁδὸν προσαγεγένητο τὰ Οὐεντιδίου, καὶ Λέπιδος αὐτῷ σύμμαχος ἐγίγνετο ἑπτὰ ἔχων ὁπλιτικὰ τέλη, καὶ πολὺν ὅμιλον ἄλλον, καὶ παρασκευὴν ἀξιόλογον. Conf. Plutarch. Anton. c. 18. Dio XLVI. c. 42. 51. Zonar. X. c. 16.

(19) Auctis deinde etiam per Plancum et Asinium Pollionem viribus, Antonius Dec. Brutum, a legionibus suis derelictum, cepit et interfecit.

Livius Epit. 120. *Quum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio et Munatius Plancus, cum exercitibus suis adiuncti, ampliassent, et D. Brutus, cui senatus, ut persequeretur Antonium, mandaverat, relictus a legionibus suis profugisset; iussu Antonii, in cuius potestatem venerat, a Capeno Sequano interfectus est.* Velleius II. c. 63. 3. *Plancus deinde dubia, id est sua fide diu quarum esset partium secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adiutor D. Bruti designati consulis, collegae sui, senatuique se litteris venditans, mox eiusdem proditor, Asinius autem Pollio firmus proposito, et Iuliani partibus fidus, Pompeianis adversus, uterque exercitus tradidere Antonio.* c. 64. 1. *D. Brutus desertus primo a Planco, postea etiam insidiis eiusdem petitus, paullatim relinquente cum exercitu fugiens, in hospitis cuiusdam nobilis viri, nomine Camilli, domo ab iis, quos miserat Antonius, iugulatus est.* Appian. B. C. III. c. 97. *Διώκοντι δὲ τῷ Ἀντωνίῳ Δέκμον προσαγίγνεται Πολλίων Ἀσίνιος, ἄγων δύο τέλη. Καὶ Πλάγκῳ μὲν Ἀσίνιος ἔπραξε διαλλαγάς· καὶ ὁ Πλάγκος σὺν τρισὶ τέλεσι μεθίστατο εἰς τὸν Ἀντώνιον, ὥστε τὴν βαρυτάτης δυνάμεως ἦρχεν ὁ Ἀντώνιος. Δέκμῳ δὲ ἦν τέλη δέκα· ὧν τέσσαρα μὲν τὰ ἐμπειροπολεμώτατα ὑπὸ λιμοῦ διέφθαρτο, καὶ ἐνόσει ἔτι· τὰ νεοστράτευτα δὲ ἦν ἓξ, ἀταλαίπωρα ἔτι καὶ πόνων ἄπειρα. Ἀπογνοὺς οὖν μάχεσθαι, φεύγειν ἔκρινε πρὸς Βροῦτον ἐς Μακεδονίαν.* — c. 98. *Ἄλους δὲ ὑπὸ λῃστῶν — ἄγειν αὐτὸν αὐτοῖς ἐς τὸν Κάμιλλον ἐκέλευεν. Ὁ δὲ — κρύφα ἐπέστειλλεν Ἀντωνίῳ. Καὶ Ἀντώνιος — ἐκέλευσε τῷ Καμίλλῳ, κτείναντα, τὴν κεφαλὴν ἐς αὐτὸν ἐκπέμψαι· καὶ τὴν κεφαλὴν ἰδὼν, ἐκέλευσε τοῖς παροῦσι θάψαι.* Conf. Dio XLVI. c. 53. Plutarch. Anton. c. 18. Oros. VI. c. 18.

(20) Paullo post Octavianus, quum videret senatum minus sibi favere, caussam optimatium deseruit et reconci-

liata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit et, perculsis iis qui in eum iniqui erant, a. d. x. Kal. Octobres [= 22 Septb.] consulatum iniit cum Q. Pedio, pridie quam annum impleret vigesimum. (v. ad a. 691. 17.)

Sueton. Aug. c. 12. *Sed ut cognovit, Antonium post fugam a M. Lepido receptum, ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus, caussam optimatium sine cunctatione desèruit, ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorumdam calumniatus: quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque iactassent, ne aut sibi, aut veteranis par gratia referretur.* Velleius II. c. 62. 5. *Pansae atque Hirtii corpora publica sepultura honorata; Caesaris adeo nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitum eius missi erant, iuberentur summoto eo milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat senatus. Nam quum eam iniuriam dissimulando Caesar ferret, negavere milites sine imperatore suo ulla se audituros mandata. Hoc est illud tempus, quo Cicero insito amore Pompeianarum partium Caesarem laudandum et tollendum censebat, quum aliud diceret, aliud intelligi vellet* (conf. Brutus ad Cic. (ad Fam. XI. 20. 1.) — c. 65. 1. *Tum inter eum (Lepidum) Caesaremque et Antonium commercia epistolarum et conditionum iacta mentio —. Igitur inita potentiae societas —. Consulatumque iniit Caesar pridie, quam viginti annos impleret, X. Kal. Octobris, cum collega Q. Pedio, post Urbem conditam annis* DCCXI, *ante* LXXII, *quam tu, M. Vinici, consulatum inires* [711 + 72 = 783. quo anno M. Vinicius consul fuit cum C. Cassio Longino; quo tempore Velleius libros suos composuit. v. Henr. Dodwellus, *Annales Velleiani* §. XXIX. in edit. Ruhnk. p. CXIII.]. Livius Epit. 119. *Adversus C. Caesarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit: qui, D. Bruto, obsidione Mutinensi a Caesare liberato, honore triumphi decreto, Caesaris militumque eius mentionem non satis gratam habuit. Ob quae C. Caesar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit, et, perculsis adventu eius iis, qui in eum iniqui erant, quum annos novemdecim haberet, consul creatus est.* Dialog. de Orat. c. 17. 2. *Divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium coss. suffecit.* Conf. Appian. B. C. III. c. 80 sqq. Dio XLVI. c. 40 sqq. Plutarch. Brut. c. 27. Cic. c. 46. Eutrop. VII. c. 2. Sueton. Aug. c. 26.

(21) Deinde pace facta inter Octavianum, Antonium et Lepidum, apud confluentes inter Perusiam et Bononiam

congressos, convenit, ut ipsi triumviri reipublicae constituendae per quinquennium essent, et ut suos quisque inimicos proscriberent.

Livius Epit. 120. *C. Caesar pacem cum Antonio et Lepido fecit: ita ut tresviri reipublicae constituendae per quinquennium essent ipse et Lepidus et Antonius; et ut suos quisque inimicos proscriberent. In qua proscriptione plurimi equites Romani,* CXIX *senatorum nomina fuerunt, et inter eos L. Paulli, fratris M. Lepidi, et L. Caesaris, Antonii avunculi, et M. Ciceronis.* Florus IV. c. 6. 3. *Pax inter tres duces componitur. Apud confluentes inter Perusiam et Bononiam iungunt manus, et exercitus consalutant. Nullo bono more Triumviratus invaditur; oppressaque armis republica, redit Sullana proscriptio, cuius atrocitas nihil in se minus habet, quam numerum* CXXXX *senatorum. Exitus foedi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. Quis pro indignitate rei non ingemiscat, quum Antonius Lucium Caesarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paullum fratrem proscripserint?* Velleius II. c. 66. 1. *Furente deinde Antonio simulque Lepido — quum ambo mallent sibi imputari, quid passi essent, quam quid emeruissent, repugnante Caesare, sed frustra adversus duos, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est, abscisaque scelere Antonii vox publica est, quum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis et privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni, (cogit enim excedere propositi formam operis erumpens animo ac pectore indignatio,) nihil, inquam, egisti mercedem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reipublicae tantique consulis invitando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem; famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnem saeculorum memoriam; dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcunque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur, citiusque mundo genus hominum quam M. Cicero cedet.* Dav. Bernard, *Dissertatio de auctoramento funebri M. T. Ciceronis necati* (ad Vell. II. 66.) Vitembergae, 1720. 4°. Plutarch. Cic. c. 46. 1. Ἀνῃρῆσθαι γὰρ ὁ

νεανίας καὶ τὴν ὑπατείαν λαβὼν Κικέρωνα μὲν εἴασε χαίρειν, Ἀντωνίῳ δὲ καὶ Λεπίδῳ φίλος γενόμενος καὶ τὴν δύναμιν εἰς ταὐτὸ συνενεγκὼν ὥσπερ ἄλλο τι κτῆμα τὴν ἡγεμονίαν ἐνείματο πρὸς αὐτούς. Καὶ καταγράφουσιν ἄνδρας, οὓς ἔδει τεθνήκειν, ὑπὲρ διακοσίους. Conf. Sueton. Aug. c. 27. Oros. VI. c. 18. Tacit. Ann. I. c. 9. Plutarch. Anton. c. 19. Id. Brut. c. 26. Dio XLVI. c. 54 sqq. Appian. B. C. IV. c. 2 sqq. Zonar. X. c. 16.

(22) Octavianum primis diebus aiunt pro Ciceronis salute cum ceteris concertasse ac tertio demum die concessisse eiusque vitam prodidisse, hac permutatione, qua nihil fuit crudelius, facta: Ciceronem Octavianus, L. Paullum fratrem Lepidus, L. Caesarem avunculum Antonius proscribi permitteret.

Sueton. Aug. c. 27. *Triumviratum reipublicae constituendae per decem annos administravit: in quo restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio; sed inceptam utroque acerbius exercuit.* Aurelius Victor de Vir. ill. c. 31. *Quum triumviros se fecissent Caesar, Lepidus Antoniusque, concordia non aliter visa est inter eos iungi posse, nisi Tullius necaretur; qui, immissis ab Antonio percussoribus, quum forte Formiis quiesceret, imminens exitium corvi auspicio didicit, et fugiens occisus est.* Orosius VI. c. 18. *Ne latius atque effrenatius incircumscripta caedes ageretur, centum triginta et duum senatorum nomina in tabula proposita sunt, primum Lepidi praecepto et nomine, deinde Antonii, tertio Caesaris. Ibi Antonius Tullium Ciceronem inimicum suum, ibi L. Caesarem avunculum suum, et (quod exaggerando sceleri accessit) viva matre proscripserat; ibi Lepidus L. Paullum fratrem suum in eumdem proscriptorum gregem coniecerat.* Plutarch. Cic. c. 46. 2. Πλείστην δὲ τῶν ἀμφισβητημάτων αὐτοῖς ἔριν ἡ Κικέρωνος προγραφὴ παρέσχεν, Ἀντωνίου μὲν ἀσυμβάτως ἔχοντος, εἰ μὴ πρῶτος ἐκεῖνος ἀποθνήσκοι, Λεπίδου δ' Ἀντωνίῳ προτιθεμένου, Καίσαρος δὲ πρὸς ἀμφοτέρους ἀντέχοντος. Ἐγίνοντο δ' αἱ σύνοδοι μόνοις ἀπόρρητοι περὶ πόλιν Βονωνίαν ἐφ' ἡμέρας τρεῖς, καὶ συνῆσαν εἰς τόπον τινὰ πρόσω τῶν στρατοπέδων ποταμῷ περιῤῥεόμενον. Λέγεται δὲ τὰς πρώτας ἡμέρας διαγωνισάμενος ὑπὲρ τοῦ Κικέρωνος ὁ Καῖσαρ ἐνδοῦναι τῇ τρίτῃ καὶ προέσθαι τὸν ἄνδρα. Τὰ δὲ τῆς ἀντιδόσεως οὕτως εἶχεν· ἔδει Κικέρωνος ἐκστῆναι Καίσαρα, Παύλου δὲ τἀδελφοῦ Λέπιδον, Λευκίου δὲ Καίσαρος Ἀντώνιον, ὃς ἦν θεῖος αὐτῷ πρὸς μητρός. Id. Anton. c. 19. 1. Καὶ συνελθόντες οἱ τρεῖς εἰς

νησῖδα ποταμῷ περιῤῥεομένην, ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας συνῳδρευσαν. Καὶ τἆλλα μὲν ἐπιεικῶς ὡμολογεῖτο καὶ διανείμαντο τὴν σύμπασαν ἀρχὴν ὥσπερ οὐσίαν πατρῴαν ἀλλήλοις, ἡ δὲ περὶ τῶν ἀπολουμένων ἀνδρῶν ἀμφισβήτησις αὐτοῖς πλεῖστα πράγματα παρέσχε, τοὺς μὲν ἐχθροὺς ἀνελεῖν ἑκάτου, σῶσαι δὲ τοὺς προσήκοντας ἀξιοῦντος. Τέλος δὲ τῇ πρὸς τοὺς μισουμένους ὀργῇ καὶ συγγενῶν τιμὴν καὶ φίλων εὔνοιαν προέμενοι Κικέρωνος μὲν Ἀντωνίῳ Καίσαρ ἐξέστη, τούτῳ δὲ Ἀντώνιος Λευκίου Καίσαρος, ὃς ἦν θεῖος αὐτῷ πρὸς μητρός· ἐδόθη δὲ καὶ Λεπίδῳ Παῦλον ἀνελεῖν τὸν ἀδελφόν. — Οὐδὲν ὠμότερον οὐδὲ ἀγριώτερον τῆς διαμείψεως ταύτης δοκῶ γενέσθαι. Conf. Livius, Velleius, Florus l. c. Orosius VI. c. 18.

(22) Itaque Antonius in Ciceronem, qui Urbe relicta in praedia sua confugerat, percussores immisit Herennium centurionem et M. Popilium Laenatem, a quibus VII. Id. Decemb. [= 7 Decemb.] interfectus est.

Livii Fragm. ap. Senec. Suasor. VII. p. 38 sq. (Bip.) *M. Cicero sub adventum triumvirorum cesserat Urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Caesari Cassium et Brutum, post. Primo in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum quum modo venti adversi retulissent, modo ipse iactationem navis, caeco volvente fluctu, pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit: regressusque ad superiorem villam, quae paullo plus mille passibus a mari abest, Moriar, inquit, in patria saepe servata. Satis constat, servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam, et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est. Nec satis stolidae crudelitati militum fuit. Manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes, praeciderunt.* Id. Epit. 120. *Huius, occisi a Popilio legionario milite, quum haberet annos sexaginta tres, caput quoque cum dextra manu in Rostris positum est.* Dialog. de Orat. c. 17. 2. *Ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa cos. ut Tiro libertus eius scripsit, VII. Idus Decembres occisus est, quo anno divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium cos. suffecit.* Aufidius Bassus ap. Senecam l. c. p. 39. *Cicero, paullum remoto velo, postquam armatos vidit: Ego vero consisto, ait: accede veterane, et si hoc saltem potes recte facere, incide cervicem. Trementi deinde dubitantique: Quid si ad me, inquit,*

primum venisse tis? Brutidius Niger ibid. p. 40. *Elapsus interim altera parte villae Cicero lectica per agros ferebatur, sed, ut vidit appropinquare notum sibi militem, Popilium nomine, memor defensum a se, laetiore vultu aspexit. At ille, victoribus id ipsum imputaturus, occupat facinus, caputque decisum, nihil in ultimo fine vitae facientis, quod alterutram in partem posset notari, Antonio portat, oblitus se paullo ante defensum ab illo.* Valerius Max. I. c. 4. 5. *M. Ciceroni mors imminens auspicio praedicta est: quum enim in villa Caietana esset, corvus in conspectu eius horologii ferrum loco motum excussit, et protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togae eo usque morsu tenuit, donec servus ad occidendum eum milites venisse nuntiaret.* Id. V. c. 3. 4. *M. Cicero C. Popilium Laenatem, Picenae regionis, rogatu M. Caelii, non minore cura quam eloquentia defendit, eumque caussa admodum dubia fluctuantem, salvum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea, nec re nec verbo a Cicerone laesus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum et iugulandum mitteretur: impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exsultans Caietam cucurrit, et virum, omitto quod amplissimae dignitatis, certe salutis eius auctorem, studio etiam praestantis officii privatim sibi venerandum, iugulum praebere iussit: ac protinus caput Romanae eloquentiae, et pacis clarissimam dexteram, per summum et securum otium, amputavit: eaque sarcina, tamquam opimis spoliis, alacer in Urbem reversus est. Neque enim scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam peroraverat. Invalidae ad hoc monstrum iugillandum litterae: quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non exstat.* Conf. Seneca Controv. III. 17. p. 215 sqq. Plutarch. Cic. c. 47. 1. *Πραττομένων δὲ τούτων ὁ Κικέρων ἦν μὲν ἐν ἀγροῖς ἰδίοις περὶ Τοῦσκλον ἔχων τὸν ἀδελφὸν μεθ' αὐτοῦ· πυθόμενοι δὲ τὰς προγραφὰς ἔγνωσαν εἰς Ἄστυρα μεταβῆναι, χωρίον παράλιον τοῦ Κικέρωνος, ἐκεῖθεν δὲ πλεῖν εἰς Μακεδονίαν πρὸς Βροῦτον. — ἄμεινον οὖν εἶναι, τὸν μὲν Κικέρωνα προλαμβάνειν τῇ φυγῇ, αὐτὸν δὲ (τὸν Κόιντον) μεταθεῖν, οἴκοθεν συσπευασάμενον· ταῦτ' ἔδοξε· καὶ — διελύθησαν. — Ὁ δὲ Κικέρων εἰς Ἄστυρα κομισθεὶς καὶ πλοῖον εὑρὼν εὐθὺς ἐνέβη καὶ παρέπλευσεν ἄχρι Κιρκαίου —. ἐκεῖθεν δὲ — ἀπέβη καὶ παρῆλθε πεζῇ σταδίους ἑκατὸν ὡς εἰς Ῥώμην πορευόμενος. Λύθις δ' ἀλύων καὶ μεταβαλλόμενος κατῆρε πρὸς θάλασσαν εἰς Ἄστυρα. Κἀκεῖ διενυκτέρευσεν ἐπὶ δεινῶν καὶ ἀπόρων λογισμῶν, — καὶ τἆλλα ταραχώδη καὶ παλίντροπα βουλεύματα τῆς γνώμης μεταλαμβάνων παρέδωκε τοῖς οἰκέταις ἑαυτὸν εἰς*

Καιήτην κατὰ πλοῦν κομίζειν —. Ἀπέβη δ' οὖν ὁ Κικέρων καὶ παρελθὼν εἰς τὴν ἔπαυλιν ὡς ἀναπαυσόμενος κατεκλίθη. — Οἱ δ' οἰκέται — τὰ μὲν δεσμοῦντες, τὰ δὲ βίᾳ λαβόντες ἐκόμιζον ἐν τῷ φορείῳ πρὸς τὴν θάλασσαν. c. 48. 1. *Ἐν τούτῳ δ' οἱ σφαγεῖς ἐπῆλθον, ἑκατοντάρχης Ἑρέννιος καὶ Ποπίλλιος χιλίαρχος, ᾧ πατροκτονίας ποτὲ δίκην φεύγοντι συνεῖπεν ὁ Κικέρων, ἔχοντες ὑπηρέτας. — Τοῦ δ' Ἑρεννίου δρόμῳ φερομένου διὰ τῶν παρεπαύλων ὁ Κικέρων ἤσθετο καὶ τοὺς οἰκέτας ἐκέλευσεν ἐνταῦθα καταθέσθαι τὸ φορεῖον. Αὐτὸς δ', ὥσπερ εἰώθει, τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τῶν γενείων ἁπτόμενος ἀτενὲς ἐνεώρα τοῖς σφαγεῦσιν αὐχμοῦ καὶ κόμης ἀνάπλεως καὶ συντετηκὼς ὑπὸ φροντίδων τὸ πρόσωπον, ὥστε τοὺς πλείστους ἐγκαλύψασθαι τοῦ Ἑρεννίου σφάζοντος αὐτόν. Ἐσφάγη δὲ τὸν τράχηλον ἐκ τοῦ φορείου προτείνας. —* Dio XLVII. c. 11. 1. *Ποπίλιος δὲ δὴ Λαίνας τὸν Κικέρωνα τὸν Μάρκου ἀπέκτεινε καίπερ εὐεργέτην αὐτοῦ ἐκ συνηγορήματος ὄντα. — καὶ οὕτω γε καὶ τῷ Ἀντωνίῳ διὰ τοῦτ' ἤρεσεν ὥστε καὶ χρήματα πλείω τῶν ἐπηγγελμένων λαβεῖν.* Appian. B. C. IV. c. 19. *Κικέρωνι δὲ — ὅση γένοιτο ἂν δημαγωγοῦ μοναρχία, κατέγνωστο μὲν ἅμα τῷ παιδὶ καὶ τῷ ἀδελφῷ καὶ τῷ παιδὶ τοῦ ἀδελφοῦ —. Φυγὼν δὲ ἐπὶ σκάφους, οὐκ ἔφερε τὴν ἀηδίαν τοῦ κλύδωνος, ἀλλὰ εἰς ἴδιον χωρίον — ἀμφὶ Καπύην* [l. *Καιήτην*] *πόλιν τῆς Ἰταλίας καταχθείς, ἠρέμει. Πλησιαζόντων δὲ τῶν ἐρευνωμένων — οἱ θεράποντες — ἐς φορεῖον ἐσθέμενοι τὸν Κικέρωνα, αὖθις ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἦγον διὰ λόχμης βαθείας λανθάνοντες. — Σκυτοτόμος δὲ, πελάτης Κλωδίου, πικροτάτου τῷ Κικέρωνι ἐχθροῦ γεγονότος, Λαίνᾳ τῷ λοχαγῷ σὺν ὀλίγοις ὄντι τὴν ἀτραπὸν ἔδειξεν. — c. 20. Ὁ δὲ Λαίνας, καὶ δίκην τινὰ διὰ τοῦ Κικέρωνός ποτε κατωρθωκὼς, ἐκ τοῦ φορείου τὴν κεφαλὴν ἐπισπάσας ἀπέτεμεν, ἓς τρὶς ἐπιπλήσσων καὶ ἐκδιαπρίζων ὑπὸ ἀπειρίας· ἀπέτεμε δὲ καὶ τὴν χεῖρα, ᾗ τοὺς κατὰ Ἀντωνίου λόγους οἷα τυράννου συγγράφων, ἐς μίμημα τῶν Δημοσθένους, Φιλιππικοὺς ἐπέγραφεν.*

(34) Quum membra Ciceronis Romam perlata essent, Antonius, qui tum forte comitia habebat, exclamavit Proscriptionem iam peractam esse. Caput autem et manus pro Rostris poni iussit.

Livii Fragm. ap. Senec. Suasor. VII. p. 39. *Ita relatum caput ad Antonium, iussuque eius inter duas manus in Rostris positum; ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla umquam humana vox, cum admiratione eloquentiae au-*

ditus fuerat. Id. Epit. l. c. Cremutius Cordus ap. Senec. ibid. p. 40. *Quibus visis laetus Antonius, quum peractam proscriptionem suam dixisset esse, quippe non satiatus modo caedendis civibus, sed defectus quoque, iussit pro Rostris exponi.* Aurel. Victor de Vir. ill. c. 81. *Caput ad Antonium relatum.* Plutarch. Cic. c. 48. 2. *Τὴν δὲ κεφαλὴν ἀπέκοψεν αὐτοῦ καὶ τὰς χεῖρας Ἀντωνίου κελεύσαντος, αἷς τοὺς Φιλιππικοὺς ἔγραψεν.* — c. 49. 1. *Τῶν δ' ἀκρωτηρίων εἰς Ῥώμην κομισθέντων ἔτυχε μὲν ἀρχαιρεσίας τελῶν ὁ Ἀντώνιος, ἀκούσας δὲ καὶ ἰδὼν ἀνεβόησεν, ὡς νῦν αἱ προγραφαὶ τέλος ἔχοιεν. Τὴν δὲ κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας ἐκέλευσεν ὑπὲρ τῶν ἐμβόλων ἐπὶ τοῦ βήματος θεῖναι.* Id. Anton. c. 20. 1. *Κικέρωνος δὲ σφαγέντος ἐκέλευσεν Ἀντώνιος τήν τε κεφαλὴν ἀποκοπῆναι καὶ τὴν χεῖρα τὴν δεξιάν, ᾗ τοὺς κατ' αὐτοῦ λόγους ἔγραψε. Καὶ κομισθέντων, ἐθεᾶτο γεγηθὼς καὶ ἀνακαγχάζων ὑπὸ χαρᾶς πολλάκις· εἶτ' ἐμπλησθεὶς ἐκέλευσεν ὑπὲρ τοῦ βήματος ἐν ἀγορᾷ τεθῆναι, καθάπερ εἰς τὸν νεκρὸν ὑβρίζων, οὐχ αὐτὸν ἐνυβρίζοντα τῇ τύχῃ καὶ καταισχύνοντα τὴν ἐξουσίαν ἐπιδεικνύμενος.* Dio XLVII. c. 8. 3. *Ὡς δ' οὖν καὶ ἡ τοῦ Κικέρωνός ποτε (κεφαλὴ) ἐκομίσθη σφίσι (φεύγων γὰρ καὶ καταληφθεὶς ἐσφάγη), ὁ μὲν Ἀντώνιος πολλὰ αὐτῷ καὶ δυσχερῆ ἐξονειδίσας ἔπειτ' ἐκέλευσεν αὐτὴν ἐκφανέστερον τῶν ἄλλων ἐν τῷ βήματι προτεθῆναι, ἵν' ὅθεν κατ' αὐτοῦ δημηγορῶν ἠκούετο, ἐνταῦθα μετὰ τῆς χειρὸς τῆς δεξιᾶς, ὥσπερ ἀπετέτμητο, ὁρῷτο· ἡ δὲ δὴ Φουλουία ἔς τε τὰς χεῖρας αὐτὴν πρὶν ἀποκομισθῆναι ἐδέξατο, καὶ ἐμπικραναμένη οἱ καὶ ἐμπτύσασα ἐπί τε τὰ γόνατα ἐπέθηκε, καὶ τὸ στόμα αὐτῆς διοίξασα τήν τε γλῶσσαν ἐξείλκυσε καὶ ταῖς βελόναις αἷς ἐς τὴν κεφαλὴν ἐχρῆτο κατεκέντησε, πολλὰ ἅμα καὶ μιαρὰ προσεπισκώπτουσα.* Zonar. X. c. 17. Appian. B. C. IV. c. 20. *Καὶ ὁ Λαίνας ἐν ἀγορᾷ προκαθημένῳ (Ἀντωνίῳ) τὴν κεφαλὴν καὶ τὴν χεῖρα μακρόθεν ἀνέσεισεν ἐπιδεικνύς. Ὁ δὲ ἥσθη τε μάλιστα, καὶ τὸν λοχαγὸν ἐστεφάνωσε, καὶ πλέοσι τῶν ἄθλων ἐδωρήσατο πέντε καὶ εἴκοσι μυριάσιν Ἀττικῶν δραχμῶν, ὡς μέγιστον δὴ τόνδε πάντων ἐχθρὸν καὶ πολεμιώτατόν οἱ γενόμενον ἀνέλοντι.*

(25) Quae quum in Rostris visa essent posita, civitas eo concurrens lacrimas tenere non potuit, communi excitato luctu.

Florus IV. c. 6. 5. *Romae capita caesorum proponere in Rostris iam usitatum erat. Verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit, quum recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris videret*

nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum, concurrerentur. Livii fragm. ap. Senecam Suasor. VII. p. 39. *Vix attollentes prae lacrimis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant.* Cremutius Cordus ap. Senec. l. c. p. 40. *Itaque quo saepius ille ingenti circumfusus turba processerat, quae paullo ante coluerat piis concionibus, quibus multorum capita servaverat, tum per artus suos lustus aliter ac solitus erat a civibus suis conspectus est, praetendenti capiti orique eius impensa sanie, brevi ante princeps senatus Romanique nominis titulus, tum pretium interfectoris sui. Praecipue tamen solvit pectora omnium in lacrimas gemitusque visa ad caput eius delegata manus dextera, divinae eloquentiae ministra: ceterorumque caedes privatos luctus excitaverunt, illa una communem.* Brutidius Niger ibid. p. 40 sq. *Ut vero iussu Antonii inter duas manus positum in Rostris caput conspectum est, quo toties auditum erat loco, dato gemitu et fletu maximi viri inferiae, nec ut solet, ita depositi in Rostris corporis concio audivit, sed ipsa narravit. Nulla non pars fori aliqua actionis inclitae signata vestigio erat. Nemo non aliquod eius in se meritum fatebatur: hoc certe publicum beneficium palam erat, illam miserrimi temporis servitutem ac lanienam dilatam in Antonium.* Seneca Suasor. VII. p. 40. *Et hic voluit positi in Rostris capitis miserabilem faciem describere (Brutidius Niger), sed magnitudine rei obrutus est.* Cornel. Severus ap. Senecam l. c. p. 43 sq. (conf. Anthol. Lat. Burm. T. I. p. 334 sq.)

Oraque magnanimum spirantia saepe virorum
In Rostris iacuere suis; sed enim abstulit omnes,
Tamquam sola foret, rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia consulis acta,
Iurataeque manus, deprensaque foedera noxae,
Patriciumque nefas extinctum, et poena Cethegi,
Deiectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor, aut coetus? pleni quid honoribus anni
Profuerunt? sacris exacta quid artibus aetas?
Abstulit una dies aevi decus; ictaque luctu
Conticuit Latiae tristis facundia linguae,
Unica sollicitis quondam tutela salusque;
Egregium semper patriae caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum, iurisque, togaeque:
Publica vox saevis aeternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Canitiem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus civis proiecta superbis

Proculcavit ovans: nec lubrica fata Deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius aevo.
Haec nec in Aemathio mitis victoria Perse,
Nec te, dire Syphax, non fecit in hoste Philippo:
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Abfuerunt: nostraeque cadens ferus Hannibal irae
Membra tamen Stygias tulit inviolata sub umbras.

Plutarch. Cic. c. 49. 1. *Θέαμα Ῥωμαίοις φριχτὸν, οὐ τὸ Κικέρωνος ὀρᾶν πρόσωπον ὀλομένοις, ἀλλὰ τῆς Ἀντωνίου ψυχῆς εἰκόνα.* Appian. B. C. IV. c. 20. *Ἡ κεφαλὴ δὲ τοῦ Κικέρωνος καὶ ἡ χεὶρ ἐν ἀγορᾷ τοῦ βήματος ἀπεκρέμαντο ἐπιπλεῖστον, ἔνθα πρότερον ὁ Κικέρων ἐδημηγόρει· καὶ πλείονς ὀψόμενοι συνέθεον, ἢ ἀκροώμενοι.*

(20) Vixit igitur M. Tullius Cicero annos LXIII, menses XI, dies IV; sive annos LXIV, minus XXVII diebus.

Livii fragm. apud Senec. Suasor. VII. p. 41. *Vixit tres et sexaginta annos, at, si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit: ingenium et operibus et praemiis operum felix: ipse fortunae diu prosperae, et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium, pro quibus steterat, filiae morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit praeter mortem: quae vere aestimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nil crudelius passus erat, quam quod eiusdem fortunae compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cuius laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit.* Id. Epit. l. c. Aufidius Bassus ap. Senec. l. c. p. 42. *Sic M. Cicero decessit, vir natus ad reipublicae salutem: quae diu defensa et administrata, in senectute demum e manibus eius elabitur, non ipsius vitio, nisi quod nihil in salutem eius aliter illi, quam si caruisset Antonio, placuit. Vixit* LXIII *annos, ita ut semper aut peteret alterum, aut invicem peteretur: nullamque rem rarius, quam diem illum, quo nullius interesset ipsum mori, vidit.* Aurelius Fuscus ibid. p. 49. *Quoad humanum genus incolume manserit, quamdiu usus litteris, honor summae eloquentiae pretium erit: quamdiu reipublicae nostrae aut fortuna steterit aut memoria duraverit, admirabile posteris vigebit ingenium, et uno proscriptus seculo proscribes Antonium omnibus. — Per te, M. Tulli, per quatuor et sexaginta annos pulchre actos — oro et obtestor, ne moriaris.* Cassiodor. ad a. U. C. 711. *His coss. (Hirtio et Pansa) Caesar Octavianus, Antonius et Lepidus amicitiae foedus inierunt. M. Cicero*

per Popillium militem Caietae occisus est annorum LXIII. Euseb. Arm. ed. M. R. *Olymp.* 184, 3. [rectius Olymp. 184, 2 = a. U. C. $\frac{711}{712}$.] *Cicero in Formiano suo ab Herennio Pompilio occiditur* LXIII. *aetatis suae anno.* Plutarch. Cic. c. 48. 2. *Ἐσφάγη δὲ — ἔτος ἐκεῖνο γεγονὼς ἑξηκοστὸν καὶ τέταρτον.* Ex XII Epitaphiis, quae Scholastici poetae in Tumulum Ciceronis fecerunt, satis sit primum et postremum hic referre. Primum, cuius auctor in aliis codd. Euphorbus vocatur in aliis Basilius, huiusmodi est:

Hic iacet Arpinas, manibus tumulatus amicis,
Qui fuit orator summus et eximius.
Quem nece crudeli mactavit civis et hostis.
Nil agis, Antoni: scripta diserta manent.
Vulnere nempe uno Ciceronem conficis: at te
Tullius aeternis vulneribus lacerat.

Alterum, quod alii Basilio tribuunt, alii Vitali, hoc est:

Inclytus hic Cicero est Lamiae pietate sepultus,
Quem fortuna neci tradidit immeritae.
Maximus eloquio, civis bonus, Urbis amator,
Perniciesque malis, profugiumque bonis.
Qui sexaginta completis ac tribus annis
Servitio pressam destituit patriam.

Reliqua qui legere cupit, adeat Anthologiam Latinam Burmanni T. I. p. 342—348. aut Ang. Maii librum, Mediolani editum a. 1817. 8°. *Cicero Ambrosianis codicibus illustratus et auctus*, p. 224 sqq.

(27) Prius tamen Q. Tullius Cicero, M. frater, a servis suis proditus, interfectus fuerat cum filio.

Plutarch. Cic. c. 47. 1. *Πραττομένων δὲ τούτων ὁ Κικέρων ἦν μὲν ἐν ἀγροῖς ἰδίοις περὶ Τοῦσκλον ἔχων τὸν ἀδελφὸν μεθ' αὑτοῦ· πυθόμενοι δὲ τὰς προγραφὰς ἔγνωσαν εἰς Ἄστυρα μεταβῆναι —. Ἐκομίζοντο δ' ἐν φορείοις ἀπειρηκότες ὑπὸ λύπης —. μᾶλλον δ' ὁ Κόιντος ἠθύμει, καὶ λογισμὸς αὐτὸν εἰσῄει τῆς ἀπορίας· — ἄμεινον οὖν εἶναι, τὸν μὲν Κικέρωνα προλαμβάνειν τῇ φυγῇ, αὐτὸν δὲ μεταθεῖν οἴκοθεν συσκευασάμενον. Ταῦτ' ἔδοξε —. Ὁ μὲν οὖν Κόιντος οὐ πολλαῖς ὕστερον ἡμέραις ὑπὸ τῶν οἰκετῶν προδοθεὶς τοῖς ζητοῦσιν ἀνῃρέθη μετὰ τοῦ παιδός· ὁ δὲ Κικέρων εἰς Ἄστυρα κομισθεὶς κτέ.* Appian. B. C. IV. c. 20. *Κόιντος δὲ, ὁ τοῦ Κικέρωνος ἀδελφὸς, ἅμα τῷ παιδὶ καταληφθεὶς, ἐδεῖτο τῶν σφαγέων, πρὸ τοῦ παιδὸς αὐτὸν ἀνελεῖν· τὰ δὲ ἐναντία καὶ τοῦ παιδὸς ἱκετεύοντος, οἱ σφαγεῖς ἔφασαν ἀμφοτέροις διαιτήσειν, καὶ διαλαβόντες ἕτερον ἑτέροι κατὰ σύνθημα φονεῖς, ἀνεῖλον*

ὁμαῦ. Dio XLVII. c. 10. 6. *Καὶ Κύιντον Κικέρωνα τὸν τοῦ Μάρκου ἀδελφὸν ὁ παῖς ἐξέπλεψε καὶ ὅσων ἐφ' ἑαυτῷ ἔσωσεν. αὐτὸς μὲν γὰρ καὶ κατέκρυψε τὸν πατέρα ὥστε μὴ εὑρεθῆναι, καὶ στρεβλωθεὶς ἐπὶ τούτῳ πάσας βασάνους οὐδὲν ἐξελάλησεν· μαθὼν δὲ ἐκεῖνος τὸ γεγενόμενον, καὶ θανμάσας τε ἅμα τὸν παῖδα καὶ ἐλεήσας, ἦλθεν ἐθελοντὴς ἐς τὸ ἐμφανὲς καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν τοῖς στρατεύσι παρέδωκεν.* Zonaras X. c. 17. De Q. fratre vide recentiorum scripta, quae citavimus ad a. 652. 3. et 690. 1.

(28) Soli Marco M. filio fortuna pepercit; quem deinde et aliis honoribus ornavit Octavianus, et, quum Antonium debellaret, a. U. C. 724. consul collegam cooptavit. Cuius in magistratu Senatus Antonii statuas deiecit omniaque abrogavit eius alia ornamenta: decrevitque insuper ne quis ex Antoniorum gente Marcus nominaretur. Ita ad extremum ultio Antonii divinitus ad domum Ciceronis fuit reducta; quae, quum Marcus filius nullos liberos reliquerit, universa simul cum eo exstincta est.

Seneca de Benef. IV. c. 30. 1. *Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria, et esse plures bonos iuvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium quae res consulem fecit, nisi pater?* Plinius H. N. XXII. c. 6. *Ipsum Augustum M. Cicerone filio consule Idibus Septembris Senatus obsidionali (corona) donavit.* Fasti Consul. ad a. 723. *Ex eid. Septemb. M. Tullius M. F. M. N. Cicero.* Appian. B. C. IV. c. 51. *Κικέρων δὲ, ὁ Κικέρωνος, προαπέσταλτο μὲν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐς τὴν Ἑλλάδα* [v. ad 709. 7.], *τοιάδε ἔσεσθαι προσδοκῶντος· ἀπὸ δὲ τῆς Ἑλλάδος ἐς Βροῦτον* [v. ad a. 711. 7.], *καὶ μετὰ Βροῦτον ἀποθανόντα, ἐς Πομπήιον ἐλθὼν, τιμῆς παρ' ἑκατέρῳ καὶ στρατηγίας ἠξιοῦτο. Ἐπὶ δ' ἐκείνοις αὐτὸν ὁ Καῖσαρ, ἐς ἀπολογίαν τῆς Κικέρωνος ἐκδόσεως, ἱερέα τε εὐθὺς ἀπέφηνε, καὶ ὕπατον οὐ πολὺ ὕστερον, καὶ Συρίας στρατηγόν· καὶ τὴν Ἀντωνίου περὶ Ἄκτιον συμφορὰν, ἐπισταλεῖσαν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, ὁ Κικέρων ὅδε, ὑπατεύων, ἀνέγνω τε τῷ δήμῳ, καὶ προὔθηκεν ἐπὶ τοῦ βήματος, ἔνθα πρότερον ἡ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ προὔκειτο κεφαλή.* Plutarch. Cic. c. 49. 3. *Ἐπεὶ μέντοι τάχιστα* (Καῖσαρ) *κατεπολέμησεν Ἀντώνιον, ὑπατεύων αὐτὸς εἵλετο συνάρχοντα τοῦ Κικέρωνος τὸν υἱὸν, ἐφ' οὗ τάς τ' εἰκόνας ἡ βουλὴ καθεῖλεν Ἀντωνίου καὶ τὰς ἄλλας ἠκύρωσε τιμὰς καὶ προσεψηφίσατο μηδενὶ τῶν Ἀντωνίων ὄνομα Μάρκον εἶναι. Οὕτω τὸ δαιμόνιον εἰς τὸν*

Κικέρωνος οἷον ἐπανήνεγκε τὸ τέλος τῆς Ἀντωνίου κολάσεως. Dio LI. c. 19. 3. *Καὶ τὰ τοῦ Ἀντωνίου κοσμήματα τὰ μὲν καθεῖλον τὰ δ' ἀπήλειψαν, τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἐγεγέννητο μιαρὰν ἐνόμισαν, καὶ τὸ τοῦ Μάρκου πρόσρημα ἀπεῖπον μηδενὶ τῶν συγγενῶν αὐτοῦ εἶναι. ὡς μέντοι καὶ τεθνεῶτα αὐτὸν ἐπῄνουν (ἠγγέλθη δὲ τοῦτο Κικέρωνος τοῦ Κικέρωνος παιδὸς ἐν μέρει τοῦ ἔτους ὑπατεύοντος), τοῦτό τέ τινες ὡς οὐκ ἀθρεῖ δὴ συμβὰν ἐλάμβανον, ἐπειδή περ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου ὅτι μάλιστα ἐτεθνήκει.* De Cicerone filio scripserunt Vallambertus et Meierotto, quorum libros citavimus ad a. 690. 5. quibus addi poterit Mr. l'Abbé Macé, *Histoire des quatre Cicérons. Dans laquelle on fait voir par les Historiens Grecs et Latins que le fils de M. T. Ciceron étoit aussi illustre que son père.* Paris 1714. 8°. repetit. La Haye 1725. 8°.

INDEX

IN

ANNALES CICERONIANOS.

Indicem subiecci, absque quo, meo quoque iudicio, liber omnis prope exanimis est et cadaver.

Iac. Gothofredus, *Praef. ad Libanii Sophistae Orationes* (Oper. Iurid. Min. ed. Trotz p. 868.)

Abstinentia Ciceronis, in quaestura p. 577. in aedilitate 589. n praetura 594. in proconsulatu 725.

Academiae princeps, Philo 549. Academiae philosophiam duobus libris illustrat Cicero 773. Academicorum librorum duplex recensio 773.

T. Accius Pisaurensis accusat Cluentium 597.

M'. Acilius Glabrio, cos. (a. 687) 593.

Actio prima in Verrem 587. actionis secundae libri quinque postea scripti 588.

C. Aculeo, reus factus a Gratidiano, defenditur a L. Crasso 588. Aculeonis filii sunt condiscipuli Ciceronum 588.

Adoptio Clodii 656. 659.

Aedes, Bellonae 611. Castoris 678. Concordiae 682. 791. Libertatis 678. 698. Iovis Mariana 687. Statoris 625. Telluris 779.

Aedilis creatur M. Cicero 586. Q. Cicero 599.

Aedilitate funguntur: M. Aemilius Scaurus 681. C. Claudius Pulcher 581. P. Cornelius Lentulus Spinther 616. Q. Hortensius 578. M. Iunius Silanus 584. P. Licinius Crassus 518. L. Licinius Crassus 520. L. et M. Licinius Lucullus 571. Q. Mucius Scaevola 520. Cn. Plancius 709. M. Seius 580. M. Tullius Cicero 589. Q. Tullius Cicero 599. C. Virgilius 599.

L. Aelius Lamia, patronus M. Marii Gratidiani contra L. Crassum, qui defendit Aculeonem 588.

Aelius Ligur, trib. pl. inimicus Ciceroni 678.

Q. Aelius Tubero accusat Ligurium 766.

M. Aemilius Lepidus, cos. (a. 676) 572. in exsilium ire cogitur a collega Catulo 572.

M'. Aemilius Lepidus, cos. (a. 688) 594.

M. Aemilius Lepidus, praetor Caesarem dictatorem dicit 747. cos. (a. 708) 759. ad Antonii partes inclinans, senatum cohortatur ad pacem cum Antonio faciendam 810. cum Antonio se coniungit et hostis iudicatur a senatu 815. pace facta cum Octaviano, triumvir creatus reip. constituendae, inimicos suos et vel fratrem suum proscribit 817. 819.

Mam. Aemilius Lepidus Livianus, cos. (a. 677) 574.

L. Aemilius Paullus, cos. (a. 704) 730. a fratre suo adoptivo Lepido in proscriptorum gregem coniectus 819.

M. Aemilius Scaurus, (princeps senatus) in petitione consulatus postpositus Q. Fabio Maximo 519. testis in C. Norbanum 586. scribit de Vita sua 549.

M. Aemilius Scaurus M. F. defenditur a Cicerone 708.

Aeschinis Oratio in Ctesiphontem a Cicerone in Latinum sermonem conversa p. 720.

Aeschylo Cnidio operam dat Cicero 573.

Aesopus, histrio 566.

L. Afranius, cos. (a. 694) 654. legatus Pompeii in Hispania superatur a Caesare 746.

L. Afranius L. F. ad Thapsum vincitur 761.

Agraria lex, lata a L. Appuleio Saturnino 525. a L. Flavio 656. a P. Servilio Rullo, cui restitit Cicero 608. a Sex. Titio 530.

Ahenobarbus v. Domitius.

Albinovanus v. Tullius.

Albinus v. Postumius.

T. Albucius, repetundarum postulatus 580.

Alexandri M. castra apud Issum 727.

Alexandriam venit Caesar 751. bellum gerit Alexandrinum contra Ptolemaeum 752. eam urbem expugnat 755.

Alexandrinus rex v. Ptolemaeus Auletes.

Allobrogum legati a Catilina in coniurationem pelliciuntur 629. ex praecepto Sangae simulant studium coniurationis 630. relinquunt Urbem duce Vulturcio 630. comprehensi in ponte Mulvio 631. omnia aperiunt 632. qua de re praemiis donantur 636.

Allobroges a C. Pomptinio subiguntur 654.

Amanus, mons inter Ciliciam et Syriam, in quo Cicero magnam occidit hostium multitudinem 727.

C. Amatius, (Chamaces) Pseudo-Marius 781.

Ambitus licentia aucta 604. 715. lex lata aucta cum poena 604. de ambitu postulatur Autronius Paetus 599. L. Calpurnius Bestia 697. P. Cornelius Sulla 599. M. Cispius 701. Q. Gallius 607. L. Licinius Murena 627. P. Sextius 695.

Amerinus v. Roscius.

de Amicitia scribit Cicero 784.

Ἀμνηστίας verbum a Cicerone usurpatum post caedem Caesaris 779.

Amor civium Romanorum in Ciceronem 634. 635. 639. 640. 668. 669. 690. 789. 813. 828. Siculorum 577. 589. Ciliciun 725.

M. Anneius, legatus Ciceronis in Cilicia 728.

T. Annius Milo, trib. pl. reditum Ciceronis adiuvat 684. 685. consulatum petit 714. summas habet inimicitias cum Clodio 715. interficit Clodium 715. de vi accusatus, defenditur a Cicerone 717. condemnatus abit in exsilium 717.

Annonae caritas, in quaestura Ciceronis 577. post reditum Ciceronis 691.

Annoniana lex Clodii 665.

Anti-Cato, scriptum Caesaris 764.

Antiochi Commageni legati veniunt ad Ciceronem procos. 726.

Antiochia a Parthis obsessa 727.

Antiochus, philosophus Academicus, docet Ciceronem 569. post mortem Sullae auctor est M. Ciceroni capessendae reip. 578. Antiochi Philosophiam valde probat Varro 773.

P. Antistius, Pompeii socer, occiditur p. 561.

M. Antonius, orator, in Ciliciam proficiscitur propraetor 590. consul (a. 655) 529. resistit Sex. Titio, trib. pl. 530. defendit M'. Aquillium 532. floret in foro 534. defendit C. Norbanum 536. iussu Cinnae et Marii trucidatur 552.

C. Antonius, oratoris filius, consulatum petit 604. consul designatur cum Cicerone 605. consulatum (a. 691) gerit 608. pactione provinciae a collega perpulsus ne contra remp. sentiat 609. cum exercitu adversus Catilinam proces. mittitur 643. profecti in Macedoniam res eius defendit Cicero 646. rem male gerit in Thracia 655. e provincia redux accusatur et condemnatus abit in exilium 658.

M. Antonius, trib. pl. clam profugit ad Caesarem 735. Ciceroni negotium exhibet degenti in praediis maritimis 745. aegre parcit Ciceroni cum D. Laelio 751. magister equitum 752. Italiam percursat et in omnes crudeliter saevit 757. consulatum gerit (a. 710) 776. Lupercalibus diadema imponit Caesaris capiti 776. criminatur Ciceronem participem fuisse caedis Caesaris 778. habet Orationem de Concordia 780. coepit omnia in rep. miscere 781, et bonis omnibus terrorem iniicere 782. qua de re L. Piso primus in eum invehitur 782. Ciceroni inimicitias denuntiat ob Orationem Philippicam primam 790, ad quam respondet in aede Concordiae 791. proficiscitur Brundisium 792, ibique et Suessae Auruncae crudelissime saevit 792. cum magno comitatu Urbem ingreditur 795. derelictus autem a legione Martia et Quarta 796, confestim in Galliam paludatus discedit 796. ubi, circumsidens Mutinam, oppugnat Brutum 798. legatio ad eum mittitur 800, quam contemnit 802. in praelio ad Forum Gallorum vincitur 811. iterumque victus in praelio ad Mutinam fugit in Galliam 812. coniungit se cum M. Lepido 815. auctis deinde viribus Dec. Brutum, a legionibus suis derelictum, capit et interficit 816. pace facta cum Octaviano, triumvir creatus resp. constituendae, inimicos suos proscribit 817. 819. percussores in Ciceronem immittit Herennium centurionem et M. Popilium Laenatem 820. a quibus quum membra Ciceronis perlata essent Romam, laetus ea pro Rostris poni iussit 822. occiso Ciceroni Fulviam uxorem illudere sinit 823. Antonius quum ab Octaviano debellatus esset, Senatus statuas eius deiecit 827.

M. Antonius Gnipho docet rhetoricam 599.

L. Appuleius Saturninus, trib. pl. seditionem movet 525. occiditur 527. 611.

L. Appuleius, praetor in Macedonia 676.

P. Appuleius, trib. pl. Ciceronem producit in concionem et de M. Antonio interrogat 801. concionem habet, qua Ciceronem a suspicione fascium apud populum liberat 812.

Aqua et igni interdicitur Ciceroni 667.

M'. Aquillius, cos. (a. 653) 528. ad bellum Servile missus 531. accusatus repetundarum, defenditur ab Antonio 532.

C. Aquillius Gallus, iudex in caussa P. Quintii 564. praetor cum Cicerone, exercet quaestionem ambitus 594.

Arati Phaenomena a Cicerone vertuntur 544. item Prognostica 657.

Archias v. Licinius.

Archimedis sepulcrum a Cicerone indagatur p. 577.

Ariminum occupat Caesar 737.

Ariobarzanes, Eusebes et Philoromaeus a Cicerone in provincia defensi 722. 726.

Arpinum, patria Ciceronis 516. item Marii 517. ibi Cicero togam puram dat filio 744.

Arretina mulier a Cicerone defensa 568.

Asia a M. Cicerone peragrata 573. a Q. Cicerone per triennium administrata 650. sub L. Valerio Flacco 659. ibi Caesar per Domitium bellum gerit cum Pharnace 754. sub C. Trebonio 806.

Asiaticis rhetoribus operam dat Cicero 573.

Asinius Pollio exercitu suo auget vires Antonii 816.

Athenis quando fuerit Cicero 569. 725. 732. eo mittit filium suum studiorum causa 771. quem quum visere cuperet, profectionis initium fecit, sed non absolvit iter 787.

C. Atilius Serranus, cos. (a. 648) 515.

Sex. Atilius Serranus, trib. pl. inimicus Ciceroni 681. impedit reditum Ciceronis 683.

L. Atratinus accusat M. Caelium 699.

Atticorum oratorum laus propria 573.

Atticus v. Pomponius.

Q. Attius Labienus in tumultu Saturnini interfectus 527.

T. Attius Labienus, trib. pl. accusat C. Rabirium 527. 611. reliquit Caesarem, cui legatus fuerat, et transit ad partes Pompeii 739. nuntius cladis Pharsalicae venit Dyrrhachium 749.

Cn. Aufidius Orestes, cos. (a. 683) 583.

Augurum auctoritas 530. in eorum collegium cooptatur Cicero 713.

Augustus v. Octavius.

Auletes v. Ptolemaeus.

C. Aurelius Cotta tribunatu depulsus 540. lege Varia reus factus sponte abit in exsilium 540. 542. cum Sulla redit Romam 562. floret maxime in foro 540. oppugnat mulierem Arretinam 568. defendit M. Canuleium 575. item Cn. Dolabellam 575. gerit consulatum (a. 679) 577.

M. Aurelius Cotta, cos. (a. 680) 579. bellum gerit contra Mithridatem 581. ex Asia redux accusat P. Oppium 593.

L. Aurelius Cotta, praetor iudicia communicat cum equitibus et tribunis aerariis 584. consulatum gerit (a. 689) 600. ornate dicit de salute Ciceronis 683.

L. Aurelius Orestes, cos. (a. 651) 520.

de Auspiciis legem fert Clodius 665.

P. Autronius Paetus ambitus damnatus 599. coniurat cum Catilina 600.

Balbus v. Cornelius.

Belli nomen quum displiceret, tumultus decretus 803.

Bellum Africanum 758. 761. Alexandrinum 751 sq. Catilinarium 643. in Cilicia gestum a Cicerone 726. Cimbricum 523. Civile, inter Marium et Sullam 545. inter Octavium et Cinnam 551. inter Caesarem et Pompeium 734. 748. inter Antonium et Octavium 798. 798. 811. Gallicum

p. 660. 671. 698. 701. 705. Hispaniense 746. 767. 774. Mithridaticum 550. 557. 595. Parthicum 712. cum Pharnace gestum 754. Sertorianum 571. 578. 582. Sociale s. Marsicum 541.

Bestia v. Calpurnius.

Bibulus v. Calpurnius.

Bonae Deae sacra in domo Ciceronis fiunt 685. in domo Caesaris violantur a Clodio 648.

Bononiae moritur C. Vibius Pansa, cos. (a. 711) 811.

Bononiensis Triumvirorum congressus 817.

Bovillana pugna 715.

Brogitarus Gallograecus 675.

Brundisium Cicero venit exsul 676. eodem venit post exsilium 690. item, profecturus in provinciam 724. denuo, decedens e provincia 782. expugnatur a Caesare 748. victo Pompeio Cicero ibi diu moratur exspectans Caesarem 750. 758.

Brutus v. Iunius.

Brutus s. de Claris Oratoribus, scriptum Ciceronis 768.

Bulbus v. Norbanus.

Bursa v. Munatius Plancus.

Byzantini exsules per Clodium restituti 675.

Caeciliae, filiae Metelli Balearici, somnium 548.

Q. Caecilius Metellus Numidicus in exsilium profectus 525. in civitatem restituitur 529.

Q. Caecilius Metellus Nepos, cos. (a. 656) 531.

Q. Caecilius Metellus Pius, cos. (a. 674) 566. in Hispaniam proficiscitur contra Sertorium 571. bellum gerenti Pompeius venit auxilio 575. acerrima praelia gerit 578.

Q. Caecilius Metellus Creticus, cos. (a. 685) 589.

L. Caecilius Metellus, cos. (a. 686) 590.

Q. Caecilius Metellus Nepos, trib. pl. Ciceronem in exitu consulatus verba facere vetat 640. cuius temeritati Cicero resistens, Orationem habet contra Concionem Metelli 642. fit consul (a. 697) 688. cum Cicerone redit in gratiam 687.

Q. Caecilius Metellus Celer, praetor, cui Cicero provinciam Galliam concesserat 618. a Cicerone in coniuratione Catilinae praemittitur in agrum Gallicanum et Picenum 622. uxorem habet incestam, P. Clodii sororem 649. 699. fit consul (a. 694) 654.

Q. Caecilius Metellus Pius Scipio spectaculum dat gladiatorium in honorem Q. Metelli 689. fit consul (a. 702) a genero suo Pompeio collega lectus 718. sententiam dicit in senatu de Caesare 784. a Caesare victus in Africa se occidit 761.

Q. Caecilius Niger contra Ciceronem contendit se potius accusatorem constitui oportere 585. Caecilio negatur nominis deferendi potestas 586.

A. Caecina a Cicerone defenditur 590.

C. Caelius Caldus, cos. (a. 660) 535.

C. Caelius Caldus L. F. C. n. quaestor, a Cicerone praeponitur provinciae 781.

M. Caelius Rufus accusat C. Antonium p. 658. accusatus ab Atratino defenditur a Cicerone et Crasso 699. defendit Saufeium 718. sententiam dicit in senatu de Caesare 735. Ciceronem in bello civili obsecrat ut ab omni contentione absit 745.

M. Caeparius, socius Catilinae, supplicio affectus 689.

Caepio v. Servilius.

Caesar v. Iulius.

Calenus v. Fufius.

Q. Calidius, trib. pl. in civitatem restituit Metellum 529.

M. Calidius accusat Q. Gallium 607. sententiam dicit in senatu de Caesare 735.

L. Calpurnius Bestia ex lege Varia abit in exsilium 542.

L. Calpurnius Bestia a Cicerone defenditur 697.

M. Calpurnius Bibulus, cos. (a. 695) 657. procos. in Syria male rem gerit cum hostibus 728.

M. Pupius Piso Calpurnianus audit Antiochum Athenis cum Ciceronibus 569. in petitione aedilitatis postponitur M. Seio 580. defendit Virgines Vestales, incestus crimine accusatas 589. fit consul (a. 693) 649.

C. Calpurnius Piso, cos. (a. 687) 598. ex Gallia Narbonensi redux accusatus defenditur a Cicerone 628.

L. Calpurnius Piso Caesoninus, cos. (a. 696) 668. crudelis in Ciceronem 664. 668. 669. proficiscitur in Macedoniam 680. unde ipsum revocandum censet Cicero 698. de qua insectatione Piso conquestitur in senatu 703. ad quae respondet Cicero Oratione in ipsum habita 703. post caedem Caesaris primus in senatu invehitur in Antonium 782. legatus mittitur ad Antonium 800.

Calvinus v. Domitius.

Campani agri divisio 661. in Campania oritur seditio apud legiones 756.

L. Caninius Gallus, trib. pl. 694. a Cicerone defenditur 704.

M. Canuleius defenditur ab Hortensio et Cotta 575.

Capitolium concrematur 559. de caelo percutitur 602.

Capua Ciceroni tuenda traditur in bello civili 740.

Carbo v. Papirius.

C. Cassinius, apud quem Clodius videri volebat mansisse Interamnae 651.

C. Cassius Longinus, cos. (a. 658) 536.

C. Cassius Longinus, quaestor Crassi in Syria relictus, fugat Osacen, Parthorum ducem 727. conspirat in Caesarem 777. a Cicerone commendatus qui deligatur ad Dolabellam bello persequendum 807.

Q. Cassius Longinus, trib. pl. clam profugit ad Caesarem 735. praefectus Caesaris, in Hispania 755.

C. Cassius Varus, cos. (a. 681) 581.

Castor avum suum, Deiotarum, accusat 775.

Catilina v. Sergius.

Catilinariae Orationes IV. Prima 625. Secunda 626. Tertia 635. Quarta 636.

Cato v. Porcius.

Cato s. Laus Catonis, scriptum Ciceronis p. 764.

Cato Maior s. de Senectute, scriptum Ciceronis 784.

Catulus v. Lutatius.

Censoria potestas a Clodio imminuta 666.

Cethegus v. Cornelius.

Chamaces v. C. Amatius.

Chirographa falsa Caesaris proferuntur ab Antonio 781.

Cilicia provincia regitur a M. Antonio 520. ab App. Claudio Pulchro 723. 725 sq. a Cicerone 722.

Cimbri a Mario victi 523. de Cimbricis manubiis exstruitur porticus 524. Cimbricum bellum versibus celebratum ab Archia 522.

Cinna v. Cornelius.

M. Cispius, trib. pl. Ciceronis reditum adiuvat 684. 685. a Cicerone defenditur 701.

Civiles discordiae v. Bella.

de Claris Oratoribus s. Brutus, scriptum Ciceronis 768.

M. Claudius Marcellus, cos. (a. 703) 721. in senatu contendit ut Caesari successor mittatur in Galliam 729. 735. Mitylenis exsulanti in bello civili reditus in patriam permittitur a Caesare 702. quo beneficio frui non potuit, occisus a Magio Chilone 703.

C. Claudius Marcellus C. F. cos. (a. 704) 730.

C. Claudius Marcellus M. F. cos. (a. 705) 734.

M. Claudius Marcellus Aesserninus in Hispania arma capit contra Cassium Longinum 735.

C. Claudius Pulcher, aedilis 531. cos. (a. 662) 587.

App. Claudius Pulcher, App. F. C. n. cos. (a. 675) 568.

App. Claudius Pulcher, App. F. senator a Cicerone adhibitus, qui indicum dicta perscriberet 632. cos. (a. 700) 706. Ciliciam provinciam administravit ante Ciceronem 723.

Clodiae i. e. sorores P. Clodii tres, quarum unam in matrimonio habebant L. Licinius Lucullus 649. aliam Q. Caecilius Metellus Celer 649. 699. tertiam Q. Marcius Rex 649.

Clodiani Ciceronem, pro Milone dicentem, acclamationibus suis perturbant 717.

P. Clodius Pulcher App. F. accusat Catilinam repetundarum 691. violat sacra Bonae Deae in domo Caesaris 648. accusatus crimine incestus absolvitur 651. in senatu a Cicerone tum oratione perpetua tum altercatione frangitur 658. transitionem molitur ad plebem 656. traducitur ad plebem 659. fit tribunus pl. et continuo se convertit in Ciceronem 662. in eiiciendo Cicerone utitur consulum operâ aliorumque principum virorum 664. leges fert tum alias perniciosas reip. 664, tum legem de pernicie Ciceronis 667. post cuius discessum refert ad populum de exsilio eius 673. Ciceronis domum diruit, villas incendit, reliqua bona diripit 672. legem fert de publicando Ptolemaeo, rege Cypri 673. de exsulibus Byzantinis 675. de Pessinuntio Matris Magnae sacerdote 675. in templo Castoris insidiatur Pompeio 678. Ciceronis reditum omni ratione impedit 684. Post Ciceronis reditum novas seditiones excitat in caritate annonae

p. 691. summas habet inimicitias cum Milone 715, a cuius servis interficitur 715.

Sext. Clodius adiutor est P. Clodio in facinoribus perpetrandis 691.

A. Cluentius Avitus a Cicerone defenditur 597.

de Collegiis legem fert Clodius 666.

Colloquium Cicero habet de rep. cum Pompeio 734. 738. cum Caesare 744.

Cominii fratres accusant C. Cornelium de maiestate 596.

Comoedus v. Roscius.

Competitores Ciceronis in petitione Consulatus 604.

in Concionem productus Cicero exponit quae in senatu acta et decreta sint 684. 797. 801. 808.

de Concordia Orationem habet Antonius post caedem Caesaris 789.

Condiscipuli Ciceronis 538. inter quos eminet litterarum studio 540.

Confusio annorum 607. a Caesare correcta 709.

Coniuratio Catilinaria eruitur industria Ciceronis 617.

Consolatio s. liber de luctu minuendo, scriptum Ciceronis 770.

Consolatoriae litterae ad Ciceronem scribuntur de morte Tulliae 770.

de Consulatu suo Commentarium scribit Cicero 655. scripta iam ante Epistola, voluminis instar, ad Pompeium 644.

Cordubenses poetae 571.

Corfinium a Caesare capitur 740.

L. Cornelius Balbus a Cicerone defenditur 699.

L. Cornelius Cinna, cos. (a. 667) 550. ab Octavio ex Urbe expellitur 551. redit in Urbem cum exercitu 552. gerit consulatum alterum (a. 668) 554. tertium (a. 669) 556. quartum (a. 670) 557.

C. Cornelius de maiestate accusatur 596. a Cicerone defenditur 601.

C. Cornelius Cethegus, socius Catilinae, pollicetur sese interfecturum Ciceronem 624. supplicio afficitur 639.

Cn. Cornelius Dolabella, cos. (a. 673) 568. in Asiam provinciam proficiscitur 567. repetundarum accusatur a C. Iulio Caesare 575.

P. Cornelius Dolabella, gener Ciceronis, seditiones excitat Romae 755. apud Ciceronem dicendo exercetur 768 sq. divortium facit cum Tullia 768. ab Antonio creatur consul (a. 710) in locum Caesaris 778. Ciceroni dat ius liberae legationis 787. relicta ante finitum consulatum Roma, irrumpit in Asiam 799. C. Trebonium Smyrnae crudeliter opprimit 806. a senatu hostis iudicatur 807.

Cn. Cornelius Lentulus, cos. (a. 657) 538.

Cn. Cornelius Lentulus Clodianus ex bello Mithridatico Romam redit 562. fit consul (a. 682) 582.

Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, cos. (a. 698) 694.

L. Cornelius Lentulus Crus, cos. (a. 705) 734. sententiam dicit in senatu de Caesare 734.

P. Cornelius Lentulus Sura ex bello Mithridatico Romam redit 562. fit consul (a. 683) 583. iterum praetor socios Catilinae incitat ad caedem principum et incendium Urbis 629. hortatur Allobrogum legatos ut concitent Gallos contra remp. Romanam 629. coniuratione patefacta comprehensus, a Cicerone manu in senatum perducitur 632. iubetur in custo-

diam tradi, abdicata praetura 688. ultimo supplicio afficitur p. 689.

P. Cornelius Lentulus Spinther, aedilis 616. in custodiam ipsi traditur Lentulus praetor 688. consul designatus caussam suscipit Ciceronis exsulis 679. consulatum (a. 697) gerens, eximiam Ciceroni revocando navat operam 688. in clade Corfiniensi incolumis dimittitur a Caesare 740.

L. Cornelius Merula, cos. (a. 667) 551.

L. Cornelius Scipio Asiaticus, cos. (a. 671) 558. ab exercitu suo relictus vincitur a Sulla 559.

P. Cornelius Scipio Nasica in Africa victus se occidit 761. Hic quum a Q. Metello Pio adoptatus esset, vulgo vocatur Q. Caecilius Metellus Pius Scipio v. Caecilius.

L. Cornelius Sulla, legatus in bello Sociali caedit Marsos 544. fit consul (a. 666) 545. ei traditur imperium belli Mithridatici 545. dissensio civilis hinc orta cum Mario 546. interficit P. Sulpicium Rufum 547. pellit Marium 548. proficiscitur ad bellum Mithridaticum 550. feliciter gerit bellum 557. redit in Italiam 558. vincit Scipionem et Norbanum coss. 559. urbem Romam recipit 560. Dictator creatur et omnes, quos oderat, proscribi iubet 562. proscriptorum filios excludit iure honorum 612. remp. constituit legibus 563. alterum consulatum gerit (a. 674) 566. Dictatura se abdicat 571. moritur 579.

P. Cornelius Sulla, cos. des. ambitus damnatur 599. accusatus a L. Torquato, defenditur ab Hortensio et a Cicerone 645.

Ser. Cornelius Sulla P. fr. socius Catilinae, quem nemo defendere ausus est 645.

Q. Cornificius, competitor Ciceronis in consulatu 604.

C. Cosconius, praetor, a Cicerone adhibitus, qui indicum dicta perscriberet 632.

Cotta v. Aurelius.

Crantor, quem Cicero secutus est in Consolatione 771.

Crassipes v. Furius.

Crassus v. Licinius.

Cratippum philosophum Athenis audit M. Cicero filius 786.

Crus v. Cornelius Lentulus.

Curio v. Scribonius.

Q. Curius, Catilinarius, per Fulviam amicam Ciceroni coniurationem prodit 609.

Custodia libera 622. 638.

Cyprus, auctore Clodio, in provinciae formam redigitur a Catone 678. in Cyprum, partem provinciae suae, Cicero mittit Volusium 730.

Damasippus v. Licinius.

Decembri mense magistratum ineunt tribuni plebis 662. 681. 797.

Declamitat Cicero et Graece et Latine adolescens, cum aequalibus 556. praetor in schola Gniphonis 599. senex cum Hirtio et Pansa 764.

Decula v. Tullius.

Deiotarus a Cicerone defenditur 775.

Demetrius Syrus docet Ciceronem 573.

Demosthenis Oratio pro Ctesiphonte a Cicerone in Latinum sermonem conversa p. 720.

Dextantes, quos non habebant Romani, solvuntur semissibus cum trientibus 665.

Dictator creatur L. Cornelius Sulla 562. C. Iulius Caesar 747. 761. in interregno Pompeium dictatorem creatum volunt tribuni plebis 713.

T. Didius, cos. (a. 656) 581.

Diodotus Stoicus exercet Ciceronem in dialectica 556. in domo Ciceronis moritur 662.

Dionysius Magnes docet Ciceronem 578.

Dionysius, servus litteratus Ciceronis, docet huius et Q. fratris filium 724. comes Ciceronibus in Cilicia 724.

Discipulos Cicero habet Pansam, Hirtium, Dolabellam 768 sq.

Divinatio in Caecilium 586.

de Divinatione scribit Cicero 784.

Divortium cum Pompeia facit Caesar 648. cum Terentia Cicero 767. cum Tullia Dolabella 768.

Dolabella v. Cornelius.

Cn. Domitius Ahenobarbus, cos. (a. 658) 583.

L. Domitius Ahenobarbus, cos. (a. 660) 585.

L. Domitius Ahenobarbus Cn. F. praetor cum Caesare altercatur 671. fit consul (a. 700) 706. Corfinii expugnatus a Caesare dimittitur incolumis 740. eius uxor, Porcia, soror Catonis, singulari scripto laudata a Cicerone 774.

Cn. Domitius Calvinus, cos. (a. 701) 712. a Caesare missus in Asiam, bellum gerit contra Pharnacem 754.

Domus Ciceronis in Palatio, emta de P. Crasso 646. per Clodium trib. pl. diruta 672. post summam Clodii contentionem, in qua Cicero Orationem habet pro Domo sua, publice restituitur 693. a Clodio aedili inter ea loca refertur, quae consecrata profana haberentur 697.

Drusus v. Livius.

Drusus a Cicerone defensus 708.

Durionse praelium v. Turiense.

Dyrrhachium Cicero contendit exsul 676. eodem redit 679. discedit inde 690. ibi Pompeius obsidetur a Caesare 748. in pugna Pharsalica Cicero ibi remanet cum Varrone et Catone 749. eo Labienus venit nuntians interitum exercitus 749.

Eleusinia mysteria 570.

Eleutherocilicum oppidum munitissimum a Cicerone capitur 728.

Epicureos philosophos Athenis audit Cicero 570.

Epistolae Ciceronis ad Familiares 590. ad Atticum 591. Epistola, voluminis instar, a Cicerone ad Pompeium scripta de rebus suis in consulatu gestis 644. Epistola ad L. Lucceium scripta 700. Epistola, ex provincia scripta de rebus a se gestis, in senatu recitatur 726. in bello civili Cicero modo epistolas accipit a Pompeio 740. 741. modo a Caesare 743. 744. 745. 758.

Equites exercent iudicia 558. quam potestatem Sulla transfert ad se-

natum p. 564. ex lege Aurelia denuo iudicia cum equitibus et tribunis aerariis communicantur 584. in theatro equitibus spectandi gratia XIV ordines dantur 594. equitum commoda Cicero in senatu defendit 658. in luctu Ciceronis quum vestem mutassent equites, a consulibus iubentur ad vestitum suum redire 668.

Euphratem transit M. Crassus 719.

Exilium Ciceronis 669. reditus ab exsilio 690.

in Exsilium abeunt T. Annius Milo 717. C. Antonius 658. C. Aurelius Cotta 540. 542. Q. Caecilius Metellus Numidicus 526. L. Calpurnius Bestia 542. M. Claudius Marcellus 762. Memmius (Mummius) 542. P. Rutilius Rufus 574.

Fabatus v. Roscius.

Q. Fabius Maximus Eburnus in petitione consulatus (a. 668) praelatus M. Scauro 519.

M. Fabius subscriptor in caussa M. Fonteii 590.

Q. Fabius Sanga, patronus Allobrogum 629. de coniuratione Catilinae certior factus, rem omnem aperit Ciceroni 630.

Q. Fabius Maximus, cos. (a. 709) 774.

C. et L. Fabricii, fratres gemini, quorum libertus fuit Scimander 598.

Q. Fabricius, trib. pl. Ciceronis reditum adiuvat 684. 685.

Fanum condere vult Cicero in honorem Tulliae 769.

Fascium suspicione liberatur Cicero a P. Appuleio trib. pl. 812.

Fasti a C. Iulio Caesare correcti 759.

de Fato scribit Cicero 784.

Fibrenus fluvius per Arpinatem Ciceronis fundum fertur 810.

Figulus v. Marcius.

Fimbria v. Flavius.

de Finibus Bonorum et Malorum quo anno habita fingatur disputatio 720. quando scripto consignata 773.

Flaccilana area 524.

Flaccus v. Valerius et Laenius.

C. Flaminius, praetor cum Cicerone, exercet quaestionem inter sicarios 594.

C. Flavius Fimbria, cos. (a. 650) 519.

L. Flavius trib. pl. legem agrariam promulgat 656.

M. Fonteius a Cicerone defenditur 589.

Formiis moratur Cicero primo tempore belli civilis 740.

Formiana villa per Clodium incensa 672. publice restituta 693.

ad Forum Gallorum vincitur Antonius 811.

Frumentaria lex Clodii 665. frumentariae rei cura, auctore Cicerone, committitur Pompeio 691.

L. Fufius accusat M'. Aquillium 532.

Q. Fufius Calenus, trib. pl. amicus Clodii 651. de pace cum Antonio agens in senatu, obiurgatur a Cicerone 803. et quum iniquior esset in M. Brutum, iterum a Cicerone refutatur 805.

Fulvia Ciceronem de coniuratione Catilinae facit certiorem 669.

Fulvia, uxor Antonii, occiso Ciceroni illudit 828.

M. Fundanius a Cicerone defenditur p. 598.

Furius Crassipes, sponsus Tulliae 705. in huius hortis Crassus coenavit apud Ciceronem 705.

C. Furnius a Caesare epistolam perfert ad Ciceronem 748.

P. Gabinius Cimber, socius Catilinae, supplicio affectus 689.

A. Gabinius, cos. (a. 696) 663. crudelis in Ciceronem 664. 668. 669. proficiscitur in Syriam 680. unde ipsum revocandum censet Cicero 698. iussu Pompeii Ptolemaeum reducit in regnum Aegypti 702. e Syria redux, repetundarum accusatus, a Cicerone defenditur 710. in Illyrico devictus recipit se Salonam, ubi morbo perit 754.

Galba v. Sulpicius.

Gallia provincia sub Cn. Papirio Carbone 559. sub M. Fonteio 589. eam provinciam in concione deponit Cicero et concedit Metello Celeri 613. sub C. Pomptinio 654. sub C. Iulio Caesare 660. sub Dec. Bruto 797. sub M. Antonio 798.

Galli repetundarum accusant M. Fonteium 589.

Gallici belli metus oritur Romae 655. initium belli a Caesare gesti 671. finis eius belli 783.

Q. Gallius a Cicerone defenditur 607.

L. Gellius Poplicola, cos. (a. 682) 582. summis laudibus effert consulatum Ciceronis 641. legem suadet de restituendo Cicerone 688.

Gibba v. Terentius Varro.

Glabrio v. Acilius.

Gladiatorium spectaculum in honorem funebrem Q. Metelli 689.

Glaucia v. Servilius.

de Gloria scribit Cicero 785.

Gnipho v. Antonius.

Gracchus quidam Archiae movet controversiam civitatis 647.

Graecis litteris eruditur Cicero 588. Graecis utitur doctoribus et Romae 522. 565. et in Graecia 569. declamitat Graece 556. Graece scribit Commentarium de consulatu suo 655. Graece disserit de Thesibus politicis 742. Graecos scriptores Latine convertit 544. 557. 657. 720.

Gratidianus v. Marius.

Haruspices de prodigiis consulti 553. 602. 697. ex eorum praecepto signum Iovis in Capitolio statuitur 688.

de Haruspicum responsis Cicero Orationem habet 697.

Helvetiorum excursiones 655. 671.

Helvia, mater Ciceronis 515.

M. Herennius, cos. (a. 661) 587.

Herennius centurio, percussor Ciceronis 830.

Herophilus, Pseudo-Marius 781.

A. Hirtius apud Ciceronem dicendo exercetur 768 sq. fit consul (a. 711) 799. cadit in praelio ad Mutinam 812. eius nomine supplicationem decernendam censet Cicero 818.

in Hispania bellum geritur: contra Sertorium 571. 578. 582. contra Pompeii legatos, Afranium, Petreium, Varronem 746. inter Caesaris prae-

fectos, Q. Cassium et M. Marcellum p. 755. contra Pompeii filios, Sext. et Cn. 767. 774.

Horae iudiciorum a Pompeio praescribuntur 716.

Hortensius, scriptum Ciceronis 772.

Q. Hortensius, octo annis maior quam Cicero 535. primum in foro dicit 535. tribunus militum bello Marsico 545. contra eum Cicero defendit P. Quintium 564. Hortensius defendit M. Canuleium 575. item Cn. Bolabellam 575. petit aedilitatem 577. aedilitate fungitur 578. defendit C. Verrem contra Ciceronem 587. post primam actionem non respondet Ciceroni 588. consulatum (a. 685) gerit 589. remissius vivere coepit 592. dissuadet legem Maniliam 595. defendit Catilinam, repetundarum accusatum 601. defendit C. Rabirium 611. L. Licinium Murenam 627. P. Cornelium Sullam 645. L. Valerium Flaccum 660. P. Sextium 696. cooptat Ciceronem augurem 713. moritur 781. Hortensium Cicero loquentem induxit in Academicorum libris 772.

Q. Hortensius Q. F. Macedoniae proconsul Brutum in comparando exercitu adiuvat 805.

Illyricum cum Gallia citeriore in quinquennium decernitur Caesari 660. A. Gabinius in Illyrico devincitur 754.

Imperator a senatu appellatur L. Manlius Torquatus, ex Macedonia rediens 615. M. Tullius Cicero in Cilicia ab exercitu 727.

Indutiomarus repetundarum accusat M. Fonteium 589.

Inimicitiae Ciceroni fuerunt cum Q. Caecilio Metello 642. 687. cum P. Clodio 662 sqq. cum L. Calpurnio Pisone 663 sqq. cum A. Gabinio 663 sqq. 710. cum M. Antonio 782. 790 sqq.

Inquilinum civem esse, Ciceroni obicitur 517.

Interamnae fuisse apud Cassinium videri vult Clodius 651. Interamnatium controversiae cum Reatinis 707.

Interregnum, per priores anni menses consulibus nondum creatis 712. 714.

Interrex L. Valerius Flaccus 562.

Interrogatio s. Oratio, qua Cicero P. Vatinii testis vitam reprehendit 696.

de Inventione libri a Cicerone scripti 555.

Iovis signum in Capitolio statuitur ex praecepto haruspicum 683.

Isauricus v. Servilius.

Italicum bellum s. Sociale 541. eius belli historiam Graece scripsit L. Lucullus 541.

Iuba ad Thapsum vincitur 761.

Iudicia, quae penes equestrem ordinem erant, senatoribus restituuntur ex lege Servilia 518. ut aequa parte penes senatum et equites essent, perfert M. Livius Drusus 538. tumultu Italico non exercentur 542. ad senatorium ordinem transferuntur 564. communicantur cum equitibus et tribunis aerariis 584. eorum forma commutatur a Pompeio, certo horarum numero constituto 715.

Sex. Iulius Caesar, cos. (a. 663) 538.

L. Iulius Caesar, cos. (a. 664) 541. reficit templum Iunonis Sospi-

pitae p. 548. cum fratre Caio trucidatur iussu Cinnae et Marii 552.

C. Iulius Caesar Strabo, a Sardis, apud quos quaestor fuerat, rogatur ut T. Albucium propraetorem accuset repetundarum 520. aedilis, quotidie fere habet conciones 548. cum fratre Lucio trucidatur iussu Cinnae et Marii 552.

L. Iulius Caesar, cos. (a. 690) 608. ab Antonio, cui avunculus erat, in proscriptorum gregem coniectus 819.

C. Iulius Caesar, a. 654. nascitur 528. repetundarum accusat Cn. Dolabellam 575. praetor des. sententiam dicit de puniendis sociis coniurationis 686. in domum Caesaris pontificis maximi clam ingressus Clodius sacra violat, quae Pompeia Bonae Deae facit pro populo 648. Caesar ideo uxorem Pompeiam dimittit 646. consul creatur (a. 695) cum Bibulo 657. Clodium, Ciceronis inimicum, traducit ad plebem 659. legem fert de repetundis 660. rogatione Vatinii accipit Gallias cum Illyrico 660. Ciceroni legationem aliumque honorem offert 661. Clodio adiutor est in eiiciendo Cicerone 664. 669. proficiscitur in Galliam (a. 696), habitis ante profectionem tribus Orationibus contra Memmium et Domitium 671. dimicat felicissime cum Helvetiis 671. propter res feliciter gestas supplicatio ipsi decernitur 693. stipendium ei a senatu decretum et decem legati 698. civitates Armoricas in deditionem accipit, aliasque gentes subiicit 701. caedit Germanos, qui Rhenum transierant et in Germaniam traiicit 705. item in Britanniam 706. Rediens e provincia (a. 704) per amicos Romae contendit ut consul designetur 733. exercitum dimittere iussus, Rubicone traiecto Arimimum occupat 737. bellum gerere pergit 738. semel iterumque per epistolam invitat Ciceronem ut ad Urbem esse velit 739. 743. 745. expugnat Corfinium, a Domitio occupatum, summa tamen in captos utitur clementia 740. fugat Pompeium Brundisio 743, quod oppidum per novem dies expugnatum ingreditur 748, et tota Italia potitus contendit Romam 744. Mox in Hispaniam proficiscitur 746. victis Pompeii legatis, redit Romam, Dictator creatur, bellum parat cum Pompeio gerendum 747. Abdicata dictatura, iterum consul (a. 706) creatur 747. traiicit in Epirum et obsidet Pompeium Dyrrhachii 748. in praelio ad Pharsalum vincit Pompeium 748. pergit in Aegyptum, quo Pompeius fugerat 749. et bellum gerit Alexandrinum contra Ptolemaeum 752, quo confecto et summa felicitate Pharnace victo redit in Italiam 757, cui obviam processit Cicero, qui satis liberales ab eo acceperat litteras 758. Romam reversus bellum parat adversus Pompeianos in Africa gerendum 758. ignoscit M. Bruto et Ser. Sulpicio, quos Galliae praeficit et Graeciae 759. Tertium consulatum (a. 708) gerit 759. corrigit Fastos 759. Africano bello confecto Romam redit et quattuor ducit triumphos 761. Dictator creatur in decem annos 761. M. Marcello reditum in patriam permittit 762. scribit Anticatonem 764. proficiscitur in Hispaniam, bellum gesturus contra Pompeii filios 767. quartum consulatum (a. 709) gerit 768. consolatorias litteras scribit ad Ciceronem de morte Tulliae 770. victis Pompeii filiis ad Mundam urbem, revertitur Romam 774. quintum consulatum (a. 710) gerit 776. diadema reiicit Lupercalibus ab Antonio sibi impositum 776. Idibus Martiis in curia Pompeii trucidatur a coniuratis 777.

L. Iulius Caesar (filius eius qui a. 690. fuerat consul) conditiones Caesaris defert ad Pompeium p. 738.

C. Iulius, a Catilina in Apuliam dimissus 619.

D. Iunius Brutus, cos. (a. 677) 574.

M. Iunius Brutus (ex adoptione avunculi Q. Servilii Caepionis aliquoties dictus Q. Caepio Brutus 805) a Caesare praeficitur Galliae 759. quo Cicero ad ipsum scripsit Oratorem 765. Brutus librum scribit in laudem Catonis 764. consolatur Ciceronem de morte Tulliae 770. interficit Caesarem 777. 778. post necem Caesaris decedit in Macedoniam, adiunctis sibi Athenis magna multitudine adolescentium 805. multis praeclare gestis laudatur a senatu 805.

D. Iunius Brutus Albinus, conspirat in Caesarem 777. in Galliam profectus ut Antonio se obiiciat 797, Mutinae obsidetur ab Antonio 798. a legionibus suis derelictus, ab Antonio captus interficitur 816.

M. Iunius Silanus, aedilis 584.

D. Iunius Silanus, consul creatur 622. consul des. sententiam dicit de puniendis coniuratis 636. consulatum (a. 692) gerit 642.

Iunonis Sospitae templum restitutum 548.

Iuris civilis studio operam dat Cicero 544. singulari prohitate iudicia exercet praetor 594. iurisdictioni in provincia praeest per biennium 730.

Iusiurandum iurat Cicero consulatu abiens 640.

Iuvenes Romanos Cicero defendit in Sicilia 578.

Iuventius Laterensis repulsam fert in petitione aedilitatis 709. accusat Cn. Plancium, aedilem designatum 709.

Kalendarium vetus Romanum 607. 759. Kalendae intercalares 766. Liberalia 728. 779. Lupercalia 776. 802. Mensis intercalarius 714. Saturnalia 629. 726. Terminalia 809. Vinalia 812.

Labienus v. Attius.

Laeca v. Porcius.

Laelii sermo de Amicitia Ciceroni expositus a Scaevola augure 542. a Cicerone litteris mandatur 784.

D. Laelius accusat L. Valerium Flaccum 659. ab Antonio iubetur ex Italia decedere 751.

Laenas v. Popilius.

M. Laenius Flaccus Ciceronem exsulem in hortos suos excipit 676.

Lamia v. Aelius.

Laodicea, prima urbs provinciae 725. ibi Cicero togam puram dat Q. fratris filio 728. in ea urbe forum agit omnium dioecesium Asiaticarum 730.

Latinae litterae primus Romae docet Plotius 548. Latine declamitat Cicero 556. Latine disserit Cicero de Thesibus politicis 742. Latine convertit Graecos scriptores 544. 557. 657. 720.

in Latinismi agro prodigia 697.

Laudatio Porciae, scriptum Ciceronis 774.

Laus Catonis, scriptum Ciceronis 764.

Legati decem decernuntur Caesari 698. Legati Ciceronis in Cilicia 730.

Legatio ad Antonium missa p. 800, intolerabilia postulata refert 802. Altera legatio ad Antonium, quam sibi mandatam Cicero deprecatur 809.

de Legationibus liberis legem fert Cicero 610. legationem a Caesare sibi oblatam aspernatur 661. legationis liberae ius habet per Bellum 787.

Leges: Lex Appuleia, agraria 525. Aurelia, iudiciaria 584. Caecilia Didia, de promulgandis legibus 581. Calpurnia, de ambitu 604. Clodia, annonaria 665. de auspiciis 665. de collegiis 666. de censoria notione 666. de provinciis nominatim dandis 666. de pernicie Ciceronis 667. de Ptolemaeo, rege Cypri 673. de exsulibus Byzantinis 675. de Pessinuntio Matris Magnae sacerdote 675. Cornelia, de iudiciis 564. de proscriptione 562. 612. Cornelia, de restituendo Cicerone 683. Flavia, agraria 656. Fufia, de iudicibus sorte ducendis 651. Gellia Cornelia, de civitate 588. 700. Iulia, de repetundis 660. 725. Iunia Licinia, de legibus ferendis 648. Licinia, de sodalitiis 702. Livia, iudiciaria 588. Manilia, de bello Mithridatico 595. Pompeia, iudiciaria 716. de iure magistratuum 719. Roscia, theatralis 594. 611. Sempronia, iudiciaria 518. Servilia, iudiciaria 518. Servilia (Rulli), agraria 609. Sulpicia, de exsulibus reducendis 547. Titia, agraria 530. Tullia, de liberis legationibus 610. de ambitu 613. Valeria, de Sulla dictatore 562. Varia, de maiestate 542. Vatinia, de imperio C. Caesaris 660.

de Legibus scribit Cicero 721.

Legiones Macedonicas pecunia sibi conciliare studet Antonius 792. e quibus legio Martia et Quarta, relicto Antonio, ad Octavium transeunt 796. qua de re Cicero eas laudandas esse censet 797.

Lentulus v. Cornelius.

Lepidus v. Aemilius.

Leucopetra, promontorium agri Rhegini 789.

Liberalia 728. 779.

Libertatis templo consecratur area domus Ciceronis 672.

A. Licinius Archias venit Romam 522. carminibus celebrat bellum Cimbricum et Mithridaticum 532. docet Ciceronem 532. defenditur a Cicerone 647.

P. Licinius Crassus, aedilis 518. consulatum (a. 657) gerit 538. domum in Palatio vendit Ciceroni 646.

L. Licinius Crassus (orator), suadet legem Serviliam 518. fungitur aedilitate 520. defendit C. Aculeonem 588. consulatum (a. 659) gerit 584. floret in foro 584. acriter invehitur in Marcium Philippum, consulem, adversarium optimatium 588. moritur 589.

M. Licinius Crassus, cos. (a. 684) 584. ornatissime de Ciceronis consulatu loquitur 641. adiutor est Clodio in eiiciendo Cicerone 664. 669. defendit P. Sextium 696. item M. Caelium 699. et L. Cornelium Balbum 700. Alterum consulatum (a. 699) gerit 702. fert legem de sodalitiis 702. proficiscitur in Syriam 704. coenat apud Ciceronem in hortis Crassipedis 705. Crassi absentis dignitatem in senatu defendit Cicero 706. trans Euphratem progressus perit 712.

P. Licinius Crassus M. F. legatus Caesaris in Gallia 701. in expeditione adversus Parthos cum patre perit 712.

L. Licinius Damasippus, praetor, auctore Mario filio, nobilitatem trucidat p. 561.

L. Licinius Lucullus, ex Sicilia redux, a P. Servilio repetundarum postulatur 587.

L. Licinius Lucullus L. F. cum fratre Marco reum facit P. Servilium, patris sui accusatorem 587. historiam belli Socialis scribit Graece 541. cum fratre Marco fungitur aedilitate 571. consulatum (a. 680) gerit 579. bellum gerit contra Mithridatem 581. triennio postquam ex Asia redierat, triumphus ipsi decernitur 615. uxorem habet incestam, Clodii sororem natu minimam 649. Lucullum Cicero loquentem induxit in libris Academicorum 772.

M. Licinius Lucullus, cum fratre Lucio reum facit P. Servilium, patris sui accusatorem 587. cum fratre Lucio fungitur aedilitate 571.

C. Licinius Macer, repetundarum reus factus, condemnatur et eodem tempore diem obit 595.

C. Licinius Macer Calvus accusat Vatinium 696. 708. defendit P. Sextium 696.

L. Licinius Murena consul creatur 622. consul des. de ambitu accusatus, defenditur a Cicerone 627. consulatum (a. 692) gerit 642.

Q. Ligarius a Cicerone defenditur 766.

Ligur v. Aelius.

Lilybaei Cicero gerit quaesturam 577. inde decedens habet Orationem 579.

Liris fluvius prope fundum Ciceronis Arpinatem miscetur Fibreno 516.

M. Livius Drusus, trib. pl. 588.

Longinus v. Cassius.

L. Lucceius a Cicerone rogatur ut res a se gestas historiae mandet 700. consolatorias ad Ciceronem scribit litteras de morte Tulliae 770.

L. Lucilius, comes App. Claudii Pulchri in Cilicia 725.

de Luctu minuendo scribit Cicero 770.

Lucullus v. Licinius, Terentius Varro.

Ludos facit Cicero in aedilitate 589.

Ludum habens Cicero, sive scholam, docet quotidie Pansam, Hirtium, Dolabellam 763 sq.

Lupercalia 776. 802.

Lupus v. Rutilius.

Q. Lutatius Catulus in petitione consulatus postponitur Cn. Mallio 519. consulatum (a. 652) gerit 521. homo est eruditus 521. reprimit Cimbros 528. scribit librum de consulatu suo 524. exstruit porticum in Palatio 524. iussu Cinnae et Marii trucidatur 552.

Q. Lutatius Catulus Q. F. cos. (a. 676) 572. collegam Lepidum in exsilium ire cogit 572. dissuadet legem Maniliam 595. summis laudibus effert consulatum Ciceronis 641. eleganti dicterio reprehendit iudices in caussa Clodii 652. Catulum Cicero loquentem induxit in libris Academicorum 772.

Macedoniam provinciam sortitus Cicero concedit Antonio 609. eo proficiscitur L. Manlius Torquatus procos. 615. Antonius procos. 646.

C. Octavius propr. p. 662. L. Appuleius propr. 676. L. Calpurnius Piso procos. 680. Q. Hortensius procos. 805.

Macer v. Licinius.

Magistri bonarum artium, quos Cicero habuit: Aeschylus Cnidius 578. Aesopus tragoedus 566. Antiochus, philosophus Academicus 569. Antonius Gnipho 599. Archias poeta 622. Demetrius Syrus 573. Diodotus, philosophus Stoicus 557. Dionysius Magnes 573. Menippus Stratonicensis 573. Molo Rhodius 565. 573. Q. Mucius Scaevola (augur) 544. Q. Mucius Scaevola (pontifex) 550. Phaedrus, philosophus Epicureus 549. 570. Philo, philosophus Academicus 549. Posidonius, philosophus Stoicus 573. Roscius comoedus 566. Xenocles Adramyttenus 573. Zeno, philosophus Epicureus 570.

Magius Chilo Athenis occidit Marcellum 768.

Maiestatis crimine accusatur C. Cornelius 596. A. Gabinius 710. C. Norbanus 536.

C. Mallius Maximus, cos. (a. 649) 519.

C. Manilius, trib. pl. legem fert ut bellum Mithridaticum extra ordinem committatur Cn. Pompeio 595. pro qua lege Cicero habet Orationem 595. C. Manilius a Cicerone defenditur 598.

C. Manlius s. Mallius a Catilina in Etruriam dimittitur 619. ad quem ipse profugit 626. in pugna cadit 643.

L. Manlius Torquatus, condiscipulus Ciceronis et Attici 533. consulatum (a. 689) gerit 600. defendit Catilinam, repetundarum reum 601. ex Macedonia rediens, referente Cicerone, ab senatu Imperator appellatur 615.

L. Manlius Torquatus L. F. accusat P. Cornelium Sullam 645.

Marcelliana Oratio, qua Cicero gratias egit Caesari pro Marcelli restitutione in patriam 762.

Marcellus v. Claudius.

Marcianus, libertus Ciceronis, viae comes additur filio 771.

C. Marcius Figulus, cos. (a. 690) 603.

L. Marcius Philippus in petitione consulatus superatur ab Herennio 537. consulatum (a. 663) gerit 538. obtinet a senatu ut leges Liviae tollantur 538.

L. Marcius Philippus L. F., cos. (a. 698) 694. cum mandatis legatus proficiscitur ad Antonium 800.

Q. Marcius Rex, cos. (a. 686) 590.

Q. Marcius Rex, uxorem habet incestum, sororem Clodii 649.

C. Marius, natus Arpini 517. homo ad studia durior 521. alterum consulatum (a. 650) gerit 519. tertium (a. 651) 590. quartum (a. 652) 521. quintum (a. 653) 523. Cimbrorum copias in Campis Raudiis reprimit 523. de victoriae gloria contendit cum collega Catulo 524. sextum consulatum (a. 654) gerit 525. adiuvat Saturninum in ferendis legibus perniciosis 525. cum Sulla contendit de imperio belli Mithridatici 545. pulsus a Sulla fugit Minturnas, deinde in Africam 548. revocatur a Cinna 552. ingressus Urbem, principes civitatis viros variis suppliciis afficit 552. septimo consulatu (a. 668) vix inito moritur aetate amplius septuagenaria 554. Monumentum Marii 687. Pseudo-Marius 781.

C. Marius C. F. condiscipulus Ciceronis p. 583. consulatum (a. 672) gerit 560. cum Sulla dimicat 561.

M. Marius Gratidianus reum facit Aculeonem, patrono usus Aelio Lamia contra L. Crassum 538. praetor magnos motus Romae excitat 555.

Marsici belli origo 541. in eo bello Cicero militat tiro 544.

Mater Magna Pessinunte culta 675.

C. Memmius a Saturnino occiditur 527.

Memmius (Mummius) ex lege Varia abit in exsilium 542.

C. Memmius, praetor, cum Caesare altercatur 671.

Menippus Stratonicensis docet Ciceronem 578.

Merula v. Cornelius.

L. Mescinius, quaestor Ciceronis in Cilicia 724. per eum Cicero, de provincia decedens, rationes deponit apud duas civitates 731.

Messalla v. Valerius.

Messius a Cicerone defensus 707.

Metellina Oratio, quam Cicero contra concionem Metelli habuit 642.

Metellus v. Caecilius.

Milo v. Annius.

Minturnae, oppidum Auruncorum, in cuius paludibus demersus Marius vitam servavit 548.

Mithridaticum bellum 545. feliciter geritur a Sulla 557. eo proficiscitur L. Lucullus et M. Cotta 581. ex lege Manilia committitur Cn. Pompeio 595. a quo victus Mithridates mortem sibi consciscit 614. Mithridaticum bellum versibus celebratum ab Archia 522.

Molo Rhodius Romam venit 565. quo doctore Cicero et Romae utitur 565, et postea Rhodi 573.

Montanus v. Tullius.

Monumentum C. Marii 687.

Q. Mucius Scaevola Q. F. (augur) docet Ciceronem ius civile 544. exponit Ciceroni sermonem Laelii de Amicitia 549. Mortuo augure Cicero ad pontificem se confert 550.

Q. Mucius Scaevola P. F. (pontifex) fungitur aedilitate 580. consulatum (a. 659) gerit 534. post mortem auguris docet Ciceronem 550. a Damasippo praetore occiditur 561.

Q. Mucius Orestinus, trib. pl. 604.

in Mulvio ponte comprehenduntur socii Catilinae 681.

T. Munatius Plancus Bursa a Cicerone accusatur quod Curiam Hostiliam in funere Clodii incendisset 719.

T. Munatius Plancus exercitu suo auget vires Antonii 816.

ad Mundam urbem vincuntur Pompeii filii 774.

Municipem esse, Ciceroni obiectum 516.

Murena v. Licinius.

Mutina ab Antonio obsessa 798.

Ser. Naevius accusat Titinniam, Cottae uxorem 577.

Naso v. Voconius.

Natalis M. T. Ciceronis 515. Cn. Pompeii Magni 518. Q. T. Ciceronis

p. 522. C. Iulii Caesaris 528. M. T. Ciceronis filii 606. C. Octavini Augusti 617.

de Natura Deorum scribit Cicero 784.

Cn. Nericius de ambitu accusat P. Sextium 695.

P. Nigidius, senator, a Cicerone adhibitus qui iudicum dicta perscriberet 632.

L. Ninnius de veste mutanda refert in luctu Ciceronis 668. de reditu Ciceronis refert 678.

Nobiles in iudicium vocantur lege Varia 542. trucidantur a Dionysippo 561. cum Sulla redeunt Romam 562.

Nonae Decembres quare Ciceroni semper fuerint in ore 636. 639.

C. Norbanus Balbus, accusatus a Sulpicio, absolvitur, defensus ab Antonio 536. consulatum (a. 671) gerit 558. a Sulla opprimitur praeliis non longe a Capua 559.

Novae Tabulae quominus proferantur, impedit Cicero 610. novas tabulas molitur Dolabella 755 sq.

Novi homines aliquando nobiles superavere in petitione consulatus, ut: C. Mallius 519. C. Fimbria 519. C. Caelius 535. M. Herennius 537. Novitas Ciceroni obiecta 516. quae tamen non impedivit quominus consul crearetur 605.

Q. Numerius Rufus, trib. pl. inimicus Ciceroni 681.

Oblivio praeteritarum rerum (ἀμνηστία) commendatur a Cicerone post caedem Caesaris 779.

Octavianum bellum, inter Cn. Octavium et collegam Cornelium Cinnam gestum 551.

Cn. Octavius Cn. F. cos. (a. 667) 550. ex Urbe expellit Cinnam 551. interficitur iussu Cinnae 552.

Cn. Octavius M. F. cos. (a. 678) 576.

L. Octavius, cos. (a. 679) 577.

C. Octavius, Augusti pater, Macedoniam regit propraetor 662.

C. Octavius, posthac Augustus dictus, nasciter cos. Cicerone 617. post caedem Caesaris contrahit exercitum, quo Antonii impetum retardet 798. qua de re a Cicerone laudatur 794. 797. iussus opem ferre D. Bruto in praelio Mutinensi vincit Antonium 811. ei Cicero supplicationem decernendam censet 813. videns senatum sibi minus favere, deserit causam optimatium 817, et pacem facit cum Antonio et Lepido 817. qui triumviri suos quisque inimicos proscribunt 817. 819. debellat Antonium, et M. Ciceronem M. filium in consulatu coeptat collegam 827.

Oeconomicus Xenophontis a Cicerone Latine redditus 557.

de Officiis scribit Cicero 785.

P. Oppius a Cicerone defenditur 598.

de Optimo genere Oratorum, scriptum Ciceronis 720.

Orator, scriptum Ciceronis 765.

de Oratore scribit Cicero 705. ea disputatio quando habita fingatur 539.

C. Orchivius, praetor cum Cicerone, exercet quaestionem peculatus 594. a Cicerone defenditur 598.

Orestes v. Anfidius et Aurelius.
Orestinus v. Mucius.
Osaces, dux Parthorum, fugatur p. 727.
Otho v. Roscius.

Pacis auctor est Cicero in bello civili inter Pompeium et Caesarem 786 sq. pacis fundamenta iacit post caedem Caesaris 779. pacem cum Antonio faciendam dissuadet Cicero 802. iterumque dissuadet 810.
Pactio provinciae 609.
Pactus v. Autronius.
in Palatio domus est Ciceronis, emta de P. Crasso 646.
Pansa v. Vibius.
Cn. Papirius Carbo, cos. (a. 669) 556. alterum consulatum (a. 670) gerit 557. in Galliam proficiscitur procos. 559. tertium consulatum (a. 672) gerit 560. cum Sulla dimicat 561.
C. Papirius Carbo, consulis frater, occiditur 561.
Paradoxa quando scripta sint a Cicerone 768.
Pater Ciceronis moritur 606.
Pater Patriae appellatur Cicero 642.
Parthis bellum infert Crassus 712. Parthorum copiae Euphratem transeunt 726.
Partitiones Oratoriae, scriptum Ciceronis 765.
Paullus v. Aemilius.
Q. Pedius, cos. (a. 711) 817.
Sex. Peducaeus, praetor in Sicilia 577.
Perduellionis crimen intenditur C. Rabirio 527. 611.
M. Perperna, cos. (a. 663) 537.
Pessinuntius Matris Magnae sacerdos 675.
M. Petreius, legatus C. Antonii, vincit Catilinam 648. legatus Pompeii in Hispania, a Caesare superatur 746.
Phaedrus, philosophus Epicureus, docet Ciceronem Romae 549. item Athenis 570.
Phaenomena Arati a Cicerone vertuntur 544.
Phanias, libertus App. Claudii Pulchri 724.
Pharnaces bellum gerit contra Domitium, eo missum a Caesare 754. profligatur a Caesare 757.
Pharsalica pugna 748.
Phidippus, medicus, accusat Deiotarum 775.
Philippicae Orationes, quas Cicero habuit in Antonium 790 sqq.
Philippus v. Marcius.
Philo, princeps Academiae, bello Mithridatico venit Romam docetque Ciceronem 549.
Philosophiae operam navat Cicero puer et adolescens 549. 569. 570. 578. eius studium recolit 693. idque aliquamdiu intermissum revocat 768. 771 sqq. 788.
Pindenissus, oppidum Eleutherocilicum, a Cicerone capitur 728.
Piso v. Calpurnius.

M. Plaetorius, accusator in caussa M. Fonteii p. 590. praetor cum Cicerone, exercet quaestionem inter sicarios 594.

Cn. Plancius, quaestor in Macedonia, Ciceronem exsulem per sex menses secum retinet 676. aedilis designatus defenditur a Cicerone 709.

Plancus v. Munatius.

L. Plotius Gallus primus Romae Latine docet 548.

Poesios studio aliquantum operae dedit M. Cicero 540. 544. 657. 705. maiorem ei operam dedit Q. Cicero 522.

Pompeia, filia Q. Pompeii Rufi Q. F., Caesaris uxor 648.

Pompeiani post cladem Pharsalicam confernnt se in Africam 751. quo Caesar eos sequitur 758. et in pugna ad Thapsum vincit 761.

Q. Pompeius Rufus, cos. (a. 666) 545. capitali odio dissidet a P. Sulpicio 547.

Cn. Pompeio Straboni negatur potestas nominis deferendi 530. consulatum (a. 665) gerit 544.

Q. Pompeius A. F. Bithynicus, biennio maior quam Cicero, quocum et amicitia et studiis coniunctus est 556.

Cn. Pompeius Magnus, aequalis Ciceroni, et eodem, quo ille, natus anno 518. gloriae cupiditate ad bellicas laudes abstrahitur 550. proficiscitur in Hispaniam, Metello auxiliaturus contra Sertorium 575. acerrima praelia gerit 578. finem imponit bello 582. ex lege Gellia Cornelia potestas ei datur donandi civitatem 588. consulatum (a. 684) gerit 584. ex lege Manilia praeficitur bello Mithridatico 595. Mithridatem fugat 596. tandemque vincit 614. Tigranem regnare iubet 614. Theophanem Mitylenaeum civitate donat 614. Pompeio supplicatio decernitur 615. ad Pompeium in Asiam Cicero Epistolam scribit de rebus suis in consulatu gestis 644. Pompeius ex Syria decedens per biduum triumphat 658. laudat Ciceronem ob consulatum egregie gestum 658. L. Flavio auctor est promulgandae legi agrariae 656. Clodio adiutor est in eiiciendo Cicerone 664. 669. de reditu Ciceronis agere coepit 677. a Clodio insidias patitur 678. ornate dicit de salute Ciceronis 688. Pompeio auctore senatus iudicat remp. Ciceronis consiliis esse conservatam 687. suadet legem de restituendo Cicerone 688. Pompeio committitur cura annonae 691. Pompeius defendit L. Cornelium Balbum 700. alterum consulatum (a. 699) gerit 702. munera edit magnificentissima 708. cooptat Ciceronem augurem 713. tertium consulatum (a. 702) gerit 714. formam iudiciorum commutat 715. collegam sibi in consulatu legit socerum suum 718. cum Cicerone, in provinciam proficiscente, triduum de rep. loquitur 724. resistit Marcello, contendenti ut successor mittatur Caesari in Galliam 729. cum Cicerone e provincia decedente iterum colloquium habet 732. ortis discordiis civilibus 734, Caesar ad Pompeium, quum Capuae esset, conditiones mittit 738. Pompeius semel iterumque Ciceronem invitat ut ad se veniat 740. 741. audita clade Corfiniensi confert se Brundisium 741. sed adventu Caesaris inde discedere coactus, cum omnibus copiis in Graeciam traiicit 748. quo ipsum sequitur Cicero 745. Pompeius, Dyrrhachii a Caesare obsessus, elabitur et bellum transfert in Thessaliam 748. in praelio ad Pharsalum victus 748, fugit in Aegyptum, ubi iussu Ptolemaei interficitur 749.

Sex. et Cn. Pompeius, Cn. filii, ad Mundam urbem vinciuntur p. 774.

Pomponia, Attici soror, nubit Q. Ciceroni 591.

T. Pomponius Atticus, condiscipulus Ciceronis 553. cum Cicerone ius civile docetur apud Scaevolam 544. confert se Athenas 553. audit Antiochum cum Ciceronibus 569. item Phaedrum et Zenonem 570. cum Cicerone initiatur mysteriis Eleusiniis 570. epistolarum commercium cum Cicerone 591. Attici soror nubit Q. Ciceroni 591. Atticus Romam redit 603. a Q. Cicerone invitatur ut sibi legati loco sit in Asiam proficiscenti 650. ad Atticum M. Cicero mittit Commentarium consulatus sui 655. Attici hortatu Cicero filium suum studiorum caussa mittit Athenas 771. eodem hortante Varronem disputationibus Academicis inserere constituit 772.

C. Pomptinus s. Pomptinius, praetor in consulatu Ciceronis 631. in Galliam profectus domat Allobrogas 654. legatus Ciceronis in Cilicia 738.

L. Pontius Aquila, hospes Ciceronis, e provincia redeuntis, in Trebulano 733.

Pontius Glaucus, poema Ciceronis 540.

M. Popilius Laenas, percussor Ciceronis 820. a Cicerone aliquando defensus 821. propter caedem Ciceronis ab Antonio coronatur et supra pactum praemium magna pecunia donatur 823.

Porcia, soror M. Catonis, singulari scripto laudatur a Cicerone 774.

L. Porcius Cato, cos. (a. 665) 544.

M. Porcius Cato, subscriptor in caussa Murenae 627. sententiam dicit de puniendis coniuratis 686 sq. summis laudibus effert consulatum Ciceronis 641. dissentit a Cicerone 658. invitus mittitur in Cyprum ad spoliandum regno Ptolemaeum 673. auctor est negandi auxilii regi Alexandrino 694. reprehendit Ciceronem quod secutus sit Pompeium 746. in bello Pharsalico cum Varrone et Cicerone remanet Dyrrhachii 749. confert se in Africam ut bellum renovet 751. mortem sibi consciscit Uticae 761. singulari scripto laudatur a Cicerone 764. cui Caesar opposuit Anticatonem 764. ad laudandum Catonem denuo se contulit M. Brutus 764.

M. Porcius Laeca coniuratos in domum suam recipit 628. comprehensus quum esset, nemo eum defendere ausus est 645.

Porticus Catuli, exstructa de manubiis Cimbricis 534. per Clodium diruta 672. publice restituta 693.

Posidonius docet Ciceronem 578. a scribendo deterritus lecto Ciceronis commentario de Consulatu suo 655.

A. Postumius Albinus, cos. (a. 655) 529.

Cn. Postumius, subscriptor in caussa Murenae 627.

Postumus v. Rabirius.

Praetor cunctis suffragiis primus renuntiatur Cicero 593. praeturam gerit 594.

Prodigia, Romae facta 602. in domo Ciceronis 635. in agro Latiniensi 697.

Prognostica Arati a Cicerone vertuntur 657.

in Provinciam ire recusat Cicero post praeturam 601. in consulatu sortitus Macedoniam concedit Antonio 609. Galliam provinciam deponit in concione 613. Ciliciam invitus suscipit regendam 723.

de Provinciis nominatim dandis legem fert Clodius 666. de provin-

cils consularibus Orationem habet Cicero 698. de provinciis administrandis senatus decernit, ne quis aut praetorius aut consularis intra quinquennium erat 723. de provincia decedentes apud duas civitates deponere solent rationes 781.

Proscriptio Sullae 562. proscriptorum filii paternis opibus et petendorum honorum iure exclusi 612. de proscriptorum liberis Orationem habet Cicero in consulatu 612. Proscriptio Caesaris 758. Proscriptio triumvirorum, Octaviani, Antonii et Lepidi 817. 819.

Pseudo-Marius, ab aliis C. Amatius (Chamaces), ab aliis Herophilus dictus 781.

Ptolemaeus Auletes, rex Aegypti, pulsus regno suo, auxilium petit a senatu 694. quod negotium ut Lentulo committeretur, Cicero in senatu contendit, Orationem habens de rege Alexandrino 694. negato auxilio, nihilominus regem in regnum reduxit A. Gabinius, Syriae procos. 702. 680.

Ptolemaeus, Auletae filius, Pompeium interfici iubet 749. a Caesare vincitur 752.

Ptolemaeus, Auletae frater, rex Cypri, auctore Clodio, cum omnibus suis bonis publicatur, Cypro in provinciae formam redacta 678.

Publiliam uxorem ducit Cicero 768. mox repudiat 769.

Pulcher s. Pulchellus v. Claudius et Clodius.

Pupius Piso v. Calpurnianus.

Puteolos Cicero venit relicta Sicilia 579.

Quaestores duo solent esse in Sicilia 577.

Quaesturam in Sicilia Cicero gerit Lilybaetanam 577. quo munere expleto redit Romam 579. in Cilicia quaestorem habet L. Mescinium 724. 781. decedens provincia quaestorem Ciliciae praeponit C. Caelium Caldum 781.

Quatuordecim ordines in theatro ex lege Roscia equitibus assignantur 594.

Quinqueviratus honorem a Caesare oblatum aspernatur Cicero 661.

P. Quinctius a Cicerone defenditur 564.

C. Rabirius, perduellionis accusatus a T. Labieno 627. 611. defenditur a Cicerone et Hortensio 611.

C. Rabirius Postumus, de repetundis reus defenditur a Cicerone 711.

Raudii Campi 528.

Reatinorum caussa a Cicerone defensa 707.

Repetundarum quaestio Ciceroni mandatur in praetura 594. Repetundarum accusatur M. Aemilius Scaurus 708. C. Antonius 658. T. Albucius 620. M'. Aquillius 632. Cn. Cornelius Dolabella 675. M. Fonteius 689. A. Gabinius 710. L. Licinius Lucullus 687. C. Licinius Macer 695. P. Oppius 698. L. Sergius Catilina 601. L. Valerius Flaccus 659. C. Verres 685.

de Republica disputatio, quando habita sit 674. quando Ciceroni exposita 674. quando a Cicerone scripta 711.

Rex v. Marcius.

Rhodii Molonem Romam mittunt de praemiis p. 565. Rhodum in exilium proficiscitur Q. Metellus Numidicus 595. Rhodi quando fuerit Cicero 573. 731.

Sex. Roscius Amerinus a Cicerone defensus 566.

Q. Roscius Comoedus docet Ciceronem histrionum gestus 566. a Cicerone defenditur 576. moritur 647.

L. Roscius Fabatus conditiones Caesaris defert ad Pompeium 738.

L. Roscius Otho, trib. pl. legem fert theatralem 594. sibilis populi exceptus a Cicerone defenditur Oratione habita in aede Bellonae 611.

Rubiconem traiicit Caesar 737.

Rufus v. Caelius, Numerius, Pompeius, Rutilius, Sulpicius, Vibius.

Rullus v. Servilius.

Rusticationes Ciceronis 657. 745. 783. 797.

P. Rutilius Lupus, cos. (a. 664) 541.

P. Rutilius Rufus, cos. (a. 649) Smyrnae exsulans, Ciceroni exponit Africani disputationem de Republica 574.

Sabinus v. Titurius.

Sanga v. Fabius.

Sardi repetundarum accusant T. Albucium 520. M. Aemilium Scaurum 708.

in Sardinia rei frumentariae praeest Q. Cicero 695.

Saturnalia constituuntur, quibus caedes fiat principum et incendium Urbis 629. Saturnalibus Pindenissus a Cicerone capitur 728.

Saturninus v. Appuleius.

M. Saufeius a Cicerone defensus 718.

Scaevola v. Mucius.

Scamander a Cicerone defensus 598.

Scaurus v. Aemilius.

Scipio v. Caecilius, Cornelius.

C. Scribonius Curio cum Sulla ex bello Mithridatico Romam redit 562. consulatum (a. 678) gerit 576. dicit pro Ser. Naevio 577.

C. Scribonius Curio minaces Caesaris litteras ad senatum perfert 733. ad Caesarem redit 735.

Scripta Ciceronis: Rhetorica 555. 705. 720. 768. 765. 788. Orationes 564. 566. 568. 576. 577. 579. 583. 586. 587. 588. 589. 590. 593. 595. 597. 598. 601. 604. 607. 609. 611. 612. 613. 625. 626. 627. 628. 635. 656. 642. 645. 647. 658. 658. 659. 691. 694. 695. 696. 698. 699. 701. 703. 704. 707. 708. 709. 710. 711. 717. 718. 719. 762. 766. 775. 790. 791. 797. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 808. 809. 810. 813. Epistolae 590. 591. 644. de Philosophia 557. 655. 705. 711. 721. 763. 764. 765. 770. 772. 778. 774. 776. 784. 785. Poemata 540. 544. 657. 705.

M. Seius, aedilis creatur 580.

Semisses cum trientibus valeat i. q. dextantes 665.

Sempronia lege iudicia exercent equites 518.

Senatores a Cicerone adhibiti, qui indicum dicta perscriberent 632.

senatores, quum vestem mutassent in luctu Ciceronis, a consulibus iubentur ad suum vestitum redire p. 668.

in Senatu recitantur litterae publice missae 726. 805. 810.

Senatusconsultum in coniuratione Catilinae 621. de puniendis coniuratis 629. de reditu Ciceronis 685. 687. 689. de provinciis 722. de postulatis Caesaris 784. 786. de confirmando Octaviano, de laudandis legionibus, de ornando D. Bruto 797. de mittenda legatione ad Antonium 800.

de Senectute scribit Cicero 784.

Septimius Camers a Catilina dimissus in agrum Picenum 619.

L. Sergius Catilina Africam praetor obtinet 599. coniuratione facta manum parat ad caedem coss. desa. 600. spe sua frustratus consilium caedis differt 601. accusatus repetundarum defenditur ab Hortensio 601. consulatum petens superatur a Cicerone 604. capit consilium opprimendae reip. 605. per Fulviam coniuratio Ciceroni proditur 609. Catilina novas tabulas pollicetur 610. omnia molitur ut consul fiat 618. repulsam passus coniurat de caede consulum et senatus, de incendiis Urbis et opprimenda rep. 617. partes coniurationis inter socios describit 619. suspicionis vitandae caussa in liberam se ipse offert custodiam 622. spe sua excidit quum interficiendi Ciceronem tum occupandi consulatum 623. coniuratos convocat in domum M. Laecae 623. duos coniurationis socios mittit ad Ciceronem interficiendum, qui domo excluduntur 624. venit in senatum, ubi Ciceronis Oratione perterretur 625. fugit ad Manlium 626. a senatu hostis iudicatur 627. victus a M. Petreio, fortissime pugnans confoditur 648.

Serranus v. Atilius.

Sertorius in Hispania bellum gerit 571. 575. 578. 582.

M. Servilius, trib. pl. producit Ciceronem in concionem 808.

Q. Servilius Caepio, cos. (a. 648) 515. iudicia, quae ex lege Sempronia penes equites erant, restituit senatoribus 518.

C. Servilius Glaucia, praetor seditiosus interficitur 527.

P. Servilius Rullus, trib. pl. legem fert agrariam, quam Cicero tribus Orationibus dissolvit 608.

P. Servilius Vatia Isauricus C. F. cos. (a. 675) 568. reus factus a Lucullis 587. Metellum cum Cicerone conciliat 687. suadet legem de restituendo Cicerone 688.

P. Servilius Vatia Isauricus P. F. cos. (a. 706) 747. legatus ad Antonium decernitur 809. pacem non censet cum Antonio faciendam 810.

P. Sextius, trib. pl. Ciceronis reditum adiuvat 684. 685. defenditur a Cicerone 695.

Sicca Ciceronem exsulem in fundum suum excipit 675.

Sicilia duos quaestores habere solet 577. Cicero Lilybaei quaestor est 577. in Siciliam proficiscitur ut Verris scelera cognoscat 586. transgressurus eo exsulans, prohibetur a C. Virgilio 676. Syracusas venit, traiecturus in Graeciam 788 sq.

Siculi inauditos honores excogitant in Ciceronem, quaestorem 577. repetundarum postulant C. Verrem 585.

Silanus v. Iunius.

Smyrnae exsulantem Cicero visit Rutilium Rufum p. 574. Trebonius ibi trucidatur a Dolabella 806.

Socialis belli origo 541.

Spinther v. Cornelius Lentulus.

L. Statilius, socius Catilinae, supplicio affectus 689.

Stellae crinitae in caelo visae 553.

Stipendium decernitur exercitui Caesaris 698.

Strabo v. Pompeius.

Studia Ciceronis: in pueritia 538. in adolescentia 540. 544. 549 sq. 555 sqq. 564 sqq. 569 sq. 573. in virili aetate 599. 657 sqq. 693. in senectute 763. 771. 783.

Subscriptores in caussa Murenae 627. in caussa M. Caelii 699.

Sucronense praelium 578.

Suffecti consules: L. Cornelius Merula 551. L. Valerius Flaccus 554. Q. Fabius Maximus et C. Trebonius 774. P. Cornelius Dolabella 778. C. Iulius Caesar Octavianus et Q. Pedius 817. M. Tullius Cicero M. F. 827.

Sulla v. Cornelius.

P. Sulpicius Galba cum Cicerone petit consulatum 604. superatur a Cicerone 605.

P. Sulpicius Rufus accusat C. Iunium Norbanum 536. trib. pl. quotidie concionatur, pro Mario contra Sullam dimicans 546. capitali odio dissidens a Q. Pompeio, interficitur 547.

Ser. Sulpicius Rufus, in petitione consulatus repulsam passus, accusat Murenam 627. consulatum (a. 703) gerit 721. a Caesare praeficitur Graeciae 759. consolatorias litteras ad Ciceronem scribit de morte Tulliae 770. legatus ad Antonium mittitur 800. in legatione moritur 802. quem Cicero sepulcro publico et statua ornandum censet 804.

Ser. Sulpicius Rufus, Ser. F. subscriptor in caussa Murenae 627.

Supplicatio decreta Pompeio, confecto bello Mithridatico 615. Ciceroni, detecta coniuratione Catilinaria 634. Caesari, propter res in Gallia feliciter gestas 693. Ciceroni, pro rebus bene gestis in provincia 780. Caesari mortuo 790. Hirtio, Pansae et Octaviano ob Antonium hostem superatum 813.

Sura v. Cornelius Lentulus.

Syracusanis ignorantibus sepulcrum Archimedis indicat Cicero 577. Syracusas venit, traiecturus in Graeciam 788 sq.

Syria provincia sub Gabinio procos. 680. sub Crasso procos. 704. sub Bibulo procos. 728. sub Cassio quaestore 727.

Tabulae Novae 610. 755 sq.

de Temporibus suis Cicero carmen scribit 705.

Terentia, uxor Ciceronis 606. sacra facit Bonae Deae domi suae cum mulieribus 635. obviam procedit Ciceroni Brundisium, de provincia decedenti 732. in bello civili relinquitur Romae 737. non procedit obviam Ciceroni, Brundisii degenti 753. a Cicerone dimittitur 767. nubit Vibio Rufo 767.

M. Terentius Varro Gibba defendit Saufeium 718.

M. Terentius Varro Lucullus, cos. (a. 681) 581.

M. Terentius Varro, legatus Pompeii in Hispania, a Caesare superatur p. 746. in bello Pharsalico cum Catone et Cicerone remanet Dyrrhachii 749. ad Varronem Cicero scribit Academica posteriora 772. qualem philosophiam Varro probaverit 773.

Terminalia 809.

Testa v. Trebatius.

Testimonium Scauri in Norbanum 536. Cottae in Oppium 593. Ciceronis in Clodium 651. Vatinii in P. Sextium 696.

ad Thapsum Pompeiani vincuntur a Caesare 761.

in Theatro equitibus XIV ordines dati 594. Theatrum Scauri 681.

Theophanes Mitylenaeus a Pompeio civitate donatus 614.

A. Thermus bis defenditur a Cicerone 659.

Theses politicae a Cicerone sumptae, de quibus dissereret 742.

Thessalonicam Cicero venit exsul 676.

Tibarani mittunt obsides ad Ciceronem 728.

Tigranes victus a Pompeio regnare iussus 614.

Tiro v. Tullius.

Titinnia, Cottae uxor, a Cicerone defensa 577.

Sex. Titius, trib. pl. legem fert de agris dividendis 530.

Q. Titurius Sabinus, legatus Caesaris in Gallia 701.

Toga virilis s. pura, data M. Ciceroni 543. Q. Ciceroni Q. F. 728. M. Ciceroni M. F. 744.

in Toga candida Cicero Orationem habet 604.

Topica a Cicerone scripta in navigatione 788.

Torquatus v. Manlius.

C. Trebatius Testa verbis Caesaris invitat Ciceronem, ut ad Urbem esse velit 789. ad Trebatium Cicero scribit Topica 788.

C. Trebonius, cos. (a. 709) 774. conspirat in Caesarem 777. Smyrnae trucidatur a Bolabella 806.

Trebulanum, praedium L. Pontii 733.

Triarius v. Valerius.

Tribuni aerarii iudicia exercent 584.

Tribuni plebis magistratum ineunt mense Decembri 662. 681. 797. qui restitutionem Ciceronis adiuverint 678. 679. 681. 685. qui restitutioni Ciceronis adversati sint 678. 681. 683.

Triumphi spem suscipit Cicero propter res in provincia gestas 731.

Triumphum egerunt: C. Marius de Cimbris 524. L. Licinius Lucullus propter bellum Mithridaticum 615. Cn. Pompeius Magnus, per biduum, de Mithridate, Tigrane aliisque regibus victis 653. C. Iulius Caesar de Gallia, Aegypto, Ponto, Africa 761 sq.

Triumviri reip. constituendae, Octavianus, Antonius et Lepidus 817.

Tubero v. Aelius.

M. Tullius Decula, cos. (a. 673) 563.

M. Tullius defensus a Cicerone 583.

M. Tullius Albinovanus de vi postulat P. Sextium 695.

L. Tullius, (Tulleius) legatus Ciceronis in Cilicia 724.

L. Tullius Montanus, vitae comes additus Ciceroni filio 771.

M. Tullius Tiro, libertus Ciceronis 733.

Tulliae gentis origo p. 515. ea gens exstingultur in morte M. Tullii Ciceronis M. filii 827.

L. Tullius Cicero (patruus Oratoris) cum Antonio in Ciliciam proficiscitur 520.

L. Tullius Cicero L. F. (frater patruelis Oratoris) Athenis audit Antiochum 569. M. Ciceroni Siciliam peragranti ut Verris facinora cognoscat, comes est 587. moritur 592.

M. Tullius Cicero (pater Oratoris) eques 515. quo anno mortuus sit 606.

M. Tullius Cicero:

(I.) quando natus sit 515. eius parentes 515. patria 516. frater 522. propinqui et consobrini 533. Graecas litteras docetur 533. inter condiscipulos eminet litterarum studio 533. 540. anno aetatis XVI in forum venit 540. togam virilem sumit 543. Arati Phaenomena Latine reddit 544. Iuris civilis studio operam dat, a patre deductus ad Scaevolam augurem 544. anno aetatis XVIII militat in exercitu Pompeii 544. audit quotidie concionantem P. Sulpicium Rufum 546. operam dat Phaedro Epicureo et Philoni Academico 549. confert se ad Scaevolam pontificem 550. anno aetatis XXI scribit libros de Inventione 555. declamitat cum aequalibus 556. in dialectica exercetur a Diodoto Stoico 556. Xenophontis Oeconomicum Latine reddit 557. ad caussas adire coepit, quarum prima fuit privata, qua anno aetatis XXVI defendit P. Quintium 564. Moloni Rhodio operam dat 565. item Roscio et Aesopo 566. defendit Sex. Roscium Amerinum 566. item Arretinam mulierem 568. in Graeciam proficiscitur 569. Athenis audit Antiochum 569. item Phaedrum et Zenonem 570. cum Attico initiatur mysteriis Eleusiniis 570. apud Demetrium Syrum exercetur 573. Asiam peragrans operam dat clarissimis rhetoribus 573. Rhodum proficiscitur et audit iterum Molonem et Posidonium 573. Smyrnam proficiscitur ad P. Rutilium Rufum 574.

(II.) Ex itinere Romam redit post biennium 574. defendit Q. Roscium Comoedum 576. fit Quaestor 577. defendit Titinniam, Cottae uxorem 577. anno aetatis XXXII Quaesturam gerit in Sicilia et frumentum mittit Romam 577. indagat sepulcrum Archimedis 577. defendit aliquot iuvenes Romanos 578. e provincia decedens Orationem habet Lilybaei 579. venit Puteolos 579. redit Romam 579. de nimia gloriae cupiditate aliquantum remittit 580. defendit M. Tullium 583. a Siculis rogatur ut causssam suam suscipiat contra C. Verrem 585. cum Q. Caecilio de accusatione contendit 585. in quem Orationem habet, quae dicitur Divinatio in Caecilium 586. Aedilis creatur prior cunctis suffragiis 586. totam Siciliam peragrat ut scelera Verris in ipsa provincia cognoscat 586. Romam redux Siculorum causssam suscipit contra Hortensium 587. Orationem habet in Verrem, quae dicitur Actio prima 587. anno aetatis XXXVIII summa abstinentia Aedilitatem gerit 589. defendit M. Fonteium 589. A. Caecinam 590. P. Oppium 593. praetor renuntiatur 593. anno aetatis XLI singulari probitate Praeturam gerit 594. agit causssam C. Licinii Macri 595. Orationem habet pro lege Manilia 595. pro A. Cluentio Avito 597. pro Scamandro 598. pro M. Fundanio, C. Orchivio, C. Manilio 598. frequentat scholas M. Antonii Gniphonis 599. ex praetura in provinciam ire recusat 601. C. Cornelium defendit 601. petit consulatum

p. 603. habet Orationem in toga candida contra competitores 604. consul designatur cum C. Antonio 605. augetur filio 606. filiam despondet Pisoni 606. morte amittit patrem 606. defendit Q. Gallium 607.

(III.) Anno aetatis XLIV Consulatum (a. 691) gerit 608. initio consulatus tres Orationes habet in P. Servilii Rulli legem agrariam 609. per Fulviam certior fit de Catilinae coniuratione 609. 624. Macedoniam concedit collegae 609. novas tabulas proferri prohibet 610. Ius legationis liberae facit annuum 610. Orationem habet pro L. Roscio Othone 611. defendit C. Rabirium 611. Orationem habet de proscriptorum filiis 612, et quum Galliam provinciam deponeret 613. legem fert de ambitu 613. causam agit Pompeii, Torquati, Luculli propter bella egregie gesta 615. de coniuratione Catilinae semel iterumque verba facit in senatu 620. ex SCto maxima consulibus permittitur potestas 621. Cicero in agrum Gallicanum Picenumque praemittit Q. Metellum 622. domo sua excludit eos, qui ad se interficiendum missi erant 624. senatu convocato in aedem Iovis Statoris, Orationem habet in Catilinam praesentem 625. qua iste perterritus profugit 626. tum Cicero in altera Oratione ad populum habita quum exposuisset coniurationis rationem 626, senatum cogit, qui Catilinam hostem iudicat 627. In exitu fere consulatus dicit pro L. Licinio Murena, cos. des. 627. et pro C. Calpurnio Pisone consulari 628. diligentissime observat quid agant coniurati in Urbe relicti 629. certior fit de coniuratione a legatis Allobrogum per Fabium Sangam 629. opera usus praetorum L. Valerii Flacci et C. Pomptini, omnem comitatum, qui noctu ad Catilinam profecturus erat, comprehendi curat 631. senatu in aedem Concordiae convocato arcessit coniurationis principes 632. quos in custodiam tradendos decernit senatus 633. Ciceroni autem novum supplicationis genus decernitur 634. ad quam celebrandam cohortatur Oratione tertia Catilinaria 635. deliberat secum quomodo agendum sit cum comprehensis 635. Nonis Decemb. senatus de comprehensis ultimum supplicium sumendum decernit ex sententia Silani, commendata Oratione Catilinaria quarta 636. Finito negotio Cicero servator et pater patriae invocatur 639. 642. Abdicans se magistratu prid. Kal. Ian. verba facere vetatur a Q. Metello Nepote 640.

(IV.) Metelli temeritati resistens Cicero Kal. Ian. Orationem habet contra eius concionem 642. scribit Epistolam, voluminis instar, ad Pompeium de rebus suis in consulatu gestis 644. defendit P. Cornelium Sullam 645. emit domum de Crasso in Palatio 646. C. Antonii rem defendit, in Macedoniam profecti 646. Orationem habet pro Archia 647. testis est in P. Clodium 651. quem in senatu tum oratione perpetua tum altercatione frangit 658. laudatur a Pompeio, e Syria decedente, ob consulatum egregie gestum 641. 658. equitum commoda defendit in senatu 653. scribit Commentarium consulatus sui 655. resistit L. Flavio, legem agrariam promulganti 656. Arati Prognostica Latine reddit 657. defendit C. Antonium 658. A. Thermum 659. L. Valerium Flaccum 659. legationem sibi a Caesare oblatam aliumque honorem aspernatur 661. vexatur a P. Clodio trib. pl. 662. morte amittit Diodotum Stoicum, quem a pueritia domi suae habuerat 662. crudelitatem experitur consulum Pisonis et Gabinii 663. 668. lege a Clodio lata de pernicie sua vestem

mutat p. 667. proditus a coss. et derelictus a principibus in rep. viris, anno aetatis XLIX abit in exsilium 669. per Clodium ipsi aqua et igni interdicitur 672. domus Ciceronis diruitur, villae incenduntur, reliqua bona diripiuntur 672.

(V.) In exsilium profectus iter suum convertit in Lucaniam 675. inde Brundisium, Dyrrhachium, tandem Thessalonicam venit 676. ubi Cn. Plancius eum liberalitate sua per sex menses retinuit 676. Romae lege promulgata a tribunis, Cicero redit Dyrrhachium 679. Pluribus factis de revocando Cicerone SCtis 685, tandem omnium centuriarum consensu Cicero a populo revocatur ab exsilio 688.

(VI.) Relicto igitur Dyrrhachio Brundisium venit, inde Romam post absentiam XVII mensium 690. Redux senatui gratias agit et populo duabus Orationibus 691. in summa annonae caritate senatui auctor est ut eius rei cura committatur Pompeio 691. Senatus decernit ut domus Ciceroni in Palatio et villae publice restituantur 693. Cicero alterius vitaq quoddam initium orditur 693. Orationem habet de rege Alexandrino 694. defendit P. Sextium 695. Vatinii testis vitam perpetua Interrogatione reprehendit 696. defendit L. Calpurnium Bestiam 698. laborat ut Senatus stipendium decernat exercitui Caesaris et decem legatos 698. Orationem habet de provinciis consularibus 698. pro M. Caelio Rufo 699. pro L. Cornelio Balbo 699. pro M. Cispio 701. Orationem habet in L. Calpurnium Pisonem 703. defendit L. Caninium Gallum 704. perficit disputationem de Oratore 705. scribit de Temporibus suis 705. Crassi in Syriam profecti rem defendit in senatu 706. Orationem habet de Reatinorum caussa 707. pro Messio 707. pro Druso 708. pro Vatinio 708. pro M. Aemilio Scauro 708. pro Cn. Plancio 709. cum A. Gabinio in gratiam redit, eumque defendit, repetundarum accusatum 710. Orationem habet pro C. Babirio Postumo 711. tempus impendit libris de Rep. scribendis 711. in P. Crassi locum cooptatur in collegium Augurum 713. defendit Milonem de vi accusatum 717. et M. Saufeium 718. accusat T. Munatium Plancum 719. e Graeco in Latinum sermonem convertit Orationes Aeschinis et Demosthenis, quibus praemittit librum de optimo genere Oratorum 720. scribit libros de Legibus 721.

(VII.) Anno aetatis LVI invitus in Ciliciam provinciam proficiscitur 722. bellum gerit contra Parthos 726. victoria iusta Imperator appellatur 727. qua de re supplicationes ipsi decernuntur 730. itinera facit in provincia ut iurisdictioni praesit 730. perfectis rebus omnibus spem suscipit triumphi 731. praeposito provinciae quaestore et depositis rationibus apud duas civitates, de provincia decedit 731. primum petit Rhodum, deinde Athenas 731. tum Patras, denique Brundisium, ubi obviam ipsi procedit Terentia uxor 732. tandem Romam proficiscitur 733.

(VIII.) Romae, annum aetatis LVIII ingressurus, in ipsam incidit civilis discordiae flammam 734. omnia frustra expertus, quae ad concordiam pertineant, discedit ab Urbe cum coss. 737. Capuam et oram maritimam a Formiis suscipit tuendam 737. semel iterumque a Caesare invitatur per epistolam ut ad Urbem esse velit 739. 743. 745. similiter a Pompeio invitatur ut ad se veniat 740. 741. diu deliberat quid sibi sit faciendum 742. tandem conscendit navem ut Pompeium sequatur in Graeciam 746.

cuius tamen facti mox paenituit ipsum p. 746. munit Dyrrhachii 749. et pugnam Pharsalicam, in qua non adfuit propter valetudinem, finem sibi fecit belli 750.

(IX et X.) Igitur ab armis discedens Brundisium venit, exitum rerum exspectans 750. 753. Acceptis tandem a Caesare litteris satis liberalibus ex Aegypto, redit Romam 753. obviam procedit Caesari in Italiam redeunti 757. eique Dictatori creato gratias agit in senatu quod M. Marcello reditum in patriam permisisset 762. confert se in otium litteratum et multos scribit libros, in quibus sunt: Brutus s. de claris Oratoribus 763. Paradoxa 763. Laus Catonis 764. Orator 765. Partitiones Oratoriae 765. Orationem habet pro Q. Ligario 766. divortium facit cum uxore Terentia 767. Publiliam virginem ducit uxorem 768. quam mox quoque repudiat 769. Morte amittit filiam Tulliam 769. in cuius honorem cogitat condere fanum 769. ab amicis accipit litteras consolatorias 770. ut se ipse consoletur, scribit Consolationem s. librum de luctu minuendo 770. filium suum studiorum caussa mittit Athenas 771. scribit libros complures 771. in quibus sunt: Hortensius 772. Academicorum libri 772. libri de Finibus Bonorum et Malorum 773. laudatio Porciae 774. defendit Deiotarum 775. scribit Tusculanas Disputationes 776. Trucidato Caesare, ab Antonio habetur particeps caedis 778. in aede Telluris Oratione habita iacit fundamenta pacis 779. per quinque fere menses lustrat villas suas 783. in qua rusticatione scribit libros de Natura Deorum, de Divinatione, de Fato 784. de Senectute, de Amicitia 784. de Gloria 785. de Officiis 785. desperata libertate consilium capit in Graeciam proficiscendi 787. scribit in itinere Topica 788. reiectus ventis et profectionis consilio abiecto redit in Urbem 789. vexatus ab Antonio, Orationes habet, quas vocavit Philippicas 790. legationem ad Antonium mittendam dissuadet et hostis ut Antonius iudicetur incumbit 800. pacem cum Antonio faciendam dissuadet 802. lenitatem senatus reprehendit et eos, qui Antonio faveant, obiurgat 802. Ser. Sulpicium, qui in legatione obierat, sepulcro publico et statua ornandum censet 804. refutat Q. Fufium Calenum, quod iniquior sit in Brutum 805. C. Cassium deligendum demonstrat, qui Dolabellam bello persequatur 808. legationem sibi mandatam ad Antonium de pace deprecatur 809. iterumque dissuadet pacem cum Antonio faciendam 810. fascium suspicione liberatur a P. Appuleio trib. pl. 812. ob Antonium hostem superatum, supplicationem decernendam censet trium ducum nomine, Hirtii, Pansae et Caesaris Octaviani 813. pace facta inter Octavianum, Antonium et Lepidum, ab his triumviris in proscriptorum gregem coniectus 819. anno aetatis LXIV interficitur a percussoribus in se immissis, Herennio et Popilio Laenate 820.

Tullia (filia Ciceronis) despondetur Pisoni 606. in bello civili relinquitur Romae 737. obsecrat patrem ut ab omni contentione absit 745. post morbum gravissimum venit Brundisium ad patrem 753. dimissa a Dolabella, brevi post partum obit 768. in eius honorem pater fanum condere vult 769.

M. Tullius Cicero M. F., quo anno natus sit 606. cum patre est in provincia 724. togam puram accipit a patre 744. dicendi doctrinam a patre docetur, libro de Partitione Oratoria scripto 765. studiorum caussa a patre Athenas mittitur 771. audit Cratippum 786. Graece declamitat

apud Cassium, Latine apud Bruttium p. 787. ad M. filium mittuntur libri de Officiis a patre scripti 786. cum M. Bruto, legati munere fungens, in Macedoniam transgreditur 805. solus ex proscriptione evadit 827. ab Octaviano honoribus ornatus et collega in consulatu cooptatus 827. nullos relinquens liberos finem facit genti suae 827.

Q. Tullius Cicero: Eius annus natalis 522. in domestica disciplina docetur simul cum M. fratre et Aculeonis filiis 533. Athenis cum fratre audit Antiochum 569. uxorem ducit Pomponiam, Attici sororem 591. petit aedilitatem 599. scribit librum de petitione consulatus 603. praeturam gerit cum C. Virgilio 647. ex praetura proficiscitur in Asiam, quam provinciam per triennium administrat 650. ex Asia decedens protinus pergit Romam 677. pro reditu fratris dimicans in foro vulneratur 684. Post reditum fratris, legatus Pompeio in cura annonae nominatus 691. in Sardiniam mittitur ut rei frumentariae praesit 695. Caesari in numero legatorum est et comes in expeditione in Britanniam 706. M. fratri legatus est in Cilicia 738. a fratre praeponitur hibernis 728. primis temporibus belli civilis cum fratre est modo Formiis modo Capuae 740. post mortem Pompeii, fratrem suum dolore afficit 753. a triumviris proscriptus fugit 821. a servis suis proditus interficitur cum filio 826. Scripsit tragoedias, Electram, Troadem, alia 523.

Q. Tullius Cicero Q. F. cum patruo est in provincia 724. qui ei togam puram dat Laodiceae 728. post mortem Pompeii patruum suum dolore afficit 758. a triumviris proscriptus interficitur 826.

Tullus v. Volcatius.

Tumultus decretus quum belli nomen displiceret 803.

Turiense praelium 578.

Tusculana villa per Clodium incensa 672. publice restituta 698.

Tusculanae Disputationes quando a Cicerone scriptae 776.

in Tusculano habita fingitur Disputatio de Oratore 539.

C. Valerius Flaccus, cos. (a. 661) 587.

L. Valerius Flaccus, cos. (a. 654) 525. interficit Saturninum, Glauciam, alios 527. alterum consulatum (a. 668) gerit 554.

L. Valerius Flaccus, interrex Sullam Dictatorem creat 562.

L. Valerius Flaccus praetor in consulatu Ciceronis 631. defenditur a Cicerone et Hortensio 659.

M. Valerius Messalla Niger, senator a Cicerone adhibitus, qui indicium dicta perscriberet 632. consulatum (a. 693) gerit 649.

M. Valerius Messalla, cos. (a. 701) 712.

P. Valerius Triarius accusat M. Aemilium Scaurum 708.

P. Valerius, in eius villa apud Leucopetram Tarentinorum Cicero devertit 789.

L. Varguntei us, senator, in coniuratione Catilinaria pollicetur sese interfecturum Ciceronem 624.

Q. Varius, trib. pl. in bello Sociali legem fert in eos, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti sint 542. sua ipse lege damnatur 545.

Varro v. Terentius.

Vatia v. Servilius.

P. Vatinius, trib. pl. legem fert ut Gallia cum Illyrico decernatur Caesari p. 660. testis in caussa Sextiana, perpetua Interrogatione a Cicerone reprehensus 696. a C. Licinio Macro Calvo accusatus 696. defensus a Cicerone 708.

Velleius Paterculus quo tempore libros suos scripserit 617. 817.

Veneficii accusatur A. Cluentius Avitus 597.

C. Verres, quaestor Papirii Carbonis in Gallia 559. legatus et proquaestor Dolabellae in Asia 567. praetor urbanus 580. Siciliam provinciam per triennium proprietore obtinet 581. a Siculis postulatur repetundarum 585. defenditur ab Hortensio, contra dicente Cicerone 587. post primam Actionem abit in exsilium 588.

Vestem mutat Cicero, reus lege Clodia 667. idem faciunt, tamquam in luctu publico, equites et senatores 668.

L. Vettius index 645.

de Vi accusatur P. Sextius 695. Annius Milo 717. Q. Ligarius 766.

Vibius, homo Siculus, Ciceronem excipit in exsilio 675 sq.

C. Vibius Pansa Ciceroni a Caesare nuntium perfert 753. apud Ciceronem dicendo exercetur 763 sq. consulatum (a. 711) gerit 799. refert de honoribus bene de rep. meritorum 799. consulit senatum de Appia via et de Moneta 802. refert de honore Ser. Sulpicii, in legatione mortui 804. laudibus ornat M. Brutum 805. consulit senatum de imperatore mittendo ad persequendum Dolabellam 807. refert de legatis ad Antonium mittendis 809. proficiscitur ad bellum cum Antonio gerendum 810. in praelio ad Forum Gallorum vulneratus, Bononiae moritur 811. eius nomine supplicationem decernendam censet Cicero 813.

Vibius Rufus Terentiam, a Cicerone dimissam, uxorem ducit 767.

Vibo, Lucaniae oppidum 675.

Vigintiviratus honorem a Caesare oblatum aspernatur Cicero 661.

Villae Ciceronis 672. 693. 745. 773. 783.

Vinalia 812.

C. Virgilius, aedilis cum Q. Cicerone 599. eiusdem collega in praetura 647. Siciliam propraetor obtinens M. Ciceronem exsulem, ne transgressurum, prohibet 676.

Virgines Vestales incestus crimine accusatae absolvuntur 582.

P. Umbrenus in coniurationem pellicit Allobrogum legatos 629.

Q. Voconius Naso, praetor 597.

L. Volcatius Tullus, cos. (a. 688) 594.

Cn. (Q.) Volusius cum Cicerone in Cilicia 734. mittitur in Cyprum 780.

Uticae mortem sibi consciscit M. Porcius Cato 761.

T. Vulturcius Crotoniensis, comes datus itineris Allobrogum legatis ad Catilinam 630. comprehensus in ponte Mulvio 631. fide publica dicere iussus, omnia aperit 632. qua de re ipsi praemia constituuntur 636.

Xenocli Adramyteno Cicero operam dat 578.

Xenophontis Oeconomicus a Cicerone Latine redditus 557.

Zeno, coryphaeus Epicureorum, Athenis docet Ciceronem et Atticum 570.